

D. W. M





SPECVLVM MINORVM

IN QVO

Primigenia Religio Ordinis Minorum Conuentualium Omnium Primi Ordinis Min: tàm immediatè quàm mediatè emergentium, ab Obseruantia positiua tum comparatiua: seu aliunde nuncupatorum Reformatorum

MATRIX FONS ET ORIGO INSPICITUR.

Materna primitiua ætas, eius progressus, Ministrorum Gen: directus recensus. Filialium propaginum exortus, occasus, reditus, deliquia, discrimina, interitus. Deinceps rediuiua Trinciana Ord: Obser: filialis propago: eius infantia, progressus, variatio, Status. Prouinciæ Sarmatiæ & Vicariæ Russiæ Originalis descriptio: Successus, profectus, vnio, diuisio, & duratio. Cognominis Conuentualium Fons, Ratio, sensus & vsus: Atq; contra eorum Statum Mythistoriarum somnorinarum Apologetica refutatio. Bullarum Leoninarum Vigor & Finis. Tandem Minorum Conuentualium, & omnium ab eis descendentium Reformatorum discrimen, & realis differentia, veritate non minùs historica quàm Canonica

EXPRIMITUR.

Pupillæ intuitiuæ Vniuersi Orbis ad sensum Præsentatum.

Auctore F: CASIMIRO BIERNACKI *S. T. D. Prouinciæ Poloniæ Patre, & Custode Gnesnensi Ord: Min Con: S. F*

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS

Erigamus deiectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & Sanctis nostris. *1. Mach: cap: 3.*

Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, Maiores tuos & dicent tibi. *Deuteron: cap: 32.*

Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga Patrum memoriam (hesterni quippe sumus, & ignoramus, quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram) & ipsi docebunt te, & loquētur tibi, & de corde suo proferent eloquia. *Iob:8.*

Non nouum fontem vobis perrupimus, quemadmodum ille quem Moyses ab Ægypto profugientibus, in loco aqua carente demonstrauit, verùm absconsum & abstrusum aperiamus, vt olim serui Isaac: non puteos tantùm aquæ viuæ fodientes, verùm etiam à Palæstinis obstrusos repurgantes. *Nazianz: Orat: 26.*

Noli putare te non esse homicidam, quando Fratri tuo mala persuades. Si Fratri tuo mala persuades occidis, & vt scias quia occidis, audi Psalmum: Fili hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. *August: Tract:42. ad cap: 8. Joan.*

Nemo peritorum aut prudentium putet, quòd minus sit periculum in verbis linguâ mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. Meliùs est autem pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione recipere beneficium. *August: ad Cassulanum.*

Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia - - - Omnes qui aduersus Patres armantur, qui in omni mundo infamia notantur, similiter & incestuosos, homicidas, periuros &c. & qui Fratres calumniantur, aut accusant, & nō probant. *Stephanus Papa Epist: 1. cap: 1.*

Grata quibusdam tanta Congregationum varietas, at mihi semper inuisa; Neq; enim sanctiorem legi Religionem, aut robustiorem agnoui, quàm dum firmiorem retinuit vnitatem. Vnita virtus immensum corpus fouebat & noxia repellebat; diuisa verò aduersantia membra depascit, & quæ in hostes tunc committebat tela, nunc in semetipsam fæde conuertit. *Wading: Obseru: ad Tom: 2. in Epist: ad Lectorem.*

EM
LA
T
CA
Ex C

exorsus,
filialibu
ctione v
desciviss
paterno
mem d
nemo, n
to Pio
sublatâ
non fuit
primige

EMINENTISSIMO & REV^mo: D. D.

LAVRENTIO BRANCATO DE LAVRÆA

TIT: SS. XII. APOST: S. R. E.

CARDINALI AMPLISSIMO Ex Ordine Min: Conuen: assumpto perennem felicitatem.

FRANCISCANAM *Min: Con: familiam* (*cuius* TV PARS MAGNA ES) EMINENTISSIME PRINCEPS, *licet spiritu vnimodo, & normâ vniformi, Seraphicus P. auspicatò fuerit exorsus, successiuè tamen, ita multipliciter & multiformiter, in filialibus propaginibus extitit dilatata: tantâ promicans distinctione variegata, vt non solùm à primæua sui nascentis vnitatis desciuisse appareat origine, verùm etiam multifariam, diuerso à paterno discriminari deprehendatur agnomine. Hanc multiformem diuersitatem, & diuersam multiformitatem auersatus nonnemo, non extra Vniuersitatis Minorum orbitam existens, Beato Pio V. supplicare non dubitauit, vt hâc difformi varietate sublatâ (quam etiam schismatis stigmate inustam, renuntiare non fuit veritus) sic discrepantem Franciscanam sobolem, ad primigeniam non minùs nominis quàm rei, reuocaret vniformi-*

tatem, & reduceret in terram labij vnius Originariam. Siquidem hac tantâ varietate vniuersus percellitur mundus, imò scinditur incertum in contraria studia vulgus: plurimi prauo affectu præoccupati, nonnulli præstigioso auditu decepti, perperam & præpostere, posthumam Seraphici P. prolem, pro patrima erroneè substituunt, è conuerso, patrimam pro posthuma sinistrè supponunt: & in tanta multiformis varietatis confusione, de origine Franciscana, hærere potiùs quàm duci, diuinare quàm assequi veritatem, quàm plurimi adiguntur.

Et hæc fuit Vniuerso Minoritico Orbi, imò ipsi vniuerso præsentandi Speculi mei ratio, atq; præsentis planæ & sinceræ historicæ descriptionis occasio: tum primigenij Nostri, Min: Con: Ordinis natiuæ delineationis expositio: in qua velut in speculo conspicere liceat, delineata prima fundamenta tantæ molis, quæ successiuè superexcreuit in tã amplas diuersimodè variegatas filiales familias, protensas à flumine vsq; ad terminos Orbis terrarum. Nè ergo ampliùs mundus fluctuet ambiguus vel hallucinetur creperus neuè exerranti falsitas pro veritate se vendat vlteriùs, cũ præiudicio primordialis historiæ, in præsenti speculo vniuscuiusq; à Matrice, fetu posthumo immediatè siue mediatè repullulascentis propaginis, genethliacus genealogiæ relucet horoscopus.

Subest & alia adhuc potior Speculi mei exponendi causa, illudq; TIBI EMINEN: PRINCEPS *consecrandi vrgens ratio: Nimirum primitiua nostra Min: Con: Religio (cuius* TV *præcipuus & solennis partus es) sub Innocentio III. nata, etiam (ex testimonio* TVI, *in Epitome Canonum) ab Innocentio IV. agnomine Conuentualium cognominata, ab Innocentio VI. in creatione Fortanerij Vasalli S. R. E. C. splendore propagata ab Innocentio VII. in creatione Petri Philareti, ex eo-*

dem.

dem Ord: Min: Con. S. R. E. Cardinalis postea Alexandri V. illuminata: & ab Innocentio XI. in Creatione TVI, auitis splendoribus renouata. Verbo dicam, Religio Nostra Min: Con: Originis suæ approbatione, Cognomenti Conuentualium appellatione, splendoris propagatione eminentis luminaris illustratione, & in TE vetustorum splendorum renouatione, tota INNOCENTIANA: tàm annosa, tàm vetusta, tot filialium propaginum fœcunda Mater, vsq; ad senectam & senium perducta, à nouo Prometheo luminum furace, ventoso fastu & astu; Natiuo splendoris decoramento spoliari est attentata: quo peruicaci ausu, visus est sibi somnians, tanquam alter Timotheus, retibus piscari hymericas Vrbes: Mythologijs & somnialibus scriptis fabulans, primicerium Min: Con: Ordinem, post Leonem X. primò institutum, & initio infantiæ pannis inuolutum, exordium sumpsisse; quod in facie solis tàm crassè comminisci non erubuit.

Sunt & alia ab Acatholico mutuata propudiosa stigmata, Bavij & Meuij ineptijs deteriora, fronti Matris Nostræ, contra omne fas, fœde ab eo tanquam à rediuiuo Luciano inusta, quæ in hoc speculo expressa, punctatim inspicienda exarantur, & TVA gentilitia ARMATA DEXTERA, cum GEMINO veritatis & iustitiæ GLADIO, auito insigni, præcidi & à communi lectionis obtutu auerruncari, hucusq; præstolantur. Tàm inuerecundis fabulis suum suffarcinauit commentum, vt illud vera primitiui Ordinis Minorita, sine Cordolio legere, & nè vix etiam sine syncope proferre potis sit. Agnosco nimio ausu, quàm par sit, hanc opellam tenuitatis suæ consciam, & velut hederam parieti confisam, ad TVÆ EMINENTIÆ solium (qui in literario Orbe Mineraualis familiæ Purpuratus PATER

es) festinare. Sed veniabile factum putabitur, si extremum dolorem ex obliquè traducto Matris suæ genere contractum, hæc tanta supremi spiritus meditamenta illi suggessisse recolliget EMINENTIA VESTRA. *Festinat illa nec vllis remorari patitur retinaculis, & flexo poplite ad degradationem tàm acris symptomatis, implorat tàm eminens atq; Celsum* ARMATÆ DEXTERÆ *patrocinium, &* DVPLICATI GLADII *laureatas suppetias: vt laurigero* TUÆ *Virtutis clypeo communita, in eadem natiua statione perennantem Matrem suam, gaudeat videre inconcussam.*

Exposuerat quondam Archimedes Speculum, Syracusanam Patriam suam mirabiliter propugnando, quo ad solis radios exposito, hostium classem, Carraginem, commeatum, reliquasq; machinas incendit combußitq;, eoq; ingenioso stratagemate etiam hostibus placuit. Hoc eodem animo præsens speculum, ad radios solis, è Purpura TUA *splendidius remicantes, à me exponitur, vt eo mediante, infesta & pernitiosa dicteriorum, epithesium, & ledoriorum, ab æmulis confictorum claßis & commeatus exurrantur, & in fauillam redigantur: illis amoris ignibus, quibus soliciti sunt seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: illisq; omnes Franciscanas tribus, in eo Ordine, in eo gradu, & eâ Vocationis sorte, quâ vocatæ sunt, in visceribus Christi Seraphico ardore complecti desideramus, velut Africæ Principes, siue vetustate Nobiles, siue nouitate felices.*

Tandem præsens Speculum non per Speculum & in ænigmate tantùm, sed in facie Orbis vtriusq; Poloniæ hoc singulare à TE *humillimè exposcit patrocinium* EMINENTISSIME PRINCEPS, *vt fæcunda Ord: Nostri Min: Con: tantæ*

prolis

prolis Mater, tanquam Titonia Coniux, nunc radijs Purpuræ TUÆ *feta, perrupto obstructi fontis sinu, & retectis in angulo mundi constructis technis, ijsq; repurgatis fabulamentis; non tantùm in Ausonijs, sed in nostris etiam Sarmaticis Oris* TE DUCE *in Originario suo statu videatur esse renata. Viã renascenti Gentilitia* DEXTERA TUA *erronum vindex indigitabit, viâ consulari quâ progredi spectaris, tantò efficaciùs quantò euidentius, viam Maiorũ* TUORUM, *Alexandri V. post Summos Sixtos IV. & V. complecti videris: præiuit prior hisce quibus incedis vestigijs: ab eadem Religione (posterior etiam ab eadem domo, in qua in Minoribus constitutum Guardiani functum officio, memorant historiæ) ab eadem Basilica, ab eodem SS. Apost. Titulo, ab eiusdem Nominis Innocentio Pontifice S. R. E. C. Creatus. His omnibus* TU *præfulgens bonis auibus potiris, Ordini præferens præsidium: suppar dignusq; censeris ad columnas Herculis, non sequi tantùm sed præire. Viue ergo Deo, Vince Matri, Vale æternitati.*

Eminentiæ Vestræ Reuerendissimæ

Cracouiæ Die 17. Nouembris S. Salomeæ Polonorum Patronæ Sacro Anno 1688.

Humillimus Obsequentissimus
& Addictissimus Seruus
FR. CASIMIRUS BIERNACKI Ord. Min: Conv.

APPRO-

APPROBATIONES
Doctorum Religionis.

DE Mandato Adm: R. P. Magistri Francisci Bieganski Ministri Prouincialis & Commissarij Generalis Prouinciæ Poloniæ Ord: nostri Minorum Conuentualium S. F., perlegi Librum cui titulus est SPECULUM MINORUM, IN QUO PRIMIGENIA RELIGIO ORD: MIN: CON: &c. PUPILLÆ INTUITIVÆ VNIVERSI ORBIS AD SENSUM PRÆSENTATUM: in quo quilibet Frater Minor, vnde, quid, & qualis sit, facilè se inspiciat ac repræsentet, Auctore Adm: R. P. Magistro Casimiro Biernacki Prouinciæ Poloniæ emerito Patre, Custode Gnesnensi, atq; Chronologista Generali, solido, & docto; nihilq; in eo, quod vel Orthodoxæ fidei, vel bonis moribus aduersetur offendi. Immò ob grauem ac multiplicem materiam, facili ac perspicuo Ordine, sedulâ pariter ac solidâ eruditione, doctrinâ refertum, dignissimum vt ob publicam totius Ordinis Seraphici vtilitatem typis mandetur, existimo. In quorum fidem hæc propria manu in Ædibus S. Francisci Cracouiæ die 29. Octobris scripsi & subscripsi A. D. 1688.

Ita est Fr. Basilius Rychlewicz S. T. M. P. Prouinciæ Polonæ, Lector Theol: Moralis Ord: Min: Conuen: S. Francisci mpp.

Opus

OPus cui titulus est SPECULUM MINORUM, IN QUO PRIMIGENIA RELIGIO, ORD: MIN: CON: &c. PUPILLÆ INTUITIVÆ VNIVERSI ORBIS AD SENSUM PRÆSENTATUM, ab Adm: R. Patre Nostro Casimiro Biernacki, Patre Prouinciæ Polonæ, Custode protunc Gnesnensi studiosissimè elaboratum, ex mandato Adm: Reu: Patris Magistri Francisci Bieganski eiusdem Prouinciæ Polonæ Ministri Prouincialis & Commissarij Gen: diligenter legi, in quo nihil quod fidei Orthodoxæ bonorumq; morum candorem denigret, aduerti, quinimò cuncta veritati consona, & omnibus illis qui Originem ac Statum Seraphici Ordinis perfectè scire desiderant pernecessaria cognoui: quare vt lucis coronâ decoretur, dignissimum censeo. In quorum fidem manu propria me subscribo. Radomscij 29. Septemb: Anno 1688.

Fr: Antonius Broun Pater Prouinciæ & Guard: Radom: Ord: S. F. Min: Conuen.

QVoniam liber cui titulus SPECULUM MINORUM, IN QUO PRIMIGENIA &c. ab Adm: R. P. M. Casimiro Biernacki Patre Prouinciæ & Custode Gnesnensi multa eruditione conscriptus, summoq; labore, & studio compositus & elaboratus, à duobus nostris Theologis, quibus id commisimus reuisus & approbatus est. Nos auctoritate Officij nostri quantum ad nos spectat, libenter licentiam concedimus: dignumq; iudicamus vt publicam videat lucem, maximè cum inseruiat conducatq;, ad demonstran-

dam vniuerſo oculo genuinam Seraphicæ Religionis Originem, Vitam, ſeriem & genealogiam. In quorum fidem Datum in Conuentu Noſtro Neocorcinenſi die vndecima Nouembris Sancto Martino Epiſcopo Sacrâ Anno 1688.

Fr. Franciſcus Bieganſki Miniſter Prouincialis & Commiſſarius Generalis P. P. Ord: Min: Con: mpp.



Fr. Josephus Winarski Secretarius Prouinciæ mpp.

APPROBATIO.

EGO M. Franciscus Przewoski S. Th: Doctor & in Vniuerſitate Cracouienſi Profeſſor, Eccleſiæ Collegiatæ SS. Omnium Crac: Præpoſitus. S. Annæ Decanus, Scholaſticus Curelouien: per Diæceſim Cracouien: Ordinarius Librorum, Cenſor. Librum cui Titulus SPECVLVM MINORVM In Quo Primigenia Religio Ord: Min: Conv: &c. ab A. R. Patre Casimiro Biernacki S. T. D. Prouinciæ Poloniæ Patre Cuſtode Gneſnen: Ordinis Minorum Conuentualium S. F. *præſentatum* attentè & diligenter legi. Qui cùm nihil fidei Orthodoxæ bonisq; moribus diſſonum contineat, illum imprimi & in lucem publicam edi Concedo facultatem. Datum Crac: in Collegio Maiori die 12. Iulij Anno Domini 1688.

Idem qui ſupra mpp.

ARTI-



ARTICVLVS I.

De Origine nascentis Franciscanæ Religionis: quo tempore, modo, loco, principiata, cognominata, & confirmata.

1. FRanciscana Religio, à Francisco Bernardono Assisiate, ex honesta Moriconum familia oriundo, suo institutore: Sicut Christiana a Christo, nomenclaturam deriuatiuam tenet. Hic Christo Domino in Natiuitate, paupertate, vitæ humilitate, denario Discipulorum Numero, & signis redemptionis nostræ, apprimè conformis: anno eiusdem & adinstar 1182. in stabulo nascitur, attestante Cæsare Baronio, in Annal: Eccl: Tom: 17. pag: 766. lit: D. & Henrico Sedulio ex Vincentio Beluacensi, Sancto Francisco coætaneo, & S. Antonino, calculis subductis colligente, Commentario ad Vitam S. Francisci pag: mihi 166.

2. Religionem suam primùm de Spiritu S. concipit; dum Diuino Numine, sub Archetypo palatij spatiosi, militaribus armis instructi: crucis signaculo insignitis, delineatam mente velut vtero excipit: quam Nicolaus III. in sua Extrau: quæ incipit Exijt de verb. signif. lib: 6. sic graphicè, subiecto stylo describit. *Hæc est apud Devm & Patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per eius filium exemplaritèr, & verbalitèr Apostolis tradita, & demum per Spiritum S. Francisco inspirata: quasi totius in se continet testimonium Trinitatis.*

3. Et quia Alij a primo recessu S. Patris, Alij à profectu, Alij ab initio adiunctionis Sociorum eius, Alij a prima Innocentiana, Alij a secunda Honoriana Regulæ confirmatione, Alij ab Ec-

eccleſiæ S. MARIÆ Angelorum ſeu Portiunculæ acquiſitione, Alij à dilatatione Ordinis extra Italiam Religionis Franciſcanæ initium computant Nos horum omnium annos ſingillatim referimus, & in ſeorſiuo Articulorum numero, adæquatum Franciſcanæ Religionis exordium ortum & profectum expromimus.

4. In prædicta igitur N. 2. cæleſti idæa menti Seraphicæ supernè impreſſa, reiucentem Franciſcus Religionem Franciſcanam, & vitæ agendæ Regulam auſpicatur, anno à conuerſione ſua 1206. ætatis ſuæ 25. vt præter S. Antoninum hiſt: part: 3. tit: 24. cap: 7. Rodulphum Hiſt: Seraph: lib: 1. pag: 7, ex Summario Innocentij III. viuæ vocis oraculo, Regulam & Ordinem Franciſcanum approbantis, apud Rodericum in noua collectione Priuilegiorum Apoſtolicorum Regularium, Tom: 1. pag: 6. euidentèr deducitur: cuius tenor verbatim excerptus ſubijcitur. *Innocentius Papa huius nominis III, & à B. Petro CLXXXIII. anno à Creatione mundi VMCLXI. ſecundum minorem computationem, ſecundum verò maiorem VICCCCVI. & anno Incarnationis MCXCVIII.* (vt ait Vincentius Hiſtorialis) *ad thronum Apoſtolicum aſſumptus eſt, ſeditq; annis XVIII. Menſibus IV. diebus 24. ſub quo Anno Dñi MCCVI. Pontificatus eiuſdem anno nono. Ille Patriarcha pauperũm glorioſus & Seraphicus Pater N.* FRANCISCVS *Regulam, ſuæ Sacræ Religionis ordinauit, Spiritu S. dictante, & ipſius approbationem à dicto Pontifice obtinuit: fortè oraculo viuæ vocis, cùm ſuper hoc Apoſtolicum reſcriptum minimè inueniatur, niſi quod Honorius huius approbationis meminit, & Chronicæ Ordinis, & hiſtoria eiusdem Sancti: ac Vincentius Hiſtorialis hoc aſſerunt. Præcipuè Memoriale Ordinis in Firm: 3. Ord: 1. part. f. 27.*

5. Et ſicut animus Franciſci præfiguratæ Religionis Schemmate, cælitùs fuit ſubarratus, ita Diuina in perfectione, viuendi forma ſolo Chriſti magiſterio regulata (quam eum non purus homo docuit) ſucceſſiuè, per ſequentes totius vitæ ſuæ actiones, fuit informatus, & illuſtratus: ipſomet D. Patre in ſuo Teſtamento his verbis atteſtante nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Altiſſimus reuelauit mihi; quod ego deberem viuere ſecundùm formam Euangelij; Idem S. Bonau: cap: 2. vitæ eius aſtruit. *Seruus Altiſſimi Doctorem non habebat aliquem, in huiusmodi*

modi nisi Christum. Horum duorum Sanctorum testimonio, euidenter prosternitur merum commentum eorum, qui asserunt B. Franciscum, à principio sub instituto B. Augustini Vitam duxisse, & Fratre Joanne Bono Mantuano Augustiniano Præceptore, & Duce vsum fuisse: Vt etiam multis alijs vrgentibus rationibus euincitur, egregiè à Wadingo Obser: in suo Apologetico, hæc clarè demonstrante, ad finem I. Tom.

6. Hoc vnico Christi magisterio Franciscus edoctus; accuratè typo menti suæ hærenti, & Archetypo Christo, in Vitæ praxi, se conformare allaborabat; quo conformitatis studio initiatus, duos annos tam in habitu sæculari, quàm eremitico, computandos, exactè perseuerauit, vt testatur Barthol: Pisanus Conform: fruct: 8. *Vilem habitum eremiticum per duos annos gestauit, baculum portans in manibus, cinctus corrigia, calceatus incedens:* & Spec: Vitæ inquit. *Cum S. Franc. adhuc esset in habitu sæculari, tamen totus despectus, & à spe sæculi desperatus, & propter pænitentiam totus deformis, & squalidus: ita vt à multis putaretur insanis &c.* & infra. *ita quòd quasi duos annos: sic abominatus, & despectus: ab omnibus semper constantior videbatur,*) ita Spec: Vitæ testatur pag: 5. §. Incipit Speculum vitæ B. Franc: & Sociorum eius.

7. Hoc Speculum Vitæ, referente Wadingo ad annum 1226. N. 44. fuisse editum, & limatum, à Gulielmo Spælberch: neglectis multis apocriphis, & friuolis narrationibus, quæ in vetusta editione habebantur. Sed quia hæc apocripha & friuola atro notanda lapillo, non signauit Wading: & rationem non posuit, cur sic existant censenda. Hoc opusculum cum Henrico Sedulio, vnicè veneror; qui in Comment: Vitæ S. Franc: in cap: 13. pag: mihi 353. de hoc Speculo sic præcisè loquitur. *Mitto te ad Speculum vitæ S. Franc: quod Scioli reijciunt quidem sed imperitè.* Et licet consentiam Wadingo Autorem operis illud scripsisse, post annum 1300. vt ipsemet fatetur Speculi Autor pag: 99. his præcisis. *Anno siquidem Domini 1343. cùm causâ visitationis Sacrum locum Montis Aluernæ accederem, inter cætera, quæ de B. Patris mirabilibus didici, audiui à quodam Venerabili sene: qui vt dicebatur, tunc agebat 115. suæ ætatis annum, contemporaneus namq; fuerat Venerabilis Domini Bonauenturæ,*

uenturæ, quondam Miniſtri Gen: Ord: Min:, poſtmodum Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Fratris Benedicti de Aretio, hominis Diuini, à S. P. Franciſco ad Ordinem recepti, aliorumq; quam plurimorum Patrum antiquorum, à quo cum peterem ſupplex ædificationis Verbum; inter cætera quæ dicebat reſpondit; Communitatem benè ſequeris, nihil dubitans & ſaluus eris. Ideò hunc Scriptorem conſtat, antiquitatis acta exſcripſiſſe, ex monumentis teſtium oculatorum: qui ea quæ primo ſæculo Ordinis geſta fuêre, viderunt, & actis conuixerunt. S. Fra: vt ex pluribus locis conſtat, ex cap: 26. pag: 21. b. ait. *Nos verò qui cum ipſo fuimus teſtimonium perhibemus, de ipſo.* & cap: 32. pag: 23. b. ait. *Et nos qui fuimus cum eo teſtimonium perhibemus de ipſo,* & cap: 45. pag: 29. ſcribit. *Hoc autem vidimus oculis noſtris, nos qui cum ipſo fuimus.* & cap: 59. pag: 41. ait. *Qui vidit hoc ſcripſit & teſtimonium perhibet de his.* His ergo motus, ſequor potiùs huius Speculi vitæ Scriptorem, quam recentiorum, ducentis vel trecentis & amplius annis, à præfato Scriptore diſtantium, compoſita inuenta, putatiua dumtaxat credibilitate fucata. Eo tamen ſaluo, niſi antiquior Scriptor ſibi fidem præoccupauerit; Quo notando pro exigenda fide in progreſſu dicendorum antiquitate obnubilatorum, lectorem admonitum velim.

8. Hoc biennio à ſua conuerſione vt aduertit Henricus Sedulius Comment: in Vitam S. Franc: in cap: 2. pag: mihi 173. videtur S. Pater feciſſe ea, quæ S. Bonauentura narrat cap: 2. vitæ eius, immo & ea hoc biennio perfeciſſe, quæ primo capite præmittit; Scilicet Spiritum conuerſionis a DEO accepiſſe, trinam de Cruce Chriſti allocutionem, pro reparanda eius Eccleſia audijſſe: Eccleſiarum reparationem incepiſſe, veſtibus ſæcularibus coram Epiſcopo ſe exuiſſe, & Patri ſuo omnia bona temporalia reſignaſſe, & renuntiaſſe: poſtmodum in habitu eremitico, trium Eccleſiarum reparationem peregiſſe, & vltimo ſuæ vitæ ſectatores diſcipulos ſuſcepiſſe.

9. Eo igitur à conuerſione S. Patris exacto biennio, ſolo eiuſmodi cæleſtis perfectionis illapſu illuſtri, Sanctimoniæ exemplo obſtetricante, prolem quâ de Spiritu S. fetus erat, in lucem emittere cæpit, & primùm B. Bernardum de Quintaualle primogenitum

tum suum, Assisij progenuit; Anno 1208; qui Franciscanæ familiæ biennio ante conceptæ, in temporaneæ lucis vsura Assisij primordium inceptionis dedit: ipso S. Patre in Spec: Vitæ pag: 7. attestante: *Bernardum istum Ordinem fundasse pro eo, quod Euangelicam paupertatem, omnia pauperibus distribuendo, ipse primus fundauit.*

10. Et cùm Rodulphus hist: Seraph: lib: 1. pag: 58. b. referat B. Bernardum de Quintaualle B. Patris primogenitum suscepisse Sanctæ conuersationis togam, anno secundo à conuersione B. Franc: benè dicit, sed cum addit, hoc est anno 1209, & hoc idem de B. Petro Cataneo secundo S. Patris Socio, in altera eiusdem folij parte commemorat. Puto de vtroq; Socio vel mendam typographicam in prænominatum annum irrepsisse, vel amanuensem mendum commisisse: quod patet ex eodem Rodulpho pag: 62. de B. Ægidio tertio S. Patris Socio hæc referente. Semel comedebat in die, & ab anno 1208. suæ conuersionis ad annum sui obitus 1262. hanc vitam austeram duxit. Si B. Ægidij tertij S. P. Socij ex S. Bonauentura cap: 3. conuersionis annus fuit 1208 vt etiam aduertit Laurentius Surius Tom: 7. ad diem Aprilis 23, B. Ægidium octiduo post B. Bernardum, & B. Petrum Cataneum Diuino instinctu permotum S. Franc: institutum, complexum fuisse commemorat. Idem dicit Spec: vitæ pag: 158. Fr. Ægidius &c. post octo dies cognatis suis mirantibus &c.

11. Non multo enim post vt scribit S. Bonau: cap: 3. *eodem Spiritu animati, cæperunt & alij Viri Francisco, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi: quorum numerus, cùm iam ad duodenarium excreuisset, & cætum duodecim Apostolorum adæquasset,* vt exordia Religionis Franciscanæ, nascenti Ecclesiæ responderent Christianæ, *fuit inter 12. electos Joannes de Capella, qui vt alter Iscariotes laqueo se suspendit, vt testatur Spec: Vitæ, statim à principio, & in aere crepuit medius aërearum factus collega potestatum, & sicut in locum Judæ Matthias subrogatus & electus fuit, ita Gulielmus Anglicus Vir moribus & Vitæ probitate conspicuus Joanni Capellæ successit.* ita Rodul: Hist: Seraph: lib: 1. pag: 67.

12. Igitur illam duodenariam turbam, cætum primitiuum Re-

ligionis Francifcanæ originaliter conftituentem, collocauit S. P. apud Riuum tortum, vt deducitur ex Spec: vitæ cap: 23. vbi dicitur: *In primordio Religionis, cùm Fratres manerent apud Riuum tortum propè Aſſiſium* & cap: 26. vbi dicitur, *quodam tempore cùm B. Franciſcus cæpiſſet habere fratres, & maneret cum eis apud Riuum tortum propè Aſſiſium*, & cap: 35. dicitur, *in primordio Religionis, cùm maneret apud Riuum tortum, cum duobus fratribus quos tunc tantùm habebat. Ecce Vir quidam nomine Ægidius qui fuit tertius Frater, venit de ſæculo ad ipſum, vt reciperet vitam eius.* Ex quibus locis palàm conftat, S. Patrem cum primitiuo difcipulorum conuentu, Riuotorti manere incepiffe, ibidemq; in coniuncto vitæ fuæ confortio cum eis conuixiffe; maximè cùm à principio conuerfationis fuæ, protinus Riuotortum diuerterit, afferente D. Bonau: cap: I. *Solitaria proindè loca quærebat amica mæroribus.* Ad quæ primos Socios conduxit Rodul: Hift, Seraph: lib: I. pag: 58. teftante: *Indè ad ſolitaria loca ſe receperunt vacantes orationi, humilitati, & paupertati, quæ ſunt Religionis fundamenta certa.* Per hæc autem loca folitaria Eminentiffimus S. R. E. Cardinalis Joannes Baptifta de Luca infra cit: intelligit Riuotortum, feu cauernulas Riuotortanas: Vbi S. P. cum Socijs commoratus, fcripfit fibi & ipfis Fratribus prout S. Bonau: cap: 3. refert, verbis fimplicibus formulam vitæ, quæ eft prima Regula, ab Innocentio III. Viuæ vocis oraculo confirmata, Riuotorti fcripta, vt afferit Rodul: lib: 2. Hift: Seraph: pag: 253. Coincidit Wading: Obfer: cum prænominatis Autoribus, primos Francifcanos, tàm ante quàm poft confirmationem Regulæ Innocentianæ, primùm Riuotorti conuentualiter ftetiffe, & conuixiffe: afferens ad annum 1209. N. II. *Habitabant illæ ampliſſimi Sodalitij tenues primitiæ, in derelicto quodam tuguriolo, in ſolitario loco à turba remotæ, nec omnibus obuiæ, iuxta ſinuoſum fluuiolum vulgariter Riuotorto dictum.* Et ad annum 1210. N. 23. *Recollegit itaq; ſe Vir Dei cum cæteris Socijs, in eo quod ſupra inſinuauimus tuguriolo, iuxta ciuitatem Aſiſij Riuustortus ſeu ſinuoſus dicto.*

13. Hunc duodenarium numerum primò Riuotorti collocatum, Vir humilis Fratres Minores, propter humilitatem voluit appellari, vt dicit Spec: vitæ cap: 43. & Vrbanus VIII. in Conft:

quæ

quæ incip: Militantis Ecclesiæ. Dat: in Arce Gandulphi, sub Annulo piscatoris Die 15. Maij 1628, Pontificatus sui anno V. in cap: 1. Reg: Tit: 1. n. 1. Seraphicum P. Franc: Ordinem suum sub titulo Fratrum Minorum instituisse, hocq; nomen delegisse, ne fratres sui (vt D. Bonau: testatur) de vllo dignitatis gradu contenderent, neq; honorificum sibi nomen vendicarent; sed omnibus saluo Dei honore se subijcerent, & ad temporalem magnitudinem non aspicerent: ex quibus liquido constat, D. Patrem noluisse fratres suos cognominari, & intitulari Nomine, vel vocabulo honorifico, aliquod Sanctitatis Obseruantiæ vel Virtutis specimen præseferente, ne iactantiam potius, quam humilitatis demissionem secum exhiberet, & validiùs esset ostentationis fomes, quàm Religiosi Minorum status consuetum insigne: quod videtur reuera à pia Fundatoris mente prorsus abhorrere: cuius præcipua & solicita cura, in hunc maximè collimabat finem, vt a titulis, nominibus, & prærogatiuis, aliquam Sapientibus auram, & vanitatem, prorsus recederet; & fratres sui ex vera humilitate, non solum nomine, sed ipso facto se probarent Minores: etiamsi essent cæteris Obseruantiores; iuxta Euangelium Luc: 22., *qui maior est in vobis, fiat sicut minor:* & pro eo quo essent cæteris Sanctiores, & plurium seruantiores, non inde vanis appellationum fulgetris, & phalaratis titulis splendescerent, sed omnibus minores fieri esse & vocari deberent iuxta Luc: 17. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus.* cum & ipsemet S. Franciscus Cardinali Hostiensi dixerit, vt refert Spec: vitæ cap: 42. *Domine minores ideò vocati sunt Fratres mei, vt maiores fieri non præsumant.* Addens ex eodem Spec: pag: 49. b. *Væ autem illis Minoribus qui de sola specie, & apparentia conuersationis Religiosæ, sibi plaudentes, & in sua sapientia & scientia confidentes, inuenti fuerint otiosi in exercitatione, seu operibus virtuosis, in via Crucis, & pænitentiæ in pura Obseruantia.*

14. Riuotorto igitur cum illo duodenario numero & Regula conscripta profectus, Summi Pontificis tunc Innocentij III. Romæ adijt præsentiam, vt præostensam sibi à Domino viuendi formulam approbare dignaretur, quam non sine interuentu prodi-

giorum,

giorum, viuæ vocis oraculo Pontifex approbauit: cuncta poſtulata conceſſit, ac plura ſe conceſſurum in poſterum liberalitèr repromiſit. Româ rediens, in Vallem Spoletanam S. Pater, cum illo duodenario cœtu, iterum Riuotortum reuertitur, vt aſſerit D. Bonau: cap: 4. *Recollegit itaq; ſe Vir Dei cum cæteris Socijs in quodam tugurio derelicto iuxta ciuitatem Aſſiſij, in quo ſecundùm S. paupertatis formam, in labore multo & inopia victitabant. Vacabant enim ibidem Diuinis precibus inceſſanter, mentaliter potius quàm vocaliter, ſtudio intendentes, Orationis deuotæ: eò quòd nondum Eccleſiaſticos libros habebant; in quibus poſſent horas canonicas decantare.* Hoc autem tugurium derelictum Riuotortum fuiſſe, manifeſtè indicat Spec: vitæ S. Patris cap: 35, dum inquit: *In primordio Religionis, cùm maneret apud Riuumtortum.* Conſequens enim fuit, vt ad illud tugurium remearet cum Regula approbata, vbi eam conſcripſerat & idæam religionis inſtituendæ conceperat.

15. In hoc loco Riuotorti poſt confirmationem primæ Regulæ, ab Innocentio III, quantùm S. Pater cum præfatis Socijs commorando tempus exegerit, ex hiſtoricis conijcere licet: & imprimis Rodul: Hiſt: Seraph: lib: 1. pag- 98. b. in Vita S. Danielis ait: *Cùm anno 1219. celebraretur Generale Capitulum ſub Honorio III. Pont: Max: Pontificatus ſui anno* IV, *anno verò* XI. *poſt primam Ordinis confirmationem ab Innocentio III. factam: Viuæ vocis oraculo:* Quare retrocedendo in computatione, ab anno 1219. XI. annus ponè computatus, inuenietur cadere in annum 1209, ita quòd ſecundùm Rodulphi ſupputationem, confirmatio Regulæ primæ facta ab Innocentio III, fuit anno 1209. hinc vt Rodul: lib: 1. pag: 7. ex Barth: Piſano, part: 2. Conform: fruct: 8. dicit. *Anno Dñi 1209. in lapide iſto Minorum Ordo initium ſumpſit.* quod repetit pag: 58. idipſum, & S. Antoninus Hiſt: part: 3. Tit: 24. cap: 7. Eodem anno 1209. vt dicit ipſe. *Secundùm opinionem veriorem in lapide iſto fundamentali Ordo Fratrum Minorum initium & fundamentum accepit.* Et rationi conſonum eſt, vt tunc primùm diceretur Ordo incepiſſe, quando Regulam pro Ordine confirmatam aſſeritur habuiſſe. Quia verò Rodul: 2. lib: Hiſt: ſer: pag: 252. in margine eiuſdem folij alterius partis dicit. *in loco S. Ma-*

RIÆ Angelorum. Minorum Ordinem initium, & Franciſcanam Religionem originem ſumpſiſſe. anno 1210. Hac baſe præiacta, deducitur S. Patrem cum cætu duodenario poſt confirmationem primæ Regulæ, ab anno 1209, vſq; in ſequentem annum 1210. Riuotorti manſiſſe: dùm ſcilicet vt S. Bonau: cap: 4. ait; *Poſt hæc puſilli gregis paſtor Franciſcus ad S. MARIAM de Portiuncula, duodenarium illum Fratrum numerum, superna gratia præeunte deduxit.*

16. Hæc prima principia FRANCISCANÆ RELIGIONIS iam natæ, formatæ, & approbatæ, Franciſcus Riuotorti, in illo tugurio derelicto exorditur, ac ibidem æquè prima vt paupercula, ſui Ordinis natalium cunabula locat, originemq; promit. Sed cum huius loci anguſtias cerneret, & multiplicandæ prolis incrementum Spiritu præſentiret, ad prima illa Ordinis ſui rudimenta dixit, vt Spec: vitæ cap: 55. teſtatur: *Quia Dominus vult nos multiplicare: vnde mihi videtur bonum & Religioſum acquirere, ab Epiſcopo vel Canonicis S. Rufini, aut ab Abbate S. Benedicti, aliquam Eccleſiam vbi fratres poſſent dicere horas ſuas, & ſolummodo habere, iuxta eam paruam & pauperculam domum, ex luto & viminibus conſtructam: Vbi fratres poſſent quieſcere & operari, nam locus iſte* (ſupple Riuotorti) *non eſt honeſtus nec ſufficiens fratribus, poſtquam vult Dominus nos multiplicare: & maximè quia non habemus hic Eccleſiam, vbi fratres poſſent dicere horas ſuas; & ſi aliquis Fratrum moreretur, non eſſet hic honeſtum ipſum ſepelire, nec in Eccleſia Sæcularium vel Clericorum. Et placuit cunctis Fratribus. Iuit ergo ad Epiſcopum Aſſiſij, & prædicta propoſuit coram ipſo: cui dixit Epiſcopus: Frater nullam Eccleſiam habeo quam valeam vobis dare. Et idem Canonici reſponderunt. Tunc iuit ad Abbatem S. Benedicti de monte ſub Aſſiſio, & eadem verba propoſuit coram Abbate. Abbas verò pietate motus, habito conſilio cum Monachis, operante gratiâ & voluntate Diuinâ, conceſſit B. FRANCISCO & Fratribus ſuis Eccleſiam S. MARIÆ de Portiuncula, eo quia pro Minori, & magis paupercula erat quam haberet.* Sic igitur obtento loco S MARIÆ Angelorum, duodenarium illum numerum ad eum deduxit vt teſtatur S. Bonau: ſupra allegatus. Quæ deductio iuxta ſupputationem Rodul: ſupra N. 15, fuit ab acquiſitione S. MARIÆ Angel: loci 1210. Benedictinis inde, ſemper ſummas

habendas gratias: qui humilis Sodalitij primitias, tam Sacro donarunt loco, & cætera capessenda Monasteria, hoc Dei habitaculo, tanquam ad paupertatis formam, & Sanctitatis germen verè sacrarunt.

17. Ex dictis & probatis, euidenter patet Religionem Franciscanam Riuotorti in illo tugurio, multis titulis derelicto, primitus incepisse, & institutam fuisse: Supputando initium & principium Religionis, tam à conuersione S. P. anno 1206, quo S. P. properè ad loca solitaria Riuotortana, amica mæroribus secessit; ibiq; in eorum cauernulis orasse, pernoctasse, reuelationes, & earum commentaria, instituendæ suæ Religionis, in spiritu habuisse: S. Bonau: abundè cap: 1. & 2. eum edisserit. Similiter computando initium Franciscanæ Religionis, à profectu eius in Vita Spirituali, ab anno 1207, tùm à conuersione Sociorum anno 1208, tùm à confirmatione Regulæ Innocentianæ anno 1299. etiam Riuotortum est initium Mater & caput inchoationis Ordinis Franc: vt probatum est N. 14. Quibus dictis Joannes Baptista de Luca S. R. E. Cardinal: in libro Italicè vulgato cui titulus. Il. Religioso prattico cap: 33. N. 2. de institutione familiæ Franciscanæ, subscribit inquiens. (*Fuit institutus iste Ordo in aliquibus cauernulis dissitis à ciuitate Assisij sua Patria in vno loco vocato Riuotortum.*) Idem astruit Fidelis Onuphrius in suo Summario Historico ad annum 1206. inquiens *16. Aprilis Die Dominica S. FRANCISCVS inchoauit suum Ordinem, dictum Minorum in loco Riuotorti,* & S. Bonau: testis omni exceptione maior hoc idem testatur. cap: 4. Dùm primum diuerticulum quò S. Pater cum Socijs Româ rediens post confirmationem primæ Regulæ se recollegit, fuit tugurium derelictum, supra N. 16. ostensum Riuotortum.

18. Hinc facilis resolutio illius dubij Prædicatorum Minorumuè, quænam antiquior Religio? nam Minorum Patriarcha, priùs sui Ordinis confirmationem procurauit (Verbis vtor S. Antonini) non solemnem tamen per litteras, & quo ad hanc approbationem, fuit prius institutus Ordo Minorum, inquit Antoninus, quantum verò ad solemnem approbationem per Bullas Apostolicas authenticam, fuit priùs Ordo Prædic: confirmatus per

Hono-

Honorium III. Religionum autem antiquitatem, vel tempus e-numerandum esse, a solemni confirmatione vsus obtinuit. Dominicano proinde Ordini inter Mendicantes, primus cedendus locus, qui ob singularem pietatem, tum ob raram doctrinæ præstantiam, quæ semper Catholicam adiuuit Ecclesiam, & fidei Orthodoxæ veritatem vbiq; valide defendit, iure censendus Illustris. Idem censet Flauius Cherubinus in Compend. Bullarij sub Bulla Honorij III. quæ incip. Solet annuere Anno 1223. Scholio 1. inquiens: *Quæro scimus Ordinem B. Franc: institutum ante Ordinem B. Dominici, cur nihilominus iste illi præcedit, vt inquit tex: & gloss: in cap: Quorumdam 24. de elect: in 6. Resp. Quoniam iste scilicet Ordo S. Dominici, ante Ordinem B. Franc: Constit: Apostolica in scriptis obtenta, priùs fuit confirmatus: vt patet ex Const: quæ incipit: Religiosam vitam, Anno 1216. edita.* Idem S. Antoninus cit: hist: part: 3. tit: 24. cap: 7.

ARTICVLVS II.

In quo sensu prima in Ord. Min: Ecclesia S. MARIÆ Angel: Portiuncula nuncupata dicitur initium Caput & Mater Ord: Min.

1. ET quia vulgaris opinio affirmat RELIGIONEM FRANCISCANAM, initium & ortum primum habuisse, in loco S. MARIÆ Angel: videndum est, quam verè & rationabiliter hoc asserat, & quibus fundamentis nitatur. Imprimis se ipsam munit auctoritate S. Bonau: qui de Ecclesia S. MARIÆ Angel: cap: 2. ait: *Hunc locum Vir Sanctus amauit præ cæteris mundi locis. Hic etenim humilitèr cœpit, hic virtuosè profecit, hic feliciter consummauit.* & infra: *hic est locus in quo Fratrum Minorum Ordo à S. Franc. per Diuinæ reuelationis instinctum inchoatus est.* Iterùm se firmat præfata vulgi opinio auctoritate Breuiarij Festorum Ord: Min: Vbi 2. Augusti in Festo consecr: Eccl: S. MARIÆ Angel: 4. lectione dicitur: *Postremo quod ea esset Ecclesia, tàm longè antea à Domino præparata, in qua*

Ordinem suum inchoaret, quàm idcirco Ecclesiam Portiunculæ appellari voluisset: quod esset futura Mater & caput pusilli gregis Fratrum Minorum.

2. Sed hæc opinio in vulgo exordium cæpit, ex sensu deprauato, præpostere intellecto: ex non deprehensa in allegatis verbis amphibologia: dum enim S. Bonau: & Breuiar: Festorum Ord: Min: tribuunt inchoationem, Ordini Franciscano, in loco S. MARIÆ Angel: cumq; Matris & capitis titulo cohonestare videntur, alio sensu accipiunt inchoationem, Maternitatem, & capitis primitatem, ab eo quo vulgus imperitum perperam opinando imbuitur, & decipitur: non enim per verba illa à S. Bonau: & Breuiar: Fest: Ord: Min: inscripta, debet intelligi primaria, & nascens Religionis Franciscanæ, in immediato exortu inchoatio, ac per eam in locum cui prior illuxit, initij Matris & capitis titulorum deriuatio; hic enim primatus in Veritate (vt probatum est Art: I. N. 12.) Soli loco Riuotorti propriè, & naturalitèr competere potest dumtaxat; sed per ea verba intelligi debet posterior, & consequens Ordinis Franciscani iam inchoati, in ampliatione, & dilatatione inchoatio, initiatio, & auspicatio; cuius ampliationis, & dilatationis, initium Mater & Caput dici debet, locus S. MARIÆ Angelorum, in Ordine Franciscano: in quo morali tantum & non primordiali naturali, inceptione, inceptus est Ordo Minorum.

3. Quando enim Riuotorti post confirmationem primæ Regulæ S. Pater, cum illo pusillo grege stetit; ex S. Bonau: supra cit: N. 15. tùnc Ecclesia S. MARIÆ Angel: vt expressè Breuiar: Fest: Ordin: Min: loquitur, poterat dici quod esset futura (non præsens) Mater & caput pusilli gregis Fratrum Minorum, cum tunc iam erat Ordo Minorum förmatus, & confirmatus Riuotorti consistens, & Ecclesia S. MARIÆ Angel: incolatu Minorum tantùm possibilis, longè à Domino præparata, & nondùm ab Abbate Benedictino primitiuo Ordin: Min: vt supra lucu-lentèr probatum est N. 16. concessa. Deindè primum esse Ordinis Franciscani in fieri suæ inchoationis, præcessit in loco Riuotorti absolutè, in loco vero S. M. Angel: primum esse translationis.

nis, ampliationis, & dilatationis, quam præuidens S. P. pro inchoatione eius & inceptione, alium locum voluit quærere præter Riuumtortum, qui ei fine Ecclesia existens, parùm honestus visus est, & incapax, ad capiendam tantam amplitudinem, in loco S. M. Angel: inchoandam, dilatandam, & complendam: & iam in loco Riuotorti, à S. P. in Spiritu præuisam, vt ipsemet fatetur, supra ex Spec: Vitæ allegatus, N. 16. ideò dixit ibi: *quia Dominus vult nos multiplicare vnde mihi videtur. &c.*

4. Et licet veritas natura sua sola sufficiat sibi, ita tamen suo sobolescit fructu, ad se illustrandam, & vbiq; diffundendam ex necessitate veri, vt multas ex se congerminare debeat rationes, & probationes; quas etiam de præsentis veritatis asserto, affatim repullulascere cernimus, quæ ostendunt alio titulo, sensu, & argumento, à Riuotorto locum S. M. Angel: dici debere, initium, Matrem, & Caput Ordinis Franciscani. Et primo locus S. M. Angel: dicitur, initium Mater & Caput Ordinis Min:, ex eo quia tempore sequenti illam translationem duodenarij numeri, Sociorum de Riuotorto, ad locum B M. Angel: omnes Viri vitam sæcularem in Religiosam commutare volentes, non recipiebantur ad Ordinem, & non initiabantur, nisi in loco S. M. Angel: & ideò quia Ordo Min: iam antea Riuotorti inceptus, coaluit & exurrexit, per Conuentus & Prouincias, ex eodem loco, & propagatus ac diffusus fuit, ex illis Fratribus, qui tantum in loco S. M. Angel: & non alibi recipiebantur ad Ordinem, & initiabantur; ideò locus ille dictus est initium, Caput, & Mater, huiusmodi multitudinis, & amplitudinis ibi primo inceptæ, & in forma Religionis adultæ, & propagatæ. Hoc colligitur ex Spec: Vitæ cap: 8. referente de loco S. M. Angelorum: *Omnes Fratres de Ordine concurrebant illuc, & nullus recipiebatur ad Ordinem nisi ibi.* Propterea S. Franc: ob fratrum huiusmodi initiationes, & eorum concursum, locum illum voluit esse formam, & exemplum totius Religionis, vt loco cit: dicitur: Ex hoc tamen concludere non licet; locum illum esse, initium, Matrem, & Caput, quo ad realem inchoationem Ordinis, nisi dumtaxat secundum Moralem inchoationis denominationem.

5. Secundò locus S. M. Angel: dicitur initium, Mater, & Caput Ordinis Min: non ex inchoatione reali omnino prima Ordinis, ſed ex ſponſione ſeu ſtipulatione B. Franc: cum Abbate Benedictino inita, qui dum eum locum dono dedit B. Franc: indidit donationi hanc clauſulam, à B. Franc: & futuro in multiplicatione poſſibili Ordine Obſeruandam, ſcil: vt hic locus vocaretur initium, Mater, & caput Ordinis, ita Spec: Vitæ cap: 55. referens verba Abbatis ſubiecta: *Ecce Frater exaudiuimus quod petiſti, ſed ſi Deus hanc congregationem veſtram multiplicauerit, volumus quod locus iſte ſit caput omnium veſtrum.*

6. Tertiò vocatur hic locus initium, Mater, & Caput Ordinis, non ex principio realis inchoationis eiuſdem, ſed ex principio realis acquiſitionis, & adeptionis primæ in Ordine Eccleſiæ S. M. Angelorum: quod Spec: Vitæ cap: 55. enucleat in hæc verba: *Gauiſus eſt nimis B. Franc: de loco fratribus conceſſo, maximè propter Nomen Eccleſiæ Matris Chriſti, & quod erat ita parua & pauper- cula, & etiam quia cognominabatur de Portiuncula, in qua præfigurabatur quod debeat eſſe Mater & caput pauperum Min:* & infra; *& quod Fratres primi, tunc Eccleſiam de nouo non conſtruerent, neq; haberent niſi illam.*

7. Quartò hic locus S. M. Angel: vocatur initium, Caput, & Mater Ordinis, non ob inſtitutionem realem eiuſdem in ipſo, ſed ob deuotionem & profectum B. P. ac perfectionem, quâ eo in loco meritis B. Matris tantùm profeciſſet, vt teſtatur S. Bonau: cap: 2. Tùm ob reuelationes gratiarum, & prærogatiuarum conceſſiones, B. Franc: in eo loco factas vt Spec: Vitæ cap: cit: inquit. Nos verò qui fuimus cum B. Franc: teſtimonium perhibemus, quod ipſe cum affirmatione Verbi dixit de illa Eccleſia, quod ibidem fuit ſibi reuelatum, quoniam propter multas prærogatiuas, quas ibi Dominus oſtendit, inter omnes Eccleſias de Mundo quas B. M. V. diligit, ipſam Eccleſiam affectuoſiſſimè diligebat. quia vt ait Wading: ad annum 1226. N. 33. *Ibi creuit & exinde dilatatus eſt Ordo Min: ibi Ordo incepit Monialium, illic plura præſtita ei cælitus beneficia, illic ſæpius colloquia habuit Angelorum, illic multoties viſa Virgo SS., ibidem ſe videndum aliquoties Chriſtus exhibuit, ibidem etiam impetrata indulgentia illa magna.*

8. Ex

8. Ex his dictis & probatis hic locus Ecclesiæ B. M. Angel: dicitur caput & Mater Religionis Franciscanæ, non secundum realem inchoationem eiusdem, sed secundum moralem appellationem & denominationem, ex ampliatione resultantem: ad eum Modum quo Romana Ecclesia totius Catholicæ Religionis, seu ipsa Roma dicitur Caput & Mater: non exindè quasi Romæ fides Catholica primo inceperit, & suum exordium sumpserit: clarum enim est ex Euangelio, priùs in Palæstina fidei Catholicæ initia præcessisse, siue in B. V, M. & Iosepho eius Sponso, primis eiusdem fidei cultoribus, siuè in pastoribus Bethlehemiticis ex mente Ambrosij lib: 2. in cap: 2. Luc: Siue in tribus Regibus, ex mente Ecclesiæ & Leonis Papæ Ser: 2. de Epiph: siuè in Apostolis tempore subsequente, & sic fides Catholica priùs in Nazareth, Bethlehem, vel Hierosolymis incepit, quam Romæ. Hinc S. Fulgentius Episc: serm: 5. de Epiph:, inquit. Pastores fuerunt primitiæ Iudæorum, Magi facti sunt primitiæ gentium. Sed Roma dicitur caput & Mater fidei: quia ab ea per B. Petrum & Paulum, & alios Successores, per omnia in Orbe vniuerso Regna, fides Catholica profluxit, atq; propagata est, & in omnem terram exiuit; & nùnc conseruatur in capite visibili, Romæ sedem habente; proinde non ex prima fidei reali inceptione, sed ex Morali dumtaxat appellatione, & reali augmentatione, dicitur Caput & Mater; sic dicendum est de loco S. M. Angel: respectu realis inceptionis Religionis Franciscanæ. Hoc totum approbat Spec: Vitæ cap: 87. dicens: *Hoc intra templum genitus fuit Ordo Minorum. Dum Patris exemplum sectatur turba Virorum. Et dilatata virtus in gente vocata &c.*

9. Omissis tamen Riuotorti & S. M. Angel: primitiuis locis, placuit Gregorio IX, Basilicam & S. Conuentum Assisiensem, pro Matrice & Capite totius Ordinis Minoritani, publico diplomate instituere, & vniuerso mundo publicare. Licet enim ipse Summus Pontifex, in Vita B. Francisco familiaris, & post mortem eius cultor eximius (à qua biennio exacto ipsum in Catalogum SS. retulit) B. Francisci altissimam in vitæ conuersæ actu, expertus fuisset paupertatem, & hanc ipsius fuisse probasset volun-

voluntatem, vt Fratres sui Ecclesias pauperculas sibi construi prouiderent: quorum & habitacula voluit haberi pauperrima, vt refert Spec: vitæ cap: 5. pag: 10. b. Scilicet casellas ligneas, non lapideas eaq; vili schemate constructas & ædificatas, ob quam causam Ecclesiam B. M. de Angelis, cum præ cæteris dilexisse, refert Spec: vitæ cap: 55. pag: 32. b. quia erat ita parua, & paupercula, ut ob id de Portiuncula cognominaretur: quæ intentio S. Patris, & si notissima fuisset Summo Pontifici, & specialis dilectio ad Ecclesiam S. M. Angelorum benè, per experientiam perspecta, quod eam voluisset esse, caput, Matrem, & initium sui Ordinis, tamen his omnibus postpositis, cernens altissimam paupertatem S. Patris æternæ gloriæ diuitijs compensari in cælis, zelo majoris honoris eius promouendi, succensus in terris: magnificam & augustam Basilicam velut prægrandem & splendidam molem, in qua corpus Christiformè conderetur, primarium angularem iaciendo per se lapidem, Assisij generosè fundauit, & in honorem illius S. thesauri ibidem reconditi, non Ecclesiam S. M. Angelorum (vt in Vita sua S. P. desiderabat) sed eandem Basilicam Assisiensem vniuersi Ordinis Min: cuius Institutor & Pater ibidem extitit sepultus, statuit vt haberetur Mater, & caput, ac in ea per fratres eiusdem Ordinis perpetuò seruiretur, quod à præfato tempore vsq; nunc per Fratres Min: Conu: S. FRANCISCI primogenitos, & patrimos filios præstatur; antequam posthuma eidem S. Patri nata fuisset, per reformationem progenies, fetu nouæ prolis multiplicata.

10. Sciebat sanè Summus Pontifex, B. Patriarchæ in sua Regula promissam obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac Successoribus eius, canonicè intrantibus: proindè benè callens animum & consilium S. Patris, remunerando tantum paupertatis amorem, & profunditatem humilitatis; non Ecclesiam S. M. Angelorum vti ipse volebat, Sed eam ipsam in qua ipsius S. Corpus, signis redemptionis nostræ sigillatum quiescit, prædicta prærogatiua decorauit, & priuilegiauit. Insuper in perpetuum decernens, vt eadem Basilica Assisiensis, hac speciali libertatis eminentia gauderet, vt nulli nisi in Summo Pontifici,

tifici, & Sedi Apostolicæ, in perpetuum valitura subderetur. Originale huius libertatis seruatur, tàm Romæ in Vaticano, quàm in Sacrario S. Conuentus Assisiensis, à Fratribus Min: Con: ibidem residentibus: qui in memoriam huius libertatis; quolibet anno soluunt vnam libram ceræ vt testatur Rodul: lib: 2. pag:247.

II. Hanc etiam Basilicam post Nicolaum IV, Alexandrum V, Sixtum IV, ex Ordine Min: Conu: assumptos Pontifices. Sixtus V. de eodem Ordine, tam post diuisionem Leoninam PP. de Obseruantia, à PP. primitiuis Conuentualibus; Pontifex assumptus, ampliùs condecorare cupiens: in ea Archiconfraternitate Chordigerorum instituit, & erexit, ac Generali Ministro Min: Conu: à primo post S. Franciscum Generali Helia, in ea tanquam totius Minorum Religionis Sede, & Matrice, per concatenatam successionem, vsq; in hodiernum diem sedenti, dedit facultatem: vniuersè in omnibus Ecclesijs, tam Min: Conu: quàm Capucinorum, & de Obseruantia nuncupatorum, alias aggregandi Confraternitates, eam Caput aliarum instituens, in Bulla quæ incip. *Ex supernæ.*

ARTICVLVS III.

De Institutis & Regulis S. F., Extantis Regulæ valore. SS. Stigmatum & Mortis S. P. tempore.

I. CVm B. Franciscus tres Ordines instituerit, primum cuius nascentis initium in prioribus Articulis pertractauimus, & in progressu de eo acturi sumus secundum S. Claræ pauperum Dominarum, Anno 1212. vt scribit Rodul: hist: Seraph: pag: 122. & Wading. ad eundem annum. Tertium Ordinem eorum qui dicuntur Tertiarij seu de pænitentia, sexum capientem vtrumq; anno 1221. in Oppido Canariæ, vt idem Rodul: hist: Seraph: pag: 145. b. asserit, & Wading. ad eundem annum: & cuicunq; adaptatam viuendi præscripsit Regulam, vt videre est apud Wading: annis cit: Nos de primo tantùm in præsentiarum tractantes, aduertimus ex Spec: Vitæ cap: 1. & D. Bonau: cap: 4. tres Regulas

S. Patrem pro eo conscripsisse: primam scripsit Riuotorti, vt ex Rodul: diximus Art. 1. n. 12. Secundam reuelatione Dei communitus, vt dicit S. Bonau: cap: 4. *ex priori profusius tradita, in compendiosiorem formam redegit, in monte Rainerij siue Columbæ, quam per incuriam Fr. Heliæ Vicarius se perdidisse dissimulauit:* Tertiam scripsit in eodem loco, vbi secundam in tertia, ac si ex ore Dei verba susciperet, illicò reparauit, & hanc ab Honorio III. anno 1223, Pontificatus eius anno VIII. obtinuit confirmari, per diploma quod incipit *Solet annuere* &c.

2. Hæc Seraphica Regula ab Honorio III, 1223. pro tota Minorum Religione Franciscana confirmata, conseruatur vsq; in præsentem diem, in suo originali Manuscripto, in Sacro Basilicæ Assisiensis Reliquiario reposito: quod in argenteis thecis pia Veneratione, asseruant FF. Min: Con: primogeniti S. Patris filij, & tam S. eius Corporis, quàm præfatæ Regulæ hæreditarij possessores, & Custodes: pro quibus Vrbanus VIII. in sua Constit: quæ incip. *Militantis Ecclesiæ* &c. eiusdem Regulæ declaratiuas Const: & interprætationes suo Vrbano nomine, gloriosè insignitas edidit; quibus textum istiusmet Regulæ ex Originali ante dicto, transcriptum præmittere voluit, vt ipse ait in cap: 1. Reg: tit: 2. n. 1. *Quoniam Seraphicæ Regulæ textus his Constitutionibus iure præmissus, ex Originali quod Assisij in Sacro nostræ Ecclesiæ Reliquiario pia veneratione seruatur, verbatim excerptus est, propterea si quis eum vllo vnquam pacto, immutare seu quomodolibet innouare præsumpserit, falsi pœnam statim se subiturum sciat.*

3. Idem Vrbanus VIII. præfatam Regulam, dictis declarationibus, & Constitutionibus modificatam, ac determinatam, pro solis Min: Con: promulgat seruandam: & ipsis aduersos susurrones, qui eos secundum huiusmodi Regulam viuentes lancinare, & sugillare èpudoratè præsumunt: diris deuouet, & anathemate percellit loco cit: n. 2. inquiens: *Ad eorum vero temeritatem coercendam, qui dicterijs captiosisq; verbis, Ordinem insequentes, Regulæ transgressores Conuentuales vocant: quod non ad literam sine glossa, sed ad præscriptum Priuilegiorum, Apostolicarumuè Declarationum, S. Francisci institutum obseruent; Monemus omnes & singulos, quod quisquis seu*

dictis,

dictis, seu scriptis Fratres Min: Con: iuxta has Constitutiones viuentes, non esse veros Regulæ S. Francisci obseruatores, ausus fuerit quoquomodo asserere, Mox Apostolicæ Sedis excommunicationem sese incurrere sciat. Subiungens n. 3, eiusmodi suarum Constitutionum, & Declarationum, Regulam dictam S. Francisci legitimè, & valide restringentium, & non truncantium, neq; secundum quid deformantium; demonstratiuam istam rationem. *Cùm enim neminem adstringere possit S. Franc: Regula, nisi quia à Summis Pontificibus, & Apostolica Sede approbata, confirmata, & recepta, hanc ob rem ipsius Sanctissimæ Sedis arbitrio est, eam pro tempore sic declarare, mitigare, interpretari; & quòd Fratres sic declaratam, firmiter & fideliter obseruantes; Veri filij sint, & S. Francisci sequaces, eiusq; Sanctissimæ Regulæ professores, & seruatores statuere. Quare contra Constitutiones & Declarationes huiusmodi quidpiam attentare, siue præsumere: vnusquisq; facilè intelliget quàm temerarium sit.*

4. Ipsius namq; Summi Pontificis summa est, super Regulas omnium Ordinum auctoritas, per quam illæ auctoritatem accipiunt, & valorem sortiuntur: ipsaq; Pontificia approbatione animantur, & viuunt: tantam vitam continentes, quantam Summus eis inspirauit Pontifex; & tantum & tam diu viuunt, quantùm & quàm diu Pontifex eis vitam influit, & inspirat, vt aperte habetur in iure in cap: *Religionum.* de Relig. Dom. lib. 6. & in Clem: cap. *Regulares* de suppl: negl: Præl. suntq; omnes excommunicati ipso facto, inuentores Nouarum Regularum, nisi à Sede Apostolica approbentur, per extrauag, Joannis 22. quæ incipit *Sancta Romana*, & recitat Panorm: in cap: finali de Rel: Dom: Quare a Summo Pontifice sine dubio, quælibet Regula, prout est peculiaris Sodalitij norma viuendi, dùm iusta causa subest reprobari & adnullari potest. Si reuocare, si infirmare, si temperare, & módificare velit: in ipsius est potestate. Verùm est vt dicit Bernardus. *Non cuilibet hominum mutare fas est Regulas Sanctorum, Basilij, Augustini,* (adde Francisci,) *aliosq; authenticos canones, sed Solis dispensatoribus Mysteriorum* DEI: quia namq; ab hominibus traditæ sunt, etiam per hominum Rectores licitè interdum, innoxieq; pro causis, personis, locis, & temporibus dispensantur.

Hinc dùm Ordo Obſer: in modificantibus primum obedientiæ Votum fuit diſpenſatus, primò per Concil: Conſtant: anno 1415. in tribus tantum Galliarum Prouincijs vt infra dicitur Art:13. n.5. poſtmodum vniuerſaliter per Eugenium IV. anno 1446. vt infra dicitur Art:14. n. 19. dubitatum fuit à Fratribus Obſer. an ipſi Regulam S. Franc. Sic in modificantibus, Votum Obedientiæ ſeruantes diſpenſatam, ſimpliciter & purè non ſecundum quid, ſeruare eam dici valerent: Et ſupplicatum fuit Pio II. anno 1464, qui valorem Regulæ, & eius Obſeruabilitatis peripheriam, à Pontificia poteſtate dimetiendam cenſuit; Conſtit: quæ incipit. *Circa Regularis*, quàm Wading. ad annum præfatum N.18. ponit in hæc verba.

5. *Cum itaq; nuper acceperimus fuiſſe aliquando nonnullos, qui dubium ducerent, vtrum vos, qui in profeſſione Regulæ Veſtræ videmini obligati viuere, ſub Obedientia Miniſtrorum Ordinis, iuxta ipſius Regulæ à B. Franciſco editæ, & per Sedem Apoſtolicam multipliciter confirmatæ, & approbatæ literam; cum nunc ex conceſſione & determinatione Apoſtolica, præſertim fel: rec: Eugenij* IV. *& Nicolai* V. *Romanorum Pontificum noſtrorum prædeceſſorum & noſtra, Veſtros Superiores Vicarios appelletis, & non Miniſtros, Regulæ ipſius Mandatum adimpleatis: an potiùs præter illam agentes grauiter, & contra Votum profeſſionis: præſertim Obedientiæ delinquatis. Vnde factum ſit vt in conſcientijs aliquorum ex Veſtris, propterea ſcrupulus aliquando ſuboriatur, ex eorum ſententia, qui Apoſtolicas præfatas determinationes, non ad plenum intelligunt: Volentes ſuper huiuſmodi ambiguitate Vobis conſulere, & conſcientiarum Veſtrarum quieti, de benignitate Apoſtolica prouidere, omniumq; mentes, propterea de Veſtro ſtatu ambiguas Paternali affectu quantum in nobis eſt, quietas reddere, & ſalubriter attendentes, quod ſicut ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate, nulla Regula, ſeu modus religioſè viuendi, rectè inſtituitur, aut declaratur: neq; interpretari poteſt. Ita in eius poteſtate eſt & inſtituta, ſi vellet in melius commutare, & prout viuentium in eis animarum ſaluti uouerit conuenire, ſuo arbitrio, Ordinationes nouas, ac determinationes inſtituere, & Prælatorum eorundem vocabula, ac denominationes immutare, alterare, & interpretari. Auctoritate Apoſtolica, & ex certa Noſtra ſcientia interpretamur, & declaramus,*

quod

quod cum Sedes præfata Veſtræ familiæ de Obſeruantia, poſt Generalem totius Ordinis Miniſtrum. Generales & Prouinciales Vicarios Miniſtrorum loco, certis pijs & Sanctis reſpectibus, eſſe voluerit & decreuerit, Vicarij ipſi qui vobis præſunt, & quibus vos ex debito profeſſionis Veſtræ prædictæ obeditis, veri & indubitati veſtri Miniſtri, & tales quales B. Franciſcus Regulam præfatam, & Deus fore intendebat, ſunt & perpetuò erunt: quoadvſq; Apoſtolica Sedes, in cuius arbitrio conſiſtit, aliud alio tunc reſpectu ordinare ſtatuerit; differentes à prædictis ſolo nomine, & id ex præmiſſa determinatione Apoſtolica, quam ipſi quoq; præſentium tenore, ex ſimili auctoritate, & ſcientia, ratam & gratam habentes: confirmamus & approbamus, voſq; qui eiſdem Vicarijs obeditis: Secundùm determinationem prædictæ Sedis Apoſtolicæ, Regulæ Veſtræ præfatæ, & præcipuè in ea parte vbi eſt. Præcipio firmiter fratribus Vniuerſis, vt obediant ſuis Miniſtris, plenè & integrè ſatisfacitis, plenèq; & integrè ſatisfacere auctoritate præfata, per præſentes decernimus & declaramus.

6. Licet B. Franc: magnam S. M. Angelorum indulgentiam à Chriſto Domino anno 1221. miraculosè obtinuerit, vt Wading. ſcribit ad eundem annum n. 22; tamen hoc anno, quo fuit ipſius Regula ab Honorio III. confirmata, ſcilicet 1223. eiuſdem indulgentiæ, modo primùm ab eodem Chriſto, itidem miraculosè deſtinata dies fuit, in quo fideles, participes eſſe poſſent tanti beneficij: Sic Chriſto ipſo in præſentia SS. V. Matris determinante. *Volo ſit dies illa in qua Petrus Apoſtolus meus fuit à vinculis ſolutus: incipiendo à ſecundis Veſperis illius diei, vſq; ad veſperas ſequentis; includendo noctem intermediam: quo tempore quicunq; hanc Eccleſiam ingreſſus fuerit, plenam quam poſtulaſti indulgentiam obtineat:* ita Wadin: ad cit: annum n. 1. Sequenti autem anno, ſcilicet 1224. in carne ſua B. Fran: noſtræ redemptionis pignora, cicatrices accepit à Chriſto: totus in Chriſti Jesu crucifixi, expreſſam ſimilitudinem transformatus; vt hoc ſubſequenti ſigillo, Regula paulò ante confirmata, tota diuinitùs authenticè probaretur fuiſſe reuelata, vt S. Bonau: cap: 4. teſtatur, aſſerens. *Quo vt certiùs conſtaret, teſtimonio Dei, paucis admodum euolutis diebus, impreſſa ſunt ei Stigmata Domini Jesv; digito Dei viui, tanquam Bulla Summi Pontificis Chriſti, ad confirmationem omnimodam Regulæ, & commendationem auctoris.*

7. Tandem Vir Seraphicus in præfatis factus Christo per omnia conformis, iam completis in eum cunctis Mysterijs, obdormiuit in Domino Anno 1226, vt S. Bonau: testatur cap: 14. inquiens: *Cùm itaq; per biennium ab impressione SS. Stigmatum, anno videlicet à sua conuersione 20, multis fuisset angustiantium infirmitatum, probatiuis tunsionibus conquadratus, tanquam lapis in supernæ Jerusalem ædificio collocandus - - - - Tandem cunctis in eum completis mysteriis, anima illa Sanctissima carne soluta, & in abyssum diuinæ claritatis absorpta, Beatus Vir obdormiuit in Domino:* & cap: 15. idem S. Bonau: ait: *Transijt autem V. Pater ex hujus mundi naufragio, anno Dominicæ Incarnationis, Millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto nonas Octobris, die Sabbati in sero, sepultus in die Dominico in Ecclesia S. Gregorij: in eo siquidem loco puerulus literas didicit, ibiq; postmodum prædicauit, postremo ibidem locum primum quietis accepit; quem Gregorius IX.* (vt ibidem S. Bonau: refert:) *Veniens personaliter ad ciuitatem Assisij, anno Dominicæ Incarnationis 1228, 17. Kal: Augusti die Dominico, cum maximis, quæ longum foret enarrare solenniis: B. Patrem catalogo SS. adscripsit.* Anno vero Dñi 1230. conuenientibus Fratribus ad Capitulum Generale, Assisij celebratum, ad Basilicam in honorē ipsius constructam; Corpus illud Domino dedicatum, 8. Kal. Junij translatum est. Impositum plaustro, seu currui pulcherrimo; mira & pretiosa varietate ornato; quem ob ingentem molem trahebant boues, purpura cooperti: quod S. Corpus in eodem loco, qui antea Collis inferni, & à Gregorio IX. per antithesim collis paradisi appellatur sepultum. Ab eodem anno & die eius primogeniti, Fratres Min: Con: ibidem persistentes illud pia veneratione colunt, & custodiunt. Dum B. P. ad S. M. Angelorum expirauit, feretro hi versus affixi fuere.

Hic expirauit, qui mundum suppeditauit
Qui sacram mentem direxit in Omnipotentem.



ARTI-

ARTICVLVS IV.

De Successu Religionis Franciscanæ, post mortem B. Patriarchæ assurgente, per catenatam à S. Francisco, & nunquam interruptam Ministrorum Generalium seriem.

1. FRanciscana Religio Ord: Min: Con: primiceria, vt catenatam & non interruptam, sed immediatam, & directam continuata progressione contextam, suorum Ministrorum Gen: ostendat seriem: in præsenti Articulo, velut in prædicamentali cathegoria, ceû arbore consanguinitatis, Supremo sui Patriarchæ fastigiata culmine, vsq; ad hodiernum Patrem Magistrum Antonium de Auersa Auerlanum, totius Ord: Min: Con: Ministrum Gen: in collateralem ramum non auersum, sed oculis ipsis subiectum, successionis immediatæ concatenatum demonstrat Archetypum. Probatio enim ad oculum alias vincit, vt dicitur in iure instit: de gra: §. agnationis: nam ex ostensione facti, quædam meliùs percipiuntur, quam expressione alicujus statuti cognosci possint, vt dicitur de donationibus cap. *Apostolicæ* versus finem.

2. Recolendum igitur est ex Regula ipsa Minorum; solùm B. Franciscum Religionis suæ fuisse Ministrum Gen: in Regula, & cum Regula, à Numine Diuino electum, vt cap: 1. dicitur. *Frater Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac Successoribus, eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ: & alij Fratres, teneantur Fratri Francisco, & eius Successoribus obedire.* Tempore cuius Ministeriatus Generalis, quo à Deo Religioni suæ fuit præfectus: postquam illum primicerium numerum duodenarium, Riuotorto ad S. M. de Angelis deduxisset collocatum, inter exorientis Religionis initia, ibidem celebrauit primùm Capitulum vulgò Storcarum dictum, Anno 1217. à conuersione sua anno 11, à conuersione Sociorum anno 9. ab approbatione Regulæ

Inno-

Innocentianæ anno 8. ab aquisitione eiusdem loci S. M. Angelorum anno 7. vbi B. P. Franciscus contemplatus est supra quinq; millia Fratrum; quod miraculi loco memorari debet. Et hujus tantæ multitudinis, exceptis 12. Socijs primicerijs, vel Assisij, vel Riuotorti ad Religionem receptis, hic locus S. M. Angelorum; fuit Mater, caput, & initium: cum non alibi Fratres ad Ordinem recipiebantur nisi hic, vt dictum est supra. Huic Capitulo S. Dominicus Caput Ordinis Prædicatorum, cum septem filijs de suo Ordine affuit, vt testatur Spec: Vitæ pag: 131. b. & Rodul: pag: 237. B. Dominico, Octauum Socium adiungit.

3. Sed quia ipse S. Patriarcha in Summa austeritate, Vitæ omnifariam excogitabili, seruire Deo instituerat: ne in eiusmodi comministerio, ab orationis studio retraheretur; Generali præfecturæ, coram omnibus in Conuentu Fratrum Capitulari, sponte cessit, vt Rodul: lib: 2. pag: 160. b. testatur, & Spec: Vitæ cap: 38. pag: 26. refert. *Ad seruandam sanctæ humilitatis virtutem paucis annis elapsis, post conuersionem suam in quodam Capitulo, coram omnibus Fratribus resignauit Officium Prælationis dicens: A modò sum mortuus vobis, sed ecce Fr. Petrus Cathani, cui ego & vos omnes obediamus: & prosternens se in terra, coram ipso obedientiam, & reuerentiam, promisit eidem. Flebant ergo omnes fratres, & dolor nimius altos gemitus extorquebat, cum se videbant quodammodo orphanos fieri tanto Patre. Surgens autem B. Pater eleuatis oculis in cælum iunctis manibus dixit. Domine recommendo tibi familiam quàm mihi hactenùs commisisti, & nunc propter infirmitates, quas tu nosti Dulcissime Domine, curam ipsius habere non valeo, eam recommendò Ministris, qui teneantur in die iudicij coram te Domine reddere rationem. Si quis frater propter eorum negligentiam, vel malum exemplum, seu aspectum, asperam correctionem perierit. Permansit ergo extunc subditus vsq; ad mortem: humilians se, habens in omnibus quantum aliquis aliorum.* Tantæ enim S. Pater fuit humilitatis, & omnigenæ virtutis exsuperans affluentia: vt propter eminentes eius virtutes, & præcipuè humilitatem, Sedem primi Angeli eum obtinuisse testatur S. Bonau: cap: 6. vitæ eius, vti Fratri Pacifico in Enthusiasmum eleuato, & in cælum rapto, multas sedes ibidem conspicienti; & præcipuè

vnam

vnam cæteris eminentiorem, & omni gloria fulgentiorem admiranti, & hanc vocem audienti. *Hæc Sedes fuit Luciferi & loco illius sedebit in ea Fr. Franciscus humilis.* reuelatum fuit; ita refert Spec: vitæ cap: 62. pag: 41. b.

4. Præterea idem Spec: cap: 40. pag: 36. b. ait. *Interrogatum semel B. Patrem à quodam Fratre, cur Fratres sic tradiderat eorum manibus, quasi ipsi ad eum nullatenus pertinerent? respondit: Fili mi ego Fratres diligo sicut possum, sed si mea sequerentur vestigia, ipsos vtiq; plùs amarem, nec me illis redderem alienum. Nam sunt quidam de numero Prælatorum, qui ad aliena trahunt eos, proponentes illis antiquorum exēpla, & parùm mea monita reputantes; sed quid & qualiter nunc ipsi agant, in fine clariùs apparebit* Et cap: 84. pag: 69. idem Spec: refert S. Patrem hæc verba Fratribus dixisse. *Ego iuraui & statui custodire iustitias Domini, & seruare regulam quam ipse Dominus dedit mihi: & illi qui me voluerint imitari. Ipsi etiam Fratres omnes obligauerunt se ad hoc, sicut & ego: & ideo postquam dimisi Officium Fratrum, propter infirmitates meas, & alias causas rationabiles. non teneor amodò nisi pro Religione, & bonum exemplum fratribus exhibere: nam illud à Domino habui.*

5. Primum in Vita sua S. P. habuit Vicarium, B. Petrum Cathaneum suum Socium secundum: cui ab humanis sublato, successit Fr. Helias Vicarius secundus, qui vsq; ad obitum S. Patris Religionem Franciscanam gubernauit: quam S. P. post mortem suam in manu eius reliquit, vt refert Spec: vitæ pag: 167. dicens. *Post mortem B. Francisci & eius obitum gloriosum, legitur reliquisse Ordinem sub manu Fratris Heliæ.* Nullus enim viuente S. Patre ausus est alium Generalem Ministrum eligere, aut instituere, aut ab alio eligi & institui consentire, præterquam à S. Patre: vt colligitur ex Rodul: lib: 2. pag: 160. b. qui epistolam à B. Patre ad Fratrem Heliam, tunc Vicarium Generalem scriptam subijcit: quæ quia Superioribus Speculum gubernij exhibet, eam hic verbatim placuit exscribere.

6. *Frater det tibi Dominus suam S. benedictionem, in omnibus sis patiens, & benè dispositus: si in aliquo à Fratribus tuis offenderis, accepta referas Deo; in hoc solùm cognoscam, si es seruus Dei: si er-*

rantem Fratrem, misericordia reduces ad Deum: & si grauiter errantem amare non desieris. Et si aliquo timore humano id attentare non audeas, pete ab eo si misericordiam cupiat: & si aliquis (suadente diabolo) ceciderit in aliquod graue peccatum, recurrat ad Guardianum: ille verò transmittat ad Prouincialem; qui misericorditer recipiat, & si viderit illum esse contritum, dicat illi, Vade & noli ampliùs peccare.

7. Sed qui post mortem B. Patris immediatè Minister Gen: successerit, non leuis est inter historicos Franciscanos dissonantia. Franciscana namq; Religio, sub manu Heliæ a S. P. relicta, post obitum eius gloriosum, ob malam vitæ Heliæ consuetudinem, varijs diuexata est molestijs, ac perstricta angoribus: ita vt agnoscere in eo, primatum successionis in Generalatu, post S. Patrem immediatæ, quodammodo erubescere videatur: cùm non solum, an fuerit primò, sed etiam vbi fuerit post S. Patrem in Generalem electus, in controuerso teneant, Historiographi Franciscani: Alij pro Joanne Parente de Carminiano: Alij pro Helia calculum ferentes. Heliæ subscribunt Bernardus à Bessa S. Bonauenturæ socius; in suis Chronicis. Jacobus de senis peruetustus auctor, Marcus Vlisiponensis, & Marianus Florentinus, quos citat & sequitur Wading: ad annum 1227. n. 3. Spec: vitæ S. P. pag: 207. licet fauisse Joanni Parenti videatur, non obscurè tamen indigitat Heliam post S. Patrem primum fuisse Gen: Ministrum, dum eadem alterius partis cit: pag: dicit *isti* (id est Joanni Parenti) *successit Helias, qui & ante ipsum, aliquo tempore Ministri locum tenuit: Vir adeò Sapientia humana famosus, vt raros in ea pares, in Italia putaretur habere.* Si ergo ante Parentem Ministri locum tenuit, iam constat, primùm post S. Patrem fuisse Gen: Ministrum: cum status controuersiæ vertatur tantùm, circa Heliam & Parentem, quis eorum prius & immediatè successit in Ministeriatu, post obitum B. P. Fran: maximè quia Parens tantùm semel fuit Min: Gen: electus.

8. Rodulphus etiam licet pro Joanne Parente pag: 176. & pag: 237. suffragium ferat: asserens eum anno 1227. immediatè post mortem B. P. in Gen: Ministrum electum fuisse, tamen volens & inuitus cogitur fateri, Heliam primum fuisse post S. P. Gen:

Gen: Ministrum: dum pag: 74. post priores quinq; Franciscanos Prothomartyres (quorum Martyrio B. Antonius Bullonius successus, ex Canonico Regul: factus est anno 1220. Frater minor, & postea primus in Ordine Regens) septem posteriores Martyres sequentes describit, & eis eundi inter infideles facultatem, anno 1227. à Ministro Gen: Helia impertitam, fuisse testatur: etiam annum expressè adijciens pag: 75. b. inquiens. *In officio Bracarensi celebratum Martyrium anno 1221. impressoris vitio, cum potius fuerint Martyrizati anno 1227. anno integro ab obitu B. P. Francisci.* Si igitur dicti Martyres acceperunt facultatem, eundi inter infideles, à Fratre Helia Ministro Gen: anno 1227, iam eodem anno Joannes Parens, non potuit esse Minister Gen: cùm à Festo Pentecosten (in quo statim ab initio Ordinis Capitula Generalia, ex præscripto Regulæ celebrari consueuerunt) nedùm medietas anni effluxisset.

9. Hoc ipsum Festorum Ord: Min: Breuiarium, ad 13. Octobris apertè approbat; dùm in 4. lect: eorundem Martyrum inquit. *Anno salutiferi Christi supra. Millesimum ducentesimo vigesimo septimo, sexto Idus Octobris &c. Frater Daniel Minister Calabriæ cùm sex alijs Fratribus &c. Hi à Fratre Helia Gen: Ministro Patrisq; Francisci tunc agente vices obtenta facultate, & Tusciæ plagis ducente Christo, ceptam Saracenorum Vrbem perrexerunt.* In Summa concludens eos post aduentum suum, octauo die Martyrium subijsse. Ex quo apertè datur intelligi, dicto anno Heliam Ministrum Gen: fuisse, quo facultatem eis dedisse constat. Et qui oppositum tenent, præcipuè ex Chronologis Franciscanis: qui ex III. cap: Reg: D. Officium, & dictum Breuiarium recitare tenentur, ostendunt quod in recitatione dicti Officij patiuntur molestiam vocis, sed non adijciunt consonantiam mentis.

10. Hunc eundem Heliam primum Generalem à B. Fran: agnoscit cum suo Wadingo Vniuersa Religio obseruant: in suis Constit: Romæ anno 1663. impressis. Augustinus de Witte Obser: in sua Genealogia Franciscana Wadingum secutus. Ex diametro aliter alij astruunt Scriptores, vt Petrus Marchan: in expos. lit: Reg: pag: mihi 57. vbi vti in cæteris deuius & prauus vetitæ

lectionis Auctor figmenta conflans (vt infra patebit) à primis veritatis principijs sinistro affectu abstractus, Joannem Parentem S. Francisco immediatè concatenat, Heliam verò in tertio gradationis descensu reponit; Sola & solita absq; probatione licentiæ suæ auctoritate historias fundens; vbiq; fermè ad eum modum quo pag: 498. asserit. Heliam bis à Vicariatu Ordinis, semel à Generalatu fuisse depositum: cum per omnes Historicos Ord: Min: constet, nunquam à Vicariatu, & bis à Generalatu, fuisse depositum. Vt ex præsenti scripto cuiq; probatum patere potest. Bzouius quintum Generalem in serie Generalium Franciscanorum numerat, ad annum 1254. n. 10. cujus errorem corrigit Wadingus ad annum 1253. n. 30. inquiens. *Fr. Helias ex aperto errore quintus Ordinis Minister dictus à Bzouio: cum fuerit à Francisco primus*, vt superius in priori Tom: suo loco probauerat; sic diuersi diuersa.

11. Sed ad indagandam antiquitùs transactorum veritatem, illis auctoribus est deferendum; qui vel ipsis antiquitatis temporibus conuixerunt: vel eis propiores fuerunt; Moderniores si quas de antiquorum gestis, opiniones varient, nullum vetustum allegando Scriptorem; nihil faciunt, nisi dicunt quod non probant: fidem exigunt, sed non faciunt, nisi pro seipsis: quæ penes auctores manens, penitùs si inspiciatur, paulò maior agnoscitur ab ea, quæ debetur Ouidio Metamorphoseon scribenti. Huiusmodi Scriptorum suorum, si habeant sequaces, anserum morem imitantes, præuolantem sequentium, nulla ratione subnixam; exindè anserini Scriptores audire merentur. In tali ergo Auctorum æstu antiquitatis auctoritas, dictorum cohærentia, rationis ductus probabiliorq; censura sequenda est. Nam vt eruditè nostras, Illustris Vir ingenij Vespasianus Kochowski, Eques Polonus, in suis Annalibus aduertit. *Faciliùs dissociata conuenire horologia, quàm inter se Historicos.* Ego Heliam primum Generalem à B. Franc: ex auctoritate referentium citatorum antiquorum Auctorum sustineo extitisse: cui in morte B. Pater benedixit, referente Wadingo ad annum 1226. n. 23. in hæc verba: *Cum à sinistris ipsius genuflexus hæreret Helias; manibus cancellatis & dextra eius*

capiti,

capiti immissa, dum omnino cæcutiret quis esset? interrogauit. Responsum Heliam esse; Benè inquit se res habet, & benè requiescit super eum dextera mea. Te fili mi, addidit, in omnibus, & super omnia benedico, & sicut in manibus tuis fratres meos, & filios augmentauit Altissimus: ita & super te: & in te omnibus benedico. In cælo & in terra benedicat te Rex omnium DEVS. *Benedico te sicut possum, & plusquam possum: & quod non possum ego, possit in te, qui omnia potest. Recordetur* DEVS *operis & laboris tui, & in retributione iustorum, sors tua seruetur. Omnem benedictionem, quam cupis inuenias, & quod dignè postulas impleatur.*

12. Secundus Minister Gen: fuit B. Joannes Parens: electus Romæ in præsentia Summi Pontificis, Gregorij IX. anno 1230, vt Wading: iisdem quibus pro Helia probat auctoribus, ad eundem annum n. 11. Cùm enim Helias præter malam suam viuendi normam (ob quam inter fratres malè audijt) vlteriùs quædam priuilegia subreptitia obtrudere voluisset, contra genuinam Regulæ puritatem: præcipuè circa res pecuniarias, quas in quibusdam casibus recipi posse, per interpositas personas fratribus persuadere conatus fuisset. Duo Viri præclari Antonius Lusitanus, à Padua dictus, & Adam de Marisco Anglus; Videntes imminentem subuersionem status Euangelici, & detrimentum Religionis: Heliæ in faciem restiterunt: Sed nil eo zelo proficientes, imo ob id malo verbo & verbere affecti, appellationem ad S. Sedem interposuerunt. Et à Regia via ad anfractus deflectentes, nè caperentur ab Helia; festinato gressu ad Pontificem Romam properarunt, eiq; suas querimonias placidè exposuerunt: qui statim Ministrum Gen: Heliam, & omnes Viros Capitulares Assisio Romam citauit; Vbi exauditis partium controuersijs, Heliam vti malo suo exemplo Ordinem deprauantem, ab Officio absoluit, & in præsentia sua ad electionem alterius procedere mandauit; ipsemet Pontifice Suffragia excipiente, & absq; vlla mora electum Joannem confirmante.

13. Hic Joannes Minister sex annis præfuit & eius mentionem in præfectura constituti facit Wadingus ex Mariano & D. Antonino, ad annum 1235. n. 25. quod præsens adfuerit consecrationi

crationi vtriusq; Ecclesiæ Assisiatis, scilicet Mediæ & Supremæ: quæ super infimam, in qua Corpus. S. Francisci est reconditum, magnificè consurgunt. Hanc vtramq; Gregorius IX, cit: anno 20. Aprilis solenniter consecrauit, & Joannem Ministrum Gen: misit Legatum suum Romam, ad flectendos animos Romanorum, populari seditione tumultuantes. Hic idem Joannes celebrauit Comitia Generalia anno 1236, in quibus fratris Heliæ fautores irrumpentes, in consessum & tumultuaria voce Heliam Generalem acclamantes, eum violenta manu arripiunt, & Generali loco constituunt. Videns illorum temeritatem Joannes Parens tenere fleuit, dolens vehementer, adeò potenter, & citò in Ordine inualuisse, dominandi appetitum, & discissam in partes Religionem, vt in tantam prorumpendum fuerit insaniam. Hæc ex Mariano & Bernardo à Bessa refert Wading: ad cit: annum n. 1. Quibus Spec: vitæ pag: 168. concordat in facto; nonnisi in circumstantia temporis discrepans. Hoc anno Heliam iterata vice electum connumerant aliqui, tertium à S. Francisco Ministrum Gen: sed imperitè vt infra probamus Art: 5. n. 18. Eò igitur ob malam vitæ eius consuetudinem, iterùm Pontificia auctoritate amoto. Vt Wading. Probat ad annum 1239. n. 7.

14. Tertius Minister Gen: fuit electus Romæ: in præsentia Gregorij IX. Albertus Pisanus anno 1239. vt contra Rodul: ex vetustis Historicis probat Wading: ad eundem annum n. 7. Sed hic electus in terris, ad electos properans regnantes in cælis, in breui expleuit tempora multa, diem vltimum claudens eodem anno sub festo Natiuit: B. V. Ipsemet Pontifex mandauit, vt omnes ad actiones Capitulares spectantes, conuenirent ad Capitulum pro Festo Omnium SS. in quo regulante ipso Pontifice Suffragia.

15. Quartus Minister Gen: electus est Haymo de Fauereschino Anglus: Vir totius speculum honestatis Romæ, eodem anno 1239. Virum hunc prudentem, humilem, magnumq; Theologum, atq; in ea facultate Doctoratu laureatum, fuisse scribit Peregrinus à Bononia eius Socius. Ante dissoluta comitia, Pontifex motu Generalis, & Prouincialium: Ordinis Prouincias di-

stermi-

terminauit; eorundem etiam Prælatorum (ita petente Generali) auctoritatem limitauit propter nimiam licentiam, & excessum Fratris Heliæ, in exauthorandis ad libitum Viris optimis, & de Religione benè meritis; quorum ea culpa leuis, sed illi magna, quod suis partibus non adhæserint, quod malum familiare est superioribus: qui amicorum non vident defectus, inimicorum non discernunt virtutem. In hoc Capitulo decretum fuit, ne Fratres Laici, passim instituerentur Prælati: nisi in eis partibus, in quibus deessent Sacerdotes. Horum Laicorum, qui ob multitudinem, & propter auctoritatem, reuerentiamq; illorum, qui S. Francisci erant Socij, nimium sibi assumebant in Religione Statum, & potestatem, Generalem hunc prudenter & placidè diminuisse: Scribit prænominatus eius Socius Peregrinus à Bononia. Hæc ex Wadin: anno cit: n. 9. Hic Generalis ex Mandato Innocentij IV. Breuiarium Romanum correxit, & Rubricas adiecit, ediditq; librum de Missæ Cerimonijs. Comitia Gen: celebrauit, Bononiæ anno 1242. in quibus per Capitulum Generale recepit ad Ordinem Fratrem Bonauenturam Fidanzam Balneoregium, annum Vigesimum & alterum agentem. Rexit annos quinq;, obijt Anagniæ anno 1244. ibidemq; sepultus, apud Fratres suos Min: Con: Hæc ex testimonio Rodul: pag: 178.

16. Et licet ante semel & iterùm, fecerat Helias perturbationem Ordini, tamen post mortem huius Generalis, hæc quæ secuta est, vt dicit Spec: vitæ pag: 171. *Facta est plaga insanabilis Ordini:* quæ dici potest prima in tali genere, & summa, quia trina, scilicet in triplicata parte Vniuersi Ordinis perturbatio: Nam vt cit: Spec: ait. *Fauore Imperatoris, Helias ductus, & eius cautelis, maxima multitudo cœpit Heliæ de Fratribus Ordinis adhærere. Quidam Fratres dicebant eum, non fuisse canonicè absolutum, ab Officio Generalatus, quidam autem dicebant contrarium; & sic Ordini tantam fecit scissuram, & Schisma: vt quod de diuisione Ordinis inter partes fuerat prophetatum per B. Franciscum, hoc in tempore Heliæ videretur impletum esse: Nam quasi duæ partes Ordinis sequebantur Heliam, quia mundum & temporalia diligebat.* Sed præter hæc fratris Heliæ machinamenta, & factionem; quæ vt ait Wadin: ad annum 1244. n. 3.

magna

magna fuit & potens: Alia ex opposito superfuit, quam idem Wading. n. 11. Notat vocabulo *Maioris Schismatis.* Fratrum zelotorum & Spiritualium nomine appellatorum, vel ut alij volunt, à S. Viro Cæsario Cæsarianorum. Hi varia auctorum iudicia experti sunt. Peregrinus de Bononia apud Marianum, phantasticos & contentiosos appellat. Angelus de Clareno, Marianus, Marcus & alij æquiores sunt, homines Sanctos, zelatores, & deuotos fuisse scribunt: inter quos plures extitere Socij B. P. Francisci. Ipse Wading: cit: media via incedens inquit. *Ego media inter præmissos auctores via incesserim, vt nec in omnibus à contentione excusandos, nec in alijs damnandos censuerim.* Et extirpationem paupertatis, & Monasticæ disciplinæ, in malum exemplum Heliæ refundit; *quam multorum annorum vigilantia, ac rigor restaurare non potuit; quin etiam eius exempla liberiùs, à quibusdam captata, in dies in tanta sensus humani pronitate, noua fiebant, magisq; frequentata: conniuentibus interdum Prælatis, interdum dissimulantibus, quod emendare non poterant: interdum negligentibus, parciusq; sui muneris functionem exequentibus; interdum seductis quadam pietatis specie: vel tandem rei ignaris; maiori interim accessione noxiæ, in agro Religionis suapte natura succrescebant.* Hæc sunt recta Wading: opinionis meditamenta.

17. Sed ex alia parte, deploranda magis erat temporum iniuria, quàm accusandi in multis Prælati, quibus mala displicebant, quæ emendare non licuit. Is porro rerum in Italia status fuit, superabundauit iniquitas, nulla Ecclesiæ, aut bonis esse potuit pax, concurrentibus gladio & gladio, spirituali & temporali potestate. Fredericus namq; II. Imperator, & Siciliæ Rex, Ecclesiæ Romanæ, & eius Vicarijs, hostis ferus & immanis; impijs armis & parricidiali manu, omnem fermè tota Italia deturbauerat pacem; truculento animo in Summos desæuiendo Pontifices, in Honorium III. Gregorium IX. & Innocentium IV, à quibus & Successione priuatus, & Sacris interdictus, & imperio deiectus, per sententias fuit: Cuius malitiam, multis annis peruicacem, & potentem, subiecti versus, minaci & fastuoso ad Innocentium IV. missi animo, indicare possunt.

Fata

Fata volunt, stellæq; docent, auiumq; volatus
Quod Fredericus ego, malleus orbis ero.

Cui Pontifex verba retorquens sic sapientissime respondit.

Fata volunt, scriptura docet, peccata loquuntur
Quod tibi vita breuis, pœna perennis erit.

18. In tali ergo vicissitudinis æstu, primitiua Minorum Religio constituta, nonnullos excessus congruentiùs tollerandos, & magis studio pacis (quæ rerum iniquitate exulare videbatur) quam discutiendos, & ad forum reuocandos iudicauit; nec vtriq; extremorum parti adhæsit. Neq; Helianos vltra professionem relaxatos fouit; neq; Cæsarianos citra prudentiam reformatos probauit; sed vt dicit cit: Wading: *Corpus Religionis in medio sistens, hac membrorum inæqualitate, ac diuerso studio diuexatum, inter extrema securum iter tenebat; vt nec prætensæ perfectionis intuitu, aliorum contemptum præseferret, aut Sacrosanctum pacis ac charitatis violaret seditione nexum; aut litigiis interturbaret silentium, nec etiam irrepentem dissolutione labem foueret, aut probaret excessus;* Communitas ergo in eo tumultuario motu, æquali & æquanimi prudentia, pariter respuebat illicitam Helianorum relaxationem, sicut intempestiuam & importunam Cæsarianorum reformationem: benè callens in eiusmodi progressibus vehementiorem semper zelum solere accidere, quam prudentiam, quæ vix longo spatio multis, & tardis passibus, assequi potest præcurrentem, propositi amoris flammam; quæ obuia corripit, non discernendo Materiam, personas, tempus, aliaq; quæ expediunt. Sicut ergo omnes perperàm relaxati sunt reprehendendi, ita importunè reformationem obtrudentes, non omnibus laudibus sunt excipiendi; sed ex imprudentia, & contentione censura Wandigi culpandi. Et illi qui medium tenuere beati, præ vtrisq, extremis, vt homines discretiori sensu vigentes amplectendi. Interea Helianis reiectis, tam medij de Communitate, quàm extremi de Zelotorum reformatione, hoc Wandigi epiphonemate concluduntur. *Potuit ergo esse negligentia in Prælatis quo ad aliqua, in zelosis verò quo ad alia imprudentia: in toto omnes condemnare non licet; vt pote Sanctos & iustos, nec excusare quia homines mortales.*

19. Hinc existimauerim ortum duxisse illam grauium Auctorum opinionem; qui videntes communitatem seu primitiuum Ordinem Min: Con: primæ Cæsarianorum reformationi minimè adhæsisse; imò eam dispersisse & in nihilum redegisse, autumarunt Min: Con: in anno 1224. primam in modificantibus paupertatis Votum, dispensationem ab Innocentio IV. obtinuisse. Eius opinionis fuére Augustinus Barbosa I. V. D. Gonzaga, Miranda Rodericus Obseruantini & Noster Rodulphus suis locis citandi.

20. Marchantius Auctor obliqui affectus, vt sui moris est, eundem magis quam rationem sequens, è suo cerebro sine probatione historias fingens: Cum huius tripartitæ, in primitiuo Ordine Min: diuisionis meminisset, in sua expos: lit: pag: 474, non tantùm Helianos repudiat, sed etiam communitatem perstringit. Stans pro solis Aduocatus Reformatis Cæsarianis: licet ipse de alia stirpe reformationis non Cæsarianus, sed Paulutianus existat reformatus. Dicit ergo loco cit: *Dum porrò hæc ageret Helias, Viri pij & Sancti Regulæ S. Franc: zelatores, rerum tædio affecti surgunt, & Regulæ suæ puritatem zelantes, in solitaria loca & siluas se recipiunt, vbi extra communitatis puluerem Deo seruiant, secundum puritatem Regulæ, & Spiritum S. Patris; in quibus locis ab anno 1244, in sancta Obseruantia perseuerarunt, sub obedientia Generalium, & aliorum Ordinis Prælatorum ad annos sexaginta tres, multo odore pietatis. Et hi dicti sunt Cæsareni à F. Cæsario de Spira.* Quibus paucis dictis tria commisit absurda.

21. Primum est è proprio cerebro figmentatum, Cæsarianos rerum tædio affectos, in solitaria loca recessisse figmentans (in exilium ablegatos à Ministro Gen: Crescentio dicere debuit) & sexaginta tres annos ibidem exegisse. Cum Wadingus sui Ordinis vniuersalis Historicus & Annalista, maiori fide dignus, quàm Marchantius falsorum Commentor, asserat anno 1247. n° 4. supra dictos reformatos à Joanne Parmense Ministro Gen: fuisse reuocatos, eius verba sunt. *Assumptus primum restaurandæ paci ac disciplinæ incubuit, amandatos in exilium Regulæ zelatores, Viros sanctos scriptis literis paternè est consolatus, zelum & studium obseruantiæ laudauit,*

dauit, prædecessoris sententiam relaxans : ad propriam quemq; Prouinciã reuocauit. Ex quo clarè patet dictos reformatos, ab anno 1244. vsq; ad 1247, tres annos tantum in illis solitarijs siue exilij locis perstitisse, & Marchantium sexaginta annos, sicut alibi sexcenta mendacia, de suo penu addidisse.

22. Secundum absurdum est, quo communitatem inspergit & contaminat, asserens præfatos reformatos extra communitatis puluerem Deo seruijsse, secundum puritatem Regulæ, & Spiritum S.P. Fran. vbi puluercam seu puluerulentam vocat communitatem, ac si de mundano puluere sordescentem: in qua secundum puritatem Regulæ, & Spiritum S.P.F. illi reformati Deo seruire non potuissent. Ex diametro longè diuersa illa vera, quia de ratione, non de prauo affectu procedens, illius seniculi (cuius Art: I. n. 7. testimonium adduximus) de communitate extat opinio. *Dum enim per varias actiones vitæ huius solicitudo distenditur, necesse est de mundano puluere etiam Religiosa corda sordescere*, inquit S. Leo serm: 4. de Quadr: Sic Marchantius vult communitatem ac si solicitudine sæculari suffocatam velut puluerem ante faciem venti exsufflandam, vel vt lutum platearum delendam, vtpotè Spiritum S. F. & Regulam seruare non valentem, & ob paucos ad suum placitum, prætensæ & priuatæ Obseruantiæ studentes, & à communitate eiusmodi reformatos, prudenter & rationabiliter ablegante, secedentes; eam censet ambitiosi pulueris massam illam, quam Jacoponus in suo cantico decantauit repudiatam, rithmicè occinens.

O esca vermium ô massa pulueris
O ros ô vanitas cur sic extolleris?
Ignorans penitùs vtrum cras vixeris
Fac bonum omnibus quamdiu poteris.

Sic March: gloriam communitatis in puluerem deduxit.

23. Tertium absurdum prioribus deterius, inuita Minerua, sed prono malorum genio commentus est: dum suis scriptis non respondent vltima primis. Communitatis corpus ob paucorum secum symbolizantium respectum, tàm abiectè in puluere demersit, & vltimò idem Corpus in medio consistens, ac ideò à Wa-

dingo supra n. 18. encomijs celebratum, eadem prudentiæ & rationabilis facti palma dignatus est, citans & acceptans, eandem ex Wadingo corpori communitatis adiectam apotheosim, sicq; communitatem Vituperio, simul & laudibus exaltauit; eo indiuiduo nexu poetico, quo Ouidius illa contraria & pugnantia copulauit inquiens, & fingens.

Frigida pugnabant calidis humentia siccis
Mollia cum duris sine pondere habentia pondus.

ita vt huic Marchantinæ subtili expositioni, potiùs ipsius veri expoliationi; quiuis illud Poetæ oggerere possit.

Amphora cæpit
Institui, currente rota cur Vrceus exit?

ARTICVLVS V.

In quo Quintus, Sextus, & Septimus à S. Francisco, Min: Gen: recensentur: & quod hic recensus sit rectus ostenditur, ac nouæ Reformationes distinentur.

1. QUintus à S. F. Minister Gen: electus est Januæ anno 1244. Fr. Crescentius de Jesi seu Æsinus: homo literis & senectute bona Venerabilis, antea in sæculo multis annis V. I. & Medicinæ Doctor. Et licet Antoninus & Rodulphus, referant eum electum anno 1245, huius tamen erroris eorum ostendit causam, & refellit Wadingus, ad annum 1244. n. 6, & præcipuè ad annum 1247. n. 1, eos Regesto Pontificio aliter referente, erroris conuincit. Cuius propensionis, genij, aut regiminis fuerit hic Generalis: ambigua Scriptorum est fides; annis & scientia Venerabilem omnes docent. Speculum vitæ pag: 208. testatur eum fuisse discretionis zelo probatum. Petrus Marchan: Vir alioquin veritati historicæ obliquus, in Expos. Reg: pag:499. Vocat hominem iustum & disciplinæ zelo probatum. Sed præter hos Auctores duos inuenio Antesignanos, diuersa & repugnan-

tia de-

tia de eo scribentes. Peregrinum de Bononia, & Angelum Clarenum. Prior affirmat Crescentium integritatis zelo, & disciplinæ Regularis studio fuisse addictum: Cuius sententiam verbatim sequuntur D. Antoninus & Auctor Memorialis Ordinis. Posterior asserit oppositum, scilicet prædecessoris sui Fratris Heliæ affectuum & morum sequacem. Hunc sequuntur Rodulphus & Marcus Vlissip.

2. Verùm ad hæc rectè intelligenda aduertit Wadingus ad annum 1244. n. 11: inquiens. *Nimiùm vterq; mihi declinare videntur ad extrema, Fr. Peregrinus de Bononia, & Fr. Angelus Clarenus; vt qui contrariæ factionis partes sustinent, & floruerunt sub Generali Gondisaluo, dum maximè dissensiones, & quæstiones, circa Regulæ Obseruantiam & Fratrum defectus, ante & post Concil: Vienense agitarentur. Angelus studio Obseruantiæ ad separationem tendit: qui & sequaces habuit; Peregrinus verò communitatem Ordinis, atq; Prælatos amplectens, frustra ambitionem & libertatem, perfectionis velo ostendi adstruit. Varia ergo studia in stylum irrepsere; & tam hic, quàm ille, ita suas partes souere videbantur, vt contrariam omnino deprimant; non negligunt tamen solidum narrationis corpus exponere, vt naturam ab arte, & sincerum à peregrina impressione, facilè quisquam acutus deprehendat; ab his discordia inter auctores emersit. Marianus incedit medius referens, non defuisse qui solicitudinem Crescentij culparent, non defuisse etiam qui Ordinis paci expedire iudicarunt, præuenire turbarum occasiones; quibus hac via recens electus obuiam iuit. Zelatores Regulæ communicato cum Socijs B. P. Francisci consilio septuaginta duos fratres, informando Pontifici & protectori destinarunt: hoc auditum in Capitulo extincta Fratris Heliæ factione, nouarum turbarum solicitudinem, & metum ingessit maioris Schismatis, ex Capitularium sententia; & maximè iudicio Fratris Bonadie Socij Generalis (hominis in sæculo magnæ experientiæ & in tribunalium strepitu exercitati, vt qui iudex ante conuersionem extitit) præoccupandus erat Pontifex, qui vt cupidus fuit Vnionis in Ordine, facilè, & sine fraude, quod expositum fuit credidit, mandauitq; seditionis auctores castigandos, ac præuenienda esse pericula, quod promptè executus Fr. Crescentius, præfatos qui Genuam rectà ad Pontificem contendebant scriptis ad Custodes, & Guardianos literis, mandat comprehendi*

hendi omnes, quos acriter reprehensos in exilium ad longinquas prouincias ablegauit. ---- Indoluerunt multi quod Viri sancti tam atrociter sui status probatum zelum luerent, & succrescentem in dies transgressionem notoriam fieri, liberiùsq; per hoc nemine repugnante vagari. Alijq; è contra pacem & vnionem præferebant Religionis.

3. Hæc Wadingi censura (vel cuiuscunq; sit (media via incedens, vsq; in finem non est bona, licet enim probari possint alia præcedentia: cæterùm concludentia nequaquam veritati cohærere possunt, cum sint obliquè dicta huiusmodi verba. *Indoluerunt multi &c.* quæ licet Wadingus ex mente multorum proferat, tamen cum sit res facti, & ipse tanquam facta historicè fuisse vera enuntiet, scilicet probatum zelum illorum Reformatorum, pro eo atroces pœnas luentium, & succrescentem in dies transgressionem notoriam factam, ac liberiùs notoriè nemine repugnante vagantem, atq; in tali relatione simpliciter sistat, & hæc perperàm dicta non refutet; ideo ipse sub nomine multorum in confuso inuolutorum, idem censere videtur: quod si ita est, sibi insigniter repugnat, cum eos reformatos ab imprudentia, & contentione, non omnino excusandos censuerit, vt ostendimus Art: 4. n. 16. Ob quas vitiosas circumstantias, non omnino eorum statum, & zelum probatum extitisse: atque ideò non atroces, sed consentaneas (nè Communitatis pacem & vnitatem interturbarent) pœnas luisse: quas constat & Pontificem probasse. Deinde citatis verbis indignè communitas perstringitur; quæ tam eximio præconio à Wadingo deprædicatur, vt ostendimus Art: 4. n. 18. Si enim in dies notoriæ transgressiones succrescebant, & liberiùs nemine repugnante vagabantur: iam sequitur præter illos septuaginta duos reformatos, in exilium relegatos, neminem superfuisse in communitate, qui arceret has notorias transgressiones, & faceret benè: Sed omnes declinauerunt simul inutiles facti sunt, & non fuit qui faceret bonum, non fuit vsq; ad vnum: iamq; per transgressiones notorias, sic vaganti communitati poterat illud obijci Hierem: 31. *Vsquequo delicijs dissolueris filia vaga:* quod de tota communitate, & de tam Venerando seniculo Ministro Gen: deciduæ vicino, & literis erudito, ac à discre-

à discretione zeli laudato, nefas est ne dicam impium æstimare; Vltra expressam mentem Pontificis hoc factum eius approbantis. Sed Wadingus alioquin doctus ostendit se communi insimul (cautiùs tamen) Spiritu Angeli Clareni laborasse, & qui in principio mediam viam elegisset, in fine ad extremam (sub multitudinis confusæ inuolucro) declinasse videtur.

4. Quæ à Wadingo, sub multitudinis nomine sunt prolata, eò magis patent esse euidenter falsa, quo extra illos septuaginta duos reformatos, iam in exilium relegatos; ipsosmet de Communitate Fratres, cum eodem suo Generali circa Regulæ veram intelligentiam, & sinceram eius Obseruantiam, multas difficultates, pro securitate conscientiarum suarum, Innocentio IV. dedeclarandas exposuisse constat, anno 1245. vt refert ipsemet Wadingus ad eundem annum n. 16. idem testatur Pontifex ibidem inquiens. *Hinc est quod cum quædam dubia & obscura, quæ in vestra Regula continentur animos vestros &c. nos obscuritatem &c. & ambiguitatis scrupulum cura ipsa de vestris cordibus amputare &c.* Hinc in gratiam communitatis exposuit Regulam S. Fran: quam expositionem vt inquit Wading: ad annum 1256. reformati non acceptarunt quod his verbis exprimit· *Pij quiq; Ordinis zelatores, qui puritati Regulæ dissonam, nequaquam acceptarunt, neq; qui post eos orti sunt, aliquando approbarunt.* Verùm communitas media via gradiens, libenter acceptauit. Marchantius more suo pag: 518. gratis oppositum refert, loquens de Fratre Cæsario, primo in Ordine reformatore in hæc verba, *Post illum Fratres zelatores ab Innocentio IV. Declarationem Regulæ postulauerunt ad huiusmodi abusus fugandos.* Sed isti Obseruantini vt vides quod volunt Sanctum est, quod nolunt reprobum censent; Regulam ad suos affectus exigunt & quidquid amant Sanctum putant.

5. Et quia multi primam dispensationẽ ab Innocentio IV. in Modificantibus votum paupertatis exortam fuisse autumant, vt diximus Art: 4. n. 19. Forsan hac expositione permoti; iuuabit proinde paupertatis Franciscanæ, Declarationem huius Pontificis (quam tunc communitas ratam habuit) candidè sed summatim subtexere.

6. *Primò. Si rem sibi necessariam & vtilem, vellent fratres emere, vel solutionem facere: possunt volentibus sibi eleemosynam elargiri, aliquem præsentare, seu nominare: & postea emptæ rei pretio soluto, si quid de huiusmodi eleemosyna, apud nominatum remaneat: possunt fratres pro suis necessitatibus, vel commodis licitè ad ipsum habere recursum.*

7. *Secundò. Similiter pro aliis necessitatibus, vel commodis fratrum, aliquis ab ipsis fratribus nominatus, vel præsentatus; potest commissam sibi eleemosynam, sicut Dominus conseruare, vel apud Spiritualem vel familiarem amicum, à fratribus nominatum deponere: per eum loco & tempore, pro ipsorum necessitatibus, & commodis dispensandam: seu etiam ad personam, vel loca transferendam: ad quos Fratres pro huiusmodi necessitatibus, seu commodis: sana conscientia recurrere poterunt.*

8. *Tertiò. Taliter à Fratribus nominati, seu præsentati, non sunt eorum nuntij, seu depositarij; sed eorum, à quibus eis pecunia vel denarij committuntur: Nec fratres per se, vel per interpositas personas, denarios, vel pecuniam dici debent recipere, taliter nominando, aut sic præsentando aliquos, seu taliter ad ipsos recurrendo: cum non sit intentionis eorum, vt de ipsorum Fratrum auctoritate, huiusmodi pecunia vel denarij conseruentur, aut ab eis nomine depositi exigantur: licet nuncijs vel depositarijs ipsis comittantur, pro necessitatibus, vel commodis eorundem fratrum.*

9. *Quartò. Possunt alij Fratres, pro necessitatibus infirmorum, & alijs fratribus induendis, curam [quæ Ministris, & Custodibus ex Regula incumbit] cum sibi ab illis commissa fuerit, gerere diligenter.*

10. *Quintò. Cum expressè prohibeatur, quod Fratres nil sibi appropriënt; nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, nec in Speciali debent proprietatem habere: sed locorum & domorum, ac vtensilium mobilium, quæ licet habere Fratribus, Ordo vsum habeat, & Fratres secundum quod Generalis, vel Prouinciales Ministri, disponendum duxerint, eis vtantur. Nec vendi debent loca domus, vel mobilia, seu extra Ordinem commutari, aut alienari: nisi de licentia Sedis Apostolicæ, vel S. R. E. Cardinalis Ordinis Protectoris: cum horum dominium,*

& pro-

& proprietas (ijs exceptis quorum sibi donatores dominium retinuerint) ad Ecclesiam Romanam pertinere noscuntur: Vilia tamen & parum valentia liceat fratribus, pietatis seu deuotionis intuitu (cum licentia tamen Superiorum) extra Ordinem alijs elargiri.

11. Ex quibus constat per hanc expositionem Innocentij IV, rigorosos dumtaxat paupertatis vsus fuisse temperatos: illæsa paupertate in communi, & in particulari remanente. Paupertatem namq; in communi præfatus Pontifex primus dispensauit, non pro Minoribus, sed pro Minorissis, seu Clarissis; vt redditus & possessiones recipere, & liberè retinere valerent: non obstantibus contraria consuetudine, & Statuto sui Ordinis; vt idem Wading: testatur, ad annum 1246. sub n. 30.

12. Hic Generalis Crescentius eo anno quo fuit electus, iniunxit cum toto Capitulo Fratri Leoni; qui à Confessione, & secretis fuit S. P. F. Fratri Angelo Tangredi, & F. Rufino S. Claræ consanguineo, vt scriberent, si quæ haberent de Vita, miraculis, & sanctitate S. F. Hi gnauiter operi incumbentes, composuerunt legendam, quàm trium Sociorum S. Franc: vocant: Multa quoq; de Mandato huius Generalis scripsit F. Thomas de Celano, quem Rodulph: vocat Thomam de Ceperano; sed hic fuit sæcularis Prothonotarius, qui ex Mandato Gregorij IX, etiam stylo prosecutus est B. Franciscum; vt Wading: testatur ad annum 1244. n. 10; sed Thomas de Celano fuit Frater Minor, Socius S. F; sanctitatem eius in Vita expertus; qui composuit legendam antiquam, quam Bernardus à Bessa S. Bonauenturæ Socius, in compendium contraxit.

13. Tandem vt refert Rodul: pag: 178. b. Crescentius visa difficultate regendi, abdicato Magistratu præfecturæ Generalis, Episcopus Assisij fuit electus; Verum animaduertens, quam ingentem molem curarum, Antistites euoluere habeant, approbante Pontifice, missa ea dignitate, ad ordinem reuersus est. Hoc idē fatetur Spec: Vitæ pag: 208. & Wading: ad annum 1247. Hic Generalis ob decliuem ætatem. ad Comitia Generalia Ordinis, Auinione celebrata, iussu Pontificio conuocata, non accessit: licet eum à statuto, de non equitando Pontifex dispensauerit, & cum

alijs quorum intererat, speciatim ad comitia vocauerit; ille se excusauit defectu ætatis, & virium insufficientia, tam ab itinere quam ab Officio, laboris & solicitudinis cura territus: loco sui Fratrem Bonauenturam de Jesi Vicarium suum amandauit.

14. SEXTUS MinisterGen: electus est Auinione anno 1247, Joannes Parmensis: Vir pius & S. Rodulph: ipsum asserit electum fuisse Assisij anno 1248, sed eum Wading: corrigit, vt diximus supra n. 1. Hic Generalis primus reformatis à communitate se subtrahentibus fauit. Illos septuaginta duos ab exilio reuocauit: cuius electio à principio vt Wading: ad cit: annum n. 4. refert. *Pacem Ordini restituit, tantaq; de eo omnium fuit exultatio, vt B. P. Fran: Spiritum reuixisse assererent, potissimùm B. P. Socij tum superstites. Ægidius vt eum primus salutauit, benè venisti inquit Pater mi, sed tardè.* nihilominùs hæc pax communis non diu durauit, cùm in progressu sui Generalatus, non leuia turbamenta, in Ordine fuerit expertus, ex eo quod reformatos, à Communitate peculiari spiritu se dissociantes fouerit, eorum Statum probauerit, & communitatem auersantes non compescuerit; inde præcipui Ordinis Viri, eum in communitate pacis, ac vnitatis conseruandæ, minimè idoneum esse causabantur: quæ contentio permouit Pontificem Alexandrum IV, vt Capitulum Generale citiùs solito accelerauerit: vt enim Wading: ad annum 1256. n. 3. ex Peregrino Bononiensi his actis contemporaneo refert in hæc verba. *Commotos videns animos Alexander, & præcipuos Ordinis Viros in hominem conspiraße; neq; eos flecti, aut sedari posse; ad Generalem Conuentum conuocandos voluit omnes, quorum suffragijs res essent peragendæ: & de creando Successore consultandum. Præmonuit enim Joannem, vt omnino cederet Officio, neq; si illi vellent, permitteret se ab electoribus in gradu confirmari.* & infra. *Dum lateret, quod Pontifex antea cum homine tractauit, per integros duos dies hæserunt, circa eundem reassumendum; donec Pontifex decreuit, vt ad electionem alterius procederetur.*

15. Et sicut sub hoc Generali, anno 1250; Ordo Minorum, cognomento Conuentualium insignitus est ab Innocentio IV, vt infra dicimus Art: 27. n. 1. & 3. atq; sub eodem Gen: Conuentus Aracæli, in Vrbis Capitolio, ab eodem Innocentio IV. datus

est

est Min: Con: iuxta Gonzagam anno 1251, vel iuxta Rodul: anno 1249: quam relationem vt authenticè veriorem, sequitur Wad: ad annum 1251. n. 37. ita etiam sub eiusdem regimine, reformationis nomen in Ordine Min: primùm diffusius gliscere, & sonantiùs personare cæpit: cui Sanctitas Viri & regularis disciplinæ ardor, velut gliscenti carboni nitrum adijciebant; quæ causa postea multas turbas in Ordine excitauit, contentiones, & perturbationes auxit prolixas, præter spem & opinionem S. Generalis, puram Regulæ Obseruantiam, inuiolata publici boni quiete, enixè procurantis: nec tamen compotem voti sui se assequentis. Hæc enim blandè tractata reformatio, & à communitate dissimulata alienatio, multa tribulatione fuit grauida, ingentia Ordini mala adsciscens, nec temperauit vehementiam ardoris; licet S. Bonau: huius Generalis immediatus Successor, pacem & communitatis indiuiduam vnitatem, sedulò retentasset, & peruicaces mentes in ciendis motibus sub reformationis pallio, plùs æquo promptiores, etiam carceribus mancipasset. Durauit hæc ingens turbatio, & tribulatio Ordinis, ex zelo reformationis concepta, ab anno electionis huius Generalis, vsq; ad annum 1316. vt testatur Rodulph: pag: 180. Hic Generalis obijt Camerini, & in Ecclesia Min: Con: in arca marmorea conditus est, vt testatur Rodulph: pag: 116. b.

16. SEPTIMUS à B. Fran: Minister Gen: S. Bonauentura Fidanza Balneoreginus, primus in Ordine Min: Con: laureatus Doctor: Romæ in præsentia Alexandri IV, & in absentia sua tunc Parisijs legens, anno ætatis suæ 34, & Religionis 13. Anno Domini 1256. fuit electus: qui seipsum ex testimonio Rodul: pag: 181. b. Septimum à B. Fran: fatetur fuisse Ministrum Gen: & Sixtus V. in Bulla quæ incipit *Triumphantis Ierusalem* itidem Septimum post B. Fran: Ministrum Gen: fuisse pronunciat; vt fatetur Flauius Cherubinus in Compend: Bullarij sub eadem Bulla.

17. Ex his præmissis malè & contra rationem Ordinis lineæ descendentium, concinnatum esse catalogum Ministrorum Gen: in Constit: PP. Obseruantinorum, Romæ anno 1663 impressis, reponentem S. Bonauenturam Ministrum Gen: in in Or-

dine 9. incipiendo à B. P. FRANCISCO: cum enim Pater ad partem lineæ ascendentium, & primo filius partem lineæ descendentium inchoare debeat, vt ius Canonicum Causa 35. Q. 5, ex Joanne Andrea in arbore consanguinitatis elucidat, statuens in medio lineæ arboris Cellulam vacuam, sine nomine; & infra eam, primùm filios seu Fratres in declinante parte, lineæ descendentium reponit: Patres verò supra cellulam vacuam, in assurgente parte, lineæ ascendentium collocat; quò Schemate apertè dat intelligi, Patres pro stirpe Originis, in ascendentium linea superius esse venerandos; non tamen in parte inferiori lineæ descendentium, inferiùs numero confundendos. Per hanc Regulam B. P. Franciscus vti Fundator & Pater: in numero Generalium ab eo descendentium, non venit inuoluendus, & connumerandus; cum parem rationem descendentiæ, vti Pater & Fundator, cum illis participare nequeat, vt benè perspexit S. Bonauentura, & Sixtus V. ille seipsum, hic illum Septimum Generalem vocans, non nonum, vti hallucinatur iste Catalogus Obseruantinorum.

18. Deinde dictus Catalogus in Constit: PP. Obseruant: malè & contra rationem, bis replicando Heliam, multiplicat numerum Ministrorum Gen: dum enim quærimus; qui & quot sunt à S. Franc: Min: Gen:, non quærimus de actibus Capitularibus, seu Ministrorum Gen: electionibus, aut præfecturis: sed de personis, quæ & quot erant electæ: licet ergo Helias duabus vicibus Minister Gen: fuerit, tamen non duo sed vnus Minister Gen: fuit, quia non duæ sed vna persona; alioquin si ex institutionibus Ministrorum Gen: numerum computabimus, vnum S. Bonauenturam tres Generales fuisse fateri cogemur, qui ex Spec: vitæ pag: 209. b. & ex Rodulph: pag: 181. b. annis octodecim Ordinem rexit, semel electus & bis reelectus, & sic de cæteris; Sicut ex vno Helia multiplicauit, duos Ministros Gen: dictus Catalogus, sic vnam personam, duas vel tres fuisse fingemus. Proinde non tam Catalogum Ministrorum Gen: quam entium rationis formabimus.

19. Sed opponere posset quis ex Wadingo, ad annum 1305. n. 12. de Gondisaluo (quem nos 14. Generalem infra reponimus) dùm dubitaretur, quotus ipse adnumerandus esset, in Ordine Mini-

niſtrorum Gen: aliquibus decimum quintum, alijs decimum ſextum cenſentibus: ſic reſpondente & referente, ipſum Gondiſaluum ſcripſiſſe ad Fratrem Peregrinum Bononienſem, plenum dierum, & probatæ virtutis Virum: Satis in rebus Ordinis verſatum, & Socijs S. Franc: dum viuerent coæuum: vt vnde hæc proueniret opinionum varietas aperiret; quod ille candida & ſimplici epiſtola, tremula manu declarauit dicens: *Quod ſi perſonæ dumtaxat Generalium recenſerentur, ille erat numerandus decimusquintus; ſi tamen duæ præfecturæ Fratris Heliæ, prima poſt obitum S. Fran:, ſecunda poſt depoſitionem Fratris Joannis Parentis computarentur; dicendus erat decimus ſextus:* ex qua auctoritate, & exemplo S. P. Franciſcus numerandus veniet, in ſerie Miniſtrorum Gen: prout etiam numerat Wadingus, & Auctor Firm: 3. Ord: in memoriali Ordinis 1. part: fol: 27. vbi præſupponit primum Generalem fuiſſe B. P. Franc: ſecundum Heliam, & tertium dicit fuiſſe Joannem Parentem, quartum repetit Heliam, ad eum modum quem ſequitur Catalogus in Veſtibulo Conſtit: PP. Obſeru: præmiſſus.

20. Sed merito auctoritati cit: Scriptorum præferenda eſt, auctoritas S. Bonau: & Sixti V. ſupra allegatorum, extra S. P. Franciſcum perſonas dumtaxat, non præfecturas Miniſtrorum Gen: numerantium: maximè accedente auctoritate Canonica, talem Ordinem in arbore conſanguinitatis determinante, nè aſcendentes in ſucceſſione deſcendentium miſceantur, & confundantur, vt quilibet Pater reſpectu ſuorum filiorum, primum gradum non ſecundum conſtituentium, & Patrem vt Originem & principium extrinſecum reſpicientium; nullum enim principium eo fungitur munere, quo fungitur ipſum principiatum; ſic principium lineæ, non fungitur munere lineæ, principium numeri non fungitur Officio numeri. Hac eadem recenſus ſpecie, Eccleſia S. concatenat, & compingit, Catalogum Nominum Summorum Pontificum; vt videre eſt in liminari aditu Corporis iuris Canonici: Vbi ex collectionibus antiquis, Auguſt: Archiep: Taraconenſis, nomina omnium Pontificum exprimuntur, & ſupra præpoſito ob eminentiam Chriſto, vti Supremo Eccleſiæ ſuæ Fundatore; poſt Chriſtum primus ponitur Petrus, ſecundus Li-

nus,

nus, tertius Clemens, & sic deinceps, sic de B. P. Francisco Christiformi, Ecclesiæ Min: Fundatore tenendum est, & eodem modo Ministrorum, Gen: Catalogum contexendum.

21. Eodem anno 1256. quo fuit electus S. Bonauentura in Ministrum Gen:, ad instantiam de communitate multorum (quos Wadin: ad eundem annum n. 2. potentiores & doctiores nominat: sed quia non erant rigidiori paupertati (vti ipse) addicti, eosdem sugillat) expositionem Regul: ab Innocen: IV. factam suis literis insertam confirmauit Alexan: IV: *quod ægrè tulit Ex-Generalis Parmensis, & cum eo zelatorum cætus*, vt refert Wading: ad eundem annum n. 4. At vtriq; Pontifici tam Innocentio IV. quam Alexan: IV. hæc communitatis postulatio placuit, cui vterq; potiùs quam Reformatis zelatoribus detulit. Sentientes idem cum Gregorio IX. qui in Bulla translationis Corporis S. F. inquit. *Obedientia inter alias Obseruantias Regulares præcipua reputatur.* Maximè cum sit charitati, & Vnioni indiuiduæ connexa.

22. Ad instantiam huius Generalis (vt fusiùs infra probamus Art: 31. n. 3.) Clemens IV. anno 1265. capaces declarauit vniuersos Minoritas, vt succederent licitè in bonis Parentum, possessiones apprehenderent & in suam vtilitatem conuerterent, prout sibi meliùs videretur expedire; Vniuersas censuras occasione præmissorum contra illos latas, decernens irritas, & inanes: in Bulla quæ incipit. *Obtentu Diuini.* Quod tamen Sixtus IV. postea declarauit de ijs, qui de Obseruantia nuncupantur, non esse intelligendum: Sed solùm de Min: Con: vt notat Wading: ad eundem annum n. 21. Hic Generalis libera electione Ministri Prouincialis priuauit Prouinciam, sub nomine tunc vnius Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ nuncupatam. Hic idem ex causa reformationis, ob prætensam arctiorem paupertatem pullulantis, à Communitate Ordinis accusatos: Joannem Parmensem Ex-Generalem, Gerardum, & Leonardum Socios eius: cum alijs de Communitate coniudicibus iudicauit. Accusationum capita Bernardus a Bessa, S. Bonauenturæ Socius notauit. *Quod obloqui solerent Regulæ interpretibus, & confundere ac molestare eos, qui Declarationes à Pontificibus factas, aut laudabant, aut petebant. Et quod non rectè circa*

ctè circa

ctè circa Orthodoxam Regulam sentirent, sed Joachimi Abbatis sententiam in Concil: Lateranen: damnatam sequerentur. Et quod Joannes Parmensis, ac si ei inesset spiritus prophetiæ: Fratribus prædixerit, in duo hominum genera Ordinem diuisum iri; in puros Regulæ Obseruatores, atq; in eos qui Priuilegia & declarationes procurarent, sed præcessurum diuisionem hanc, duplex certamen verborum. Postea vero orturam pauperum congregationem. Hos ergo accusatos,cum obstinatos vidissent iudices, præcipuè in defendendo Joachimo: Socios Parmensis peruicaces, ad perpetuos carceres condemnarunt, tanquã de corrupta, vel læsa fide, suspectos. Carceris limen transiens Gerardus dixit. *In loco pascuæ ibi me collocauit*, & in eo occlusus hæsit octodecim annis. Leonardus verò in ipso carcere decessit. Ita hæc referunt tres oculati, vel saltem coæui testes, Bernardus à Bessa S. Bonau: Socius. Peregrinus Bononiensis, & Angelus Clarenus. vt notat Wading: ad annum 1256. n. 5.

23. Coniectis Socijs in vincula, institit Communitas Parmensi iudicando. Minister Gen: S. Bonau: destinauit iudices, & conuenire fecit homines prudentes, discretos, & graues: qui rem omnem examinarent. Datus est etiam à Pontifice, Præses iudicij Joannes Caietanus Vrsinus S. R. E. Cardinalis Ordinis Protector, & postea Nicolaus III creatus: quo annuente, iam statutum erat Virum diuturnæ tradere Custodiæ: nisi feriæ literæ Ottonis Boni Innocentij IV. ex fratre Nepotis Cardinalis, postea Adriani V. creati, fidem suam pro Parmensi pignorantis præuenissent. Hæc omnia refert Wading: ad annum 1256. n. 5. & 6. Has tumultuarias turbas in nouæ reformationis importunum zelum refundens n. 2. & 3. addens n. 10. suum iudicium & inquiens: *At illa est nostræ scientiolæ miseria, & propriæ opinionis affectus, vt quidquam potiùs facere aut pati, quàm aduersarijs cedere, aut in congressibus huiusmodi vinci velimus.*

24. Quod vero in Parmensem hominem adeò pium & Sanctum, S. Bonau: inuectus fuerit, & duriùs cum eo egerit; id exigebat boni publici ratio, ne communitatis vnitas à paucis reformantibus, & illos arctos paupertatis vsus ab Innocentio IV. temperatos, & ab Alexandro IV. approbatos, reinducere tentantibus;

impor-

importunè & cum iactura pacis vniuersalis scinderetur, & confunderetur. Postulabat id zelosi Ministri Gen: Officij ratio, & infirmis prouida condescensio; & tantæ multitudinis secura & salutaris prouidentia. Hinc Iacobo de Massa Viro S. mirabiliter fuit reuelatum, in ipso limine Generalatus S. Bonau: datos fuisse vngues ferreos: veluti acies nouacularum radentium pilos: qui mouens se de loco suo, irruere volebat, in Joannem Parmensem. Illo autem clamante ad Dominum, missus est qui Joannem discerpturo, vngues abscinderet. Neq; adeò id mirum, & insolitum, vt diffideant & inuicem se appetant Viri quantumuis Sanctissimi. Restitit in faciem Petro Apostolorum vertici Paulus & reprehensibilem dixit; dissenserunt in rebus grauissimis Augustinus & Hieronymus, Theodoretus, cum suæ sententiæ Viris, Cyrillum Sanctissimum Patriarcham in carcerem dederunt, neque idem Cyrillus. S. Joanni Chrysostomo pepercit, donec mirabiliter monitus: defunctum traducere omisit. Pugnæ sunt intellectus, & vnusquisque Dei causam agere semet existimat.

25. Huius Generalis tempore anno 1273. assumptus est à Gregorio X. ex Ordine Min: Con: in S. R. E. Cardinalem Frater Vice Dominus, obijt Anno 1277. sepultus Viterbij apud suos Fratres Min: Con: vt refert Rodul: pag: 207. b. Et ipsemet Generalis S. Bonau: ab eodem Gregorio X. factus quoq; est Cardinalis & Episc: Albanen:, Obijt Lugdunij in S. Concil: 1274. ibidem tumulatus apud Fratres Min: Conu.

ARTICVLVS VI.

In quo Octauus, Nonus, & Decimus Generales recensentur; & Nouarum Reformationum turbæ referuntur.

1. OCTAVUS Minister Gen: Fr. Hieronymus Asculanus S. T. D. Lugduni est electus anno 1274, teste Rodulpho pag: 184. & Wadin: ad eundem annum n. 32. Huius Generalis tempus non fuit immune, à conturbatione in communitate Ordinis: ex causa refor-

ſa reformationis inualeſcente, in Obſeruantia ſtrictioris paupertatis: Vt enim refert Rodulph. pag: 180. Pontificem Gregorium X. declaraſſe Minores tuta conſcientia aliquid proprij habere poſſe. Wadingus verò ad annum 1275. n. 2. inquit. *Sparſum fuiſſe rumorem Pontificem voluiſſe cogere Minores, & Prædicatores vt poſſeſſiones & propria bona ſtabilia admitterent in communi. Hæc talia commouerunt diuerſa ſtudia in Fratribus: quibusdam contendentibus Pontificis Statuta Sancta & recta eſſe, atq; proinde ab omnibus humiliter obſeruanda: neq; vlteriùs eſſe diſputandum, dum ſufficeret Pontificem præcepiſſe. Alijs è contra reclamantibus, non licere Pontifici immutare ſtatum, à Deo reuelatum, ab alijs Pontificibus confirmatum, & Apoſtolica vita commendatum.* Adeò exarſit vehemens partium ſtudium vt Pontificis, circa rem hanc ſtatuendam, auctoritas vocaretur in dubium. Communitas & ſanior pars Pontifici per omnia obediendum, ſecurius cenſebat: quare ex præcepto Superiorum Ordinis, contrarium tanquam erroneum tenentes, adacti ſunt ad palinodiam, & receſſerunt à ſua ſententia omnes, præter (ex Wadin:) Raymundum (ex Rodul:) Sigiſmundum, Petrum Maceratenſem, & Thomam Tolentinatem: qui pertinaces in ſua perſiſtentes opinione, commouerunt contra ſe reliquos communitatis Fratres, qui eos habitu ſpoliarunt, & in quibusdam eremitorijs, carceribus tanquam Schiſmaticos manciparunt. Elapſo altero anno ad Prouincialem Synodum euocati, nouis rationibus, & argumentis ſuum placitum inculcantes, per tres dies cum cæteris diſputarunt; donec cum ijs ſeorſim vocatis Vir prudens, & veteranus Doctor Fr. Beniaminus, ita cordate egit, vt ſuauiter eos flexerit in ſaniorem ſententiam. Sic hoc triennale diſſidium terminatum aſſerit Wading: cit:

2. Sed Rodulphus cit: paulò aliter recenſet inquiens. *Quos Superiores tanquam temerarios & ſchiſmaticos, abſciſſis ad crura tunicis abdicarunt, & de Conſilij Patrum ſententia condemnarunt. Qui in ſaltibus & deſertis locis ſe receperunt. Sed (elapſo iam anno) vocati ad Prouinciale Capitulum, prodeunt, & coram Definitoribus, & Patribus Diſcretis, rationes ſuas adducunt. Aderat ibi quidam Frater nomine Beniaminus Sapientia, & moribus clarus, qui vocauit ad ſe fratrem Petrum*

de Macerata, & dixit ei: Mi Frater neminem habebis, cum res tuæ postulabunt, neq; præstantioris animi, neq; maioris in te beneuolentiæ: Video te contendere cum Maioribus nostris: sed hæc altercatio parùm sobria est, neq; tibi prodest, minùsq; facit ad aliorum exemplum. Si de cætero fueris requisitus, an liceat nobis aliquid proprij habere, dicas; ego teneo & sentio, quod tenet & sentit vestra conscientia, & sic poteris euadere ab eorum insidijs, quas tibi iniquè parare contendunt. vlterius prosequitur cit: Rodulphus.

3. *Dum hæc agerentur, Patres habito super hoc maturo consilio, decreuerunt aduersus eos procedere, tanquam Schismaticos, hæreticæ prauitatis labe corruptos, & impios Ordinis destructores. Quare Sacramentis Ecclesiæ, & omni librorum vsu priuarunt, atq; in vincula coniecerunt, ianitori carceris districte mandantes, vt eos diligenter custodiret, ne fractis vinculis è carceribus impunes abirent: qui suæ arrogantiæ, & temeritatis mercedem essent accepturi; grauissimasq; pœnas iniungunt illis, qui ausi fuerint affirmare hanc Sententiam iniustam & iniquam esse. Ad hæc Fr. Thomas de Castro Nali. pronunciata contra Fratres sententia, non ex lege æquo & bono, sed omni humanitate posthabita, clamare cæpit, Fratres illos iniustè torqueri, qui statim comprehensus, habitu priuatus, ferreis compedibus alligatus, in vincula coniectus fuit: Vbi carceris pedore, incommoda passus; breui postea mortuus est, inter cordis angustias, Deo gratias agens: cuius corpus Ecclesiastica caruit sepultura.* Hæc Rodulphus.

4. Fuit etiam tempore huius Generalis Fr. Petrus Joannes Oliuij, cum alijs sibi adhærentibus, scilicet Fratre Sigismundo, Fratre Thoma. Hic à communitate Ordinis, zelo reformationis perculsus, & ob id accusatus, quia extra mensuram debitam (sicut extra debitam communitatis pacem) præconia B. M. V. adscripserit, nouas opiniones miscuerit; quæ nec ipsi Deiparæ placerent. Licet enim in hac Virgine SS. laudanda, nunquam excedi posse, vti maiore omni laude, digna; quia tamen vt dicit Bernardus Epist: 174. *Honor Reginæ iudicium diligit, Virgo Regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, Infulis dignitatum. Proinde perlegit Generalis Petri Opuscula; in quibus dum auctorem excessisse indicauit, iussit vt ipse proprijs manibus ea traderet incendio. Confe-*

stim

ssim ille obedijt absq; vlla animi commotione. Ita refert Wadin: ad annum 1278. n. 27.

5. Hic Generalis postea fuit factus Cardinalis anno 1278. à Nicolao III. Deinde Summus Pontifex creatus, anno 1288. obijt anno 1292. sepultus in Basilica S. MARIÆ Maioris. Cui Felix Perettus Cardinalis, postea Sixtus V. ex eodem Ordine Min: Con: assumptus, sumptuosum Mausoleum extruxit, marmoreis & porphyriticis lapidibus, opere vermiculato, & eleganti emblemate exornatum, teste Rodul: pag:205. Tempore huius Generalis creatus est à Nicolao III. ex Ordine Min: Con: S. R. E. Cardinalis Fr. Bentiuegna AquaSpartanus. Obijt Tuderti anno 1289, sepultus apud Min: Con: in Æde D. Fortunati.

6. NONUS Minister Gen: fuit Fr. Bonagracia à S. Joanne in Persicetto, S. T. D. absens electus Assisij 1279. Præsidente Fre. Hieronymo Asculano Ex-Generali, iam tunc S. R. E. Cardinali, vt Rodul: refert pag: 184. inquiens. *In hoc Capitulo Nicolaus IV. tunc Cardinalis, & Ordinis Min: zelator præcipuus præfuit Authoritate Apostolica.* (supple illius Pontificis scilicet Nicolai III.) qui præ nimia dilectione in fratres, voluit Mathæum Rubeum Nepotem suum, Vniuersi huius Ordinis esse Protectorem. Sic explicatus Rodul: inaniter corripitur à Wadingo, in anno 1279. n. 10. vbi dicit: *Hæc nulla ratione possunt cohærere.* Et infra. *Vtriusq; Nicolai actiones confundit:* quod reuerà falsum est, si dicamus Rodulph: sensisse Nicolaum postea IV, tunc vero Cardinalem, eius auctoritate Apostolica, qui dicitur Nicolaus III. (qui postea Nepotem suum ex nimia dilectione in Protectorem Ordinis designauit) Capitulo Præsidentem. Vt distinctè idem Rodul: dicit pag: 139. b.

7. Neq; hic Gen: Bonagratia à turbamento aliquorum, plus iusto zelatorum, arctioris paupertatis vsum in Communitatis Corpus, modis indebitis inducere Satagentium, quietis habuit bonam gratiam, in Comitijs namq; Arigentinæ celebratis, anno 1282. accusatus fuit Fr. Petrus Joannes Oliuij, quod plurimum liberè nimis, contra Communitatem Ordinis, frequenter proferret, & quod eius scripta à multis circumferebantur, hæresi & erroribus

roribus plena. Ita refert Wadingus ad annum 1282. n. 2. In partem Petri Oliuij propendens, & eos qui contra ipsum vrgebant nomine æmulorum signans, & de laxa ac molli vita, Regularis disciplinæ excussione, obscurans. Quod dehonestamentum totam Communitatem afflat, examinandæ Petri Oliuij doctrinæ seriò insistentem, vt ipsemet Wadingus clarè indigitat; dum Petrum scriptis suis cæteros Fratres, & Prælatos Ecclesiæ, delicatulos, seu molliter viuentes lacerantem, lacessentemq; forsan minùs prudenter commemorat: & ob id contra Petrum exortum tumultum, & concitatam conspirationem, atq; Decretum Capituli Generalis refricat: quo cautum fuit à tota Communitate, vt Minister Gen: hominem examinaret, scripta discuteret, & doctrinæ, dummodò malæ, sectatores cohiberet, dum veniret in Galliã.

8. Excusando Petro, addidit Wadingus duas adiunctiunculas *forsan, & minùs; prudenter*: cum reuera non dubitanter nec diminutiuè, sed certè positiuè imprudenter & importunè, communitatem lacessebat, & Prælatos corripiebat, ob non seruatam arctiorem paupertatem: Suppositis enim Priuilegijs Apostolicis, pro bonis in Communi possidendis, per S. Bonau: à Sede Apostolica procuratis, vt diximus Art: 5. n. 22. & ab Innoc: IX. rigidis paupert. vsibus temperatis quibus stantibus, & supposita à multis fratribus de Communitate, etiam implicitè, secundum dicta Priuilegia, professione emissa, iam eis nullus, etiam Superior imperare poterat, arctiorem paupertatis disciplinam seruandam: vt egregiè deducit D. Bernardus libr: de Disp: & Præcep. Nauarrus 1. part: Consil: Tit; de Reg: Cons: 16. Multò igitur minùs particularis persona Petrus Oliuij, potuit Communitatis Fratres lacessere, & scriptis lacerare, ac transgressionis vitio sugillare: Neq; seipsum à tali communitatis vita subtrahere, sine Superiorum & Maiorum suorum determinata definitione. Quod ita clarè verum est, vt etiam ipse alter Petrus, Marchantius, pro Obseruantinis fabulis zelans & Min: Conu: statum delirijs oppugnans hoc ipsum agnoscat: in illa verba S. F. *Concessum à Christo & à me fratribus recedere à Regulæ transgressoribus*. Inquiens in Expos. Reg: pag: 4. *Quod cum grano salis intelligendum est, quando scilicet tales publica*

blica auctoritate, non alicuius Fratris opinione declarati essent transgressores, ab eo cuius est de huiusmodi iudicium ferre.

9. Dum Bonagratia Min: Gen: venit in Galliam, incunctanter iuxta Decretum Capituli Arigentinensis, animaduertere præcepit S. T. Magistris, & Baccalaureis, in scripta Petri Joannis Oliuij, præcipuos ad hanc censuram designando: qui cunctis maturè perpensis, aliquas propositiones periculosas, quasdam malè sonantes, concorditer reprobarunt, censuram à se latam septem Sigillis munierunt. Tunc Petrus Oliuij ad palinodiã condemnatorum, compulsus est. Et quæ malè siue contra communitatem, siue contra sensum communem, aut fidem scripserat, reuocauit in hæc verba. *Ego Fr. Petrus Ioannes, consentio in verba Magistrorum nostrorum, quæ continentur in literis Sigillorum septem: & quidquid illis contrarium dixi, vel scripsi, vel docui reuoco omninò.* Hæc refert Wadin: ad annum 1282. n. 1.

10. Hunc Generalem Bonagratiam, nonnullis litigiosum esse refert Rodul: pag: 184: quod benè explicat Wadin: ad annum 1284. n. 1; Vnicam litem dumtaxat tempore Officij sui, contra Petrum Joannem Oliuij, & eius sectatores mouisse: & exinde illis nouis Reformatoribus, arctiorem paupertatis vsum in Communitatem inducere pertentantibus, visus est dumtaxat litigiosus, verum communitati bonus & pacificus; pro qua à Martino IV, anno 1281. concessum ampliùs acceptauit Priuilegium, vt per Procuratores posset tenere, possidere, & exigere redditus, & prouentus ac bona quæcunq; mobilia, & immobilia: quam concessionem inserit Sixtus IV. suæ Bullæ, quæ incipit. *Dum vberes.* Vide in firm: 3. Ord: 2. part: Tract: 1. pag: mihi 64. In cuius Obitu Maiorem Cænobij campanam nullo trahente personuisse, referunt Rodul: & Wadin: cit: Obijt Auenioni 1284. Sepultus in Ecclesia sui Ordinis Min: Con:

11. DECIMUS Min: Gen: fuit Fr. Arlottus de Prato S.T.D. absens electus Mediolani, Anno 1285. Hic per nuntium admisso sibi imposito munere, aliquo tempore Parisij hæsit, & prosecutus est doctrinam examinandam Petri Ioannis Oliuij: aliam à communitate, in Obseruantia rigidioris paupertatis, cum asseclis suis

ducere prætendentis, & Prælatos Communitatis imprudenter turbantis. Hic Gen: vt testatur Rodul: pag: 184, damnauit opera huius Petri Joannis Olivij, & eius doctrinam improbauit: Bonagratiam prædecessorem suum imitatus. Sed Wadin: ad Annum 1285. n. 5. aliter refert. quod remanserit causa Petri Joannis indiscussa; & dum examen in plures dies differetur, superuenit Gen: Min: mors, qui obijt Parisijs anno 1286, tumulatus in Ecclesia sui Ord: pro tunc Min: Con.

ARTICVLVS VII.

Vbi Minister Gen: XI, & XII, expromitur. Sub vtroq; non fuisse paupertatis Obseruantiam lapsam ostenditur. Reformati manipulatim exoriuntur, & à Communitate efflictim supprimuntur.

1. VNDECIMVS Minister Gen: Fr: Mathæus de Aqua Sparta S. T. D. quem incluso S. P. Francisco Wadingus ad annum 1287. n. 4. vocat Duodecimum, consequenter alios numerans contra doctrinam à nobis superius allatam Art: 5. n. 77. Sanè meliùs quam catalogus Constit: PP. Obseru:, qui Aquaspartanum Decimumtertium ex plano errore recenset: Heliam secundò inaniter repetendo. Hic Gen: electus est in monte Pessulano anno 1287, ex Lectore S. Palatij: rexit vno anno, postea factus Cardinalis: mandato Dñi Papæ præfuit Ordini vsq; ad electionem futuri Generalis. Neq; hic Gen. etiam purpuræ obiectu, potuit sedare commotos affectus, & cohibere quiritatus, reformatam vitam innouare anhelantium, vt colligitur ex Wadin: ad annum 1289. n. 23. inquiente, *Non parùm nocuit Ordini regimen Aquaspartani, non quod ipse malus fuerit, aut malè præceperit, sed quod eò mitiùs & latiùs agente, paulatim attenuata sit Regularis Obseruantia. Auxit malum quod Cardinalis factus, nec vt opportuit attendere potuit, ad Ordinis gubernium; nec ausus est ad arctiora cogere; dum suauiorem ipse Principis, post Cardinalatum viuendi normam præferret.* Hæc Wadin:

Obser:

Obſer:, acſi diceret non fuit malus, ſed auctor mali. Nam vt dicit Canon Diſt: 83. cap. *Error cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas cùm minimè defenſatur opprimitur. Negligere quippè, cum poſſis deturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quam fouere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.*

2. De eodem Gen: idem ex Wadin: oggerit Marchantius in Expos. Reg: pag: 501, more ſuo conceptum ridiculum addens, quod fuerit puritatis Regulæ, & paupertatis aſſertor, ex eo quia in Prouincia Marchiæ, noluit ineptum pro Prouinciali eligere, ſed prætulit idoneum; ex quo patet ſecundùm Marchantium habilitatem ad regimen Prouinciale eſſe formaliter idem ac paupertatis puritatem, & qui habilem promouet ad regimen Prouinciale, eſt paupertatis non habilitatis vel idoneitatis aſſertor, & qui ineptum promouet, eſt paupertatis euerſor. Hinc rectè quadrat *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.* Hic Gen: reſtituit Prouinciæ protunc Bohemiæ & Poloniæ vni, vocem liberam, in electione Miniſtri Prouincialis. Obijt Romæ anno 1302. Sepultus in Æde S. MARIÆ de Ara Cæli tunc Min: Con:

3. DUODECIMUS Min: Gen: fuit Fr. Raymundus Gaufredi S. T. D. electus Reate, anno 1289. Actis Capitularibus interfuit, ipſemet Summus Pontifex Nicolaus IV. ex Ordine Min: Con- aſſumptus, & Bentiuenga, tum & Mathæus Aquaſpartanus, Cardinales Minoritæ Conuentuales. Hunc Pontificem Nicolaum IV. auerſatum fuiſſe eos Fratres, qui ſub nomine reformationis communitatem ſcindere, & publicam quietem interturbare moliebantur: vel ex eo apertè conſtare poteſt: quia ex quo talibus addictum, vel nouerat Raymundum, vel eiuſmodi indolis hominem fuiſſe præſenſerat, quâ faciliùs obtentu Reformationis, & ſtrictioris paupertatis prætextu, in diuiſionem Ordinis conſentiret: ideò eum Pontifex (cui vnio Ordinis cordi erat) in Generalem Min: eligi non cupiebat: & vt non eligeretur, hoc deſiderium ſuum Capitularibus patefecit vt refert Wadin: ad annum 1289. n. 22: quia tamen poteſtatem eligentium, ad ſuam voluntatem non reſtrinxit, communibus Suffragijs, electus eſt Raymundus: qui vt Pontifex rebatur futurum: impensè fauit refor-

matis, communitatis vitam aspernantibus, Joannem Parmensem in hoc imitatus: quem ob eandem causam Alexander IV. noluit reeligi in Ministrum Gen: vt diximus Art: 5. n. 14. Sed absoluto imperio ad electionem alterius vocales arctauit, nec eorum libertati electionem reliquit, prout fecit Nicolaus; licet ex sui animi sententia optasset eum non fuisse electum: Pontificio spiritu diuinans, futuras sub eo Generali (quem in eodem Ordine in Minoribus existens probè nouerat) in Communitate turbas & contentiosas, ob reformationem strictioris paupertatis Ordini scissuras: quod arcanum Vaticinium fuisse adimpletum, ex facto cognouit ipsemet Pontifex, vt refert Wading: in hæc verba.

4. *Per eosdem dies Pontifex Nicolaus Generali Raymundo, per literas mandauit, vt in quosdam Galliæ Narbonensis Fratres, Petri Ioannis Oliuij Sectatores ageret; qui cæterorum Fratrum statum damnabant, seq; alijs longè familiariùs, præstantiùsq; cum Deo agere prædicabant: deprehensi tamen sunt: Seditiones per Prouincias, offensionesq; concitare, tumultus miscere, necnon abhorrentem à veritate doctrinam, & sequi & serere. Istud negotium Raymundus commisit Bertrando de Cigoterio, quem in Comitatu Venaysino institutum diximus Inquisitorem, vt de re tota diligenter inquireret, & sibi referret, ille vero Patrum Senatui, qui Parisijs in proximo ad comitia Generalia erant conuocandi. Nocuit horum miseria & infamia (inuenti enim verè sunt aliqui à veritatis, & pietatis tramite deuiantes) alijs pijs Viris: dum enim quidquam agebant, aut proponebant ad restituendam Regularem Obseruantiam, superstitiosorum & erronum, extempore Socij proclamabantur.* Hæc Wading: ad annum 1290. n. 11.

5. Qui tempore huius Gen: multa mala contra paupertatem admissa promulgat; quæ non tum incipi iam inchoata, sed ante orta, & sensim multiplicata tunc consummari censebantur. Itaq; ad annum 1289. n. 23. hæc præfatur. *Peccatum est tunc multipliciter in sanctam paupertatem, impensiùs à S. Francisco commendatam, admissæ oblationes pecuniarum in Missis primis nouorum Sacerdotum: appositi cippi, vel gazophylacia in templis, conuentiones initæ de celebrandis missis, propter stipendia pecuniaria; tunc ire cæptum ad anniuersaria, Statuto pretio, more presbyterorum sæcularių, constituti pueruli ad valuas*

Eccle-

Ecclesiarum, qui à transeuntibus pecuniam emendicarent, cereolos sub-tilesué lychnos, ad Sanctorum memorias; vti moris est accendendos, in disco offerrent emendos; sed & ipsi FF. multis in locis publicū exercebant quæstum pecuniarum, in compitis platearum, & foris circumductis pueris, qui denarios acciperent, & expenderent. Tunc etiam derelicta multa domicilia solitaria, & paupercula: constructis in ciuitatibus sumptuosis & capacissimis ædificijs, in quibus indigenæ solùm habitabant, neq; alienigenas admittebant, neq; erat qui extra Patriam vel procul à parentibus vellet habitare. Ioannes de Muro, Successor Gaufredi in Generalatu, voluit paulatim abusum hunc eradicare, præcepitq; aliquibus Ministris Italiæ, ne possent vltra tertiam partem Fratrum collocare, in proprijs patrijs, seu locis natiuis; sed tot clamoribus & strepitu restiterunt Fratres præcepto, vt irritum reddiderint & inane, breuiq; oportuerit reuocari.

6. His relatis immediatè n. 24. subdit. *Pij quiq; Viri sui instituti zelatores, quorum copiosa series nunquam defuit in Ordine, ad tot manifestatas Regulæ transgressiones, vehementèr affligebantur, præsertim in Prouincia Marchiæ. Prodierunt pleriq; in publicum, quorum agmen ducebant tres illi paupertatis propugnatores, de quibus egimus superiùs Fr. Raymundus, Fr. Thomas Tolentinas, & Fr. Petrus Maceratensis: restiteruntq; in faciem laxioris disciplinæ Magistris. Contrarij studij & dissensionis rumor, ad alias prouincias peruenit: iudicatumq; est inter Ministros, magnum subortum Schismatis discrimen: celeri & efficaci præueniendum esse remedio. Illud adhibitum vt in eandem Marchiæ prouinciam amandarentur quinq; vel sex Ministri, qui contentionis causam exciperent, tumultuantes corriperent, eos tanquam Schismatis auctores, & religiosæ pacis perturbatores, perpetuis adiudicantes ergastulis. Primos coniecerunt in vincula tres, quos diximus aliorum ductores; & ne fieret tumultus in Ordine, alia lege cautum est, vt nullus illorum auderet causas tueri, aut iniustè condemnatos dicere. Dùm hæc legerentur, Fr. Thomas de Castro Mirini zelo accensus, in feruore spiritus in consessu exurgens: Ego inquit vitam meam non facio pretiosiorem, quam iustitiæ tutelam: neq; possum huic legi tanquam æquæ assentiri, quam omnino iniquam existimo. Non dixit impunè etenim extempore coniectus est in carcerem, ad aliorum terrorem, vbi post paucos menses gaudens & exultans spiritum emisit. Reliqui vero tres remanserunt in custodia, donec anno*

sequenti, à Raymundo Generali Min:, libertati sunt restituti.

7. Sed pace dixerim Wadingi, licet docti, & cauti scriptoris: Nullo modo ei possum assentiri, in duobus punctis, ex dictis ab eo relatis. *Primum*. Nullam haberi rationem, cur illo tempore asserat *peccatum esse multipliciter, in S. paupertatem, à S. F. vnicè commendatam*; Præcipuè cùm eo tempore Ordo Min: acceptasset explicationem Regulæ ab Innocent: IV. editam. & ab Alexandro IV. confirmatam. rigidos vsus paupertatis modificantem, & mitigantem: vt retulimus Art: 5 n. 4. Deinde ad instantiam S. Bonau: Clemens IV. capaces declarauit, vniuersos Minoritas, vt possent in bonis parentum succedere, possessiones apprehendere, & in suam vtilitatem conuertere, vt diximus Art: 5. n. 22: quidquid contra hoc ex suppositione irrationabili, obganniat Marchantius, in Expos: Reg: pag: 516. Tum etiam Martinus IV. eidem Ordini Min: concessit redditus, & prouentus annuos, per procuratores administrandos: quod priuilegium Sixtus IV. confirmauit & suæ inseruit Bullæ, quæ incipit. *Dum vberes*: vt diximus Art: 6. n. 10. His stantibus; validis Pontificijs indultis & non subreptitijs, quia corpori iuris authenticè insertis: Vellem scire rationem à Wadin: assignandam, cur tunc fuerit peccatum ab illis Minoribus, qui his priuilegijs innixi, noluerunt se subdere rigidiori paupertatis Obseruantiæ; paupertatem dumtaxat statui religioso essentialem, in particulari seruantes, & accidentalem rigorem paupertatis in communi, auctoritate Apostolica relinquentes; indè securiori vitæ suæ statui prouidentes, prout eadem facit ab eo tempore etiam hodierna Matrix Min: Con: Religio.

8. In hac Matrice à temporibus Innocentij IV. duo genera Obseruantum exorta, non interrupta continuatione vsq; in hodiernum diem persistunt. PRIMUM firmiorum secundùm datã sibi à Deo gratiam, Regulam in puritate seruantium, cum intrinseca Obseruantia, absq; extrinseca reformationis & denominationis separatione persistentium: de hoc genere sunt, P. Josephus de Copertino, Vir extaticus, in vita & post mortem miraculis clarus, anno 1663. vltimum diem claudens. Pr. Ludouicus Gulinettus signis, extasi, & spiritu prophetico clarus, anno 1681. morta-

mortalitate Anagniæ exutus. Palanterius, Bartholomæus Agricola, Constantius Assisiensis, Adamus Siecha Pyzdrensis Polonus, qui cum opinione sanctitatis Pataui obijt anno 1626. Itidem Adrianus Bratkowicz Polonus in specie & in indiuiduo pecuniæ nescius, obijt Calissij anno 1639. de quibus vide in Prouinciæ Polonæ descriptione, & alij in Ordine Min: Con: nostro sæculo, vel vitâ functi, vel viuentes. SECUNDUM genus est infirmiorum, ex indulgentia Apostolica, Regulam priuilegijs modificatam, & temperatam Obseruantium, vt sunt cæteri in cætu Min: Con: Fratres Regulam S.F. secundùm mensuram donationis Christi obseruantes. Hoc duplex genus obseruantum, quasi ab exordio Ordinis Matrix Min: Con: Religio comprehendit, ad intentionem ipsius Christi Dñi per Nicolaum III, in Bulla quæ incipit. *Exÿt qui seminat.* his verbis declaratam: *Sic ipse Christus cuius perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quòd interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret - - - Egit namq; Christus & docuit opera perfectionis, egit etiam infirma, sicut interdum in fuga, patet & loculis: sed vtrumq; perfectè perfectus existens, vt perfectis & imperfectis, se viam salutis ostenderet: qui vtrosq; saluare venerat, qui tandem mori voluit pro vtrisq;.*

9. Porrò ex his excessibus à Wadin: recensitis, multos conspicimus, si non omnes, per praxim versari in Ordine suo: quod euidenter reuelat præfatio ad Bullam Pij IV, adducta, à Flauio Cherubino in Compen: Bullar: quæ incipit *Sedis Apostolicæ.* per hæc verba: *Nos interim Summorum Pontificum declarationem, vsumq; bonorum eius post Patres nostros, qui Ecclesiam illustrarunt secuti sumus, tutius esse arbitrantes, piam Ecclesiæ declarationem amplecti, quàm omnimodam Regulæ completionem, cum periculo profiteri; & maximè cùm videamus etiam ipsos Obseruantiæ Regulæ professores, habere varios redditus, & prouentus, sine quibus minimè viuere possent.* Et Speculum Gabrielis Fabri Parisiensis pag: mihi 140 refert: *in Ordine Obser: annuos redditus nomine lampadis, Sacrarij, Ecclesiæ, valetudinarij, prætextu studiorum, librorum, Capitulorum, aut alijs similibus de causis, liberè Romæ & vbiq; consuetè recipi:* & tamen ex hoc facto Sacer Or-

do Obser: non censetur in S. paupertatem peccare: dum est legitimè priuilegijs Apostolicis suffultus, non enim Regula S. F. præfertur auctoritati Pontificiæ, imò ei omninò subditur; ab ea vitam & vigorem mutuans, quæ tamdiù & tantùm viuit, quamdiù & quantùm Apostolica Sedes vitalem vigorem in eam influit. vt diximus Art: 3. n. 4. Quanquam difficile sit hæc conciliare: cum Bulla Vrbani VIII, quæ incipit: *Sacrosanctum Apostolatus*: quascunq; concessiones siue indulta, tam per literas Apostolicas, & motu proprio, quam viuæ vocis oraculo, & alias quomodolibet concessa; eidem Regulæ quomodolibet contraria abrogante, in Ord: Obseru.

10. Secundum in præfatis Wadingi relatis, non placet: quod laudabiles putet, & vocet pios illos zelatores, de recensitis putatiuis trasgressionibus afflictos, ac proinde in faciem laxioris disciplinæ communitati resistentes: cum meliùs huiusmodi reformatos, causa reformationis tumultuarios, in communitate motus cientes, vocet Peregrinus à Bononia, huiusmodi reformatis Synchronos, & coæuus, phantasticos & contentiosos, vt diximus Art: 4. n. 16. & ipsemet Wadin: ibidem non omninò à contentione excusandos censeat, & de imprudentia eos sugillet; quam omnibus reformatis reformationem Paulutianam præcedentibus generaliter impingit, ad annum 1368. n. 10, initium Ordinis Obser: describens in hæc verba: *Hoc anno Ordinis reformatio toties ab alijs intentata, non tamen prudenter directa, humile & stabile sumpsit initium.* Sed gratis demus Wadingo, illos zelatores argi oculis aduertisse, aliquos contra paupertatem irrepsisse abusus; quis eos constituit iudices, & reformatores suorum Seniorum Fratrum? maximè cùm auctoritatiua reformatio eorum sit, qui iurisdictionis auctoritatem habent, vt sunt Concilia & Pontifices. Hinc Concil: Aquisgran: cap: 4. apud Bruc: lib: 3. cap: 16. præcipit, vt Deo dicata loca, in antiquum statum reformentur. Idem mandat Innocentius III. de Relig: Dom: cap: *Inter quatuor.* Et ordinariè Generales & Prouinciales in Capitulis Gen: vel Prou: & in suis Visitationibus, reformationi incumbere tenentur, ex Concil: Trid: Sess. 25. de Reform: Reg: cap: 1. Quare soli armati

præce-

præceptis Apostolicis, debent reformationem procurare; & illi qui nulla sunt potestate præditi, vt legati sine mandatis, non debent sub specie reformationis, ex præsumptuoso zelo, pernitiosa detractione, & tumultuaria perturbatione, communitatis quietem, & vnitatem, lacerare, & temerare.

11. Apposite Roder: Tom: 3. Q. 47. Art: 3. Vocat huiusmodi reformatores. *Homines singulares, qui vt singularis ferus suam volunt Religionem depascere, singularis enim* inquit *ferus, illi censendi sunt, qui sibi solis & non bono communi consulunt; & quando Religio per tales singulares reformatur* (dicit infra) *potiùs deformatur; cùm in ea sectationes, odia, contentiones, discordiæ, & inæqualitas iustitiæ, cum maxima perturbatione relinquatur, & locò benedictionis maledictio, suum satis plorandum effectum sortiatur.* Qui consulit ordinarios reformatores, non huiusmodi tumultuarios deformatores, esse amplectendos. Hi enim si prudenter zelatores & humiliter spiritu pauperes essent, non seniores de communitate, sed seipsos de singularitate accusare aggrederentur, iuxta Prou: 18. *Iustus prior est accusator sui.* Et S. Franc: dicere solitus erat: *qui verè pauper est spiritu, seipsū odit, & alios diligit, qui ipsum percutiunt in maxillam.* & in Regula sua dicit: *sed magis vnusquisq; iudicet & despiciat semetipsum.* Sed vel ipsam Catonianam seueritatem, istiusmodi reformatores audiant, hic vt refertur lib: 5. Apoph: dicere solitus erat: *se omnibus peccantibus ignoscere præterquam sibi ipsi.*

12. Ex his manifestè infertur illos zelatores, per suarum manuum impositionem reformatores factos, non omninò fuisse pios, nec zelum secundùm Scientiam Dei habentes; licet in eorum laudes propendeat Wading: diuerso longè sensu ab eo, quem posterius concepit, ad annum 1415. n. 25. de reformatione Paulutiana, sub regimine Joannis Stronconij, inquiens in hæc verba: *Ministros plurimo obsequio & placido regimine habebat propitios. Ita turbas & scandala euitabat, dissidia & lites procul faciebat, & placida licet lento incremento, suam familiam dilatabat. Præstat sanè ita facere quàm ciuilibus discordijs, intestinis odijs publicisq; tumultibus, nouas respublicas festina eruptione, & odiosâ scissurâ meditari. Si religiosè si modestè, si debito modo Dei opus proponatur, ipse stabiliet. Prælati etsi laxioris*

ctioris vitæ, etsi durioris notæ, & conditionis, sincero virtutis exercitio vincuntur, & Religiosis humilitate mansuescunt.

13. Ad hæc omnia non aduertit Raymundus Gaufredi Min: Gen:, sed ex excessu arctioris paupertatis exorientis reformationis, scintillas in maximas postea turbarum flammas prorupturas, fouit & protexit: quas etsi consopire postea voluisset non potuit; cum enim præfatos reformatos à communitate in vincula coniectos, è carceribus liberasset, & apertis brachijs recepisset, atq; vt communitatis indignationem ab eis auerteret, in longinqua vsq; ad Regem Armeniæ ablegasset. Hinc vt refert Wading: ad annum 1290. n. 10: *Ortum murmur contra Generalem, & quorundam conspiratio, qui dicebant phantasticorum & superstitiosorum hominum fautorem, nec à concepto eius odio destiterunt, donec sub Bonifacio VIII. præfectura deturbarunt.*

14. Celebrabat Raymundus Conuentum Generalem Parisijs anno 1292, dum Petrus Joannes Oliuij ei interfuit, & controuersiam quæ versabatur inter ipsum, & Communitatem Ordinis de Obseruantia Regulari, tali modificauit medio. Imprimis confessus est coram PP. Capitularibus publicè, puram Obseruantiam paupertatis Regularis, non aliam hucusq; affectasse, nec alium vsum pauperem, vel diuersum viuendi modum iuxta puritatem Regulæ desiderasse, nisi eum qui continetur in declaratione Regulæ, facta à D. Nicolao III, & si quid aliud huic contrarium hactenùs dixisset, inane & irritum, cum reuocatione dictorum haberi se velle declarauit; & pro non dictis reputari, ab omnibus submissè petijt: quæ contestatio cum non fuisset communitati aduersa, eam acceptauit, hæc namq; in gremio suo vtrosq; Obseruantes complectebatur, tam eos qui firmiori virium, & gratiæ Dei Spiritu præditi, iuxta Nicolai III. declarationem Regulæ puritatem profitebantur, nec propterea à Communitate sua spontè separabantur, fouendo & nutriendo; quam illos qui in infirmiori virium gradu à Deo collocati, Regulam S. F. priuilegijs Apostolicis temperatam, seruare censebantur; nec ideò à Communitate excludebantur, protegendo & amplectendo, atq; vicissim per vtrosq; acsi per varietatem membrorum, non eundem actum haben-

habentium, idem corpus vnum indistinctum & indiuiduum conflatum, & constitutum agnoscendo & complectendo, & solum ratione reformationis, scissuras & sectas, à communitate se auertentium repudiando, & abominando. His omnibus cum confessio F. Petri Joannis Oliuij nihil oppositum contineret; facile à PP. Capitularibus in pace fuit dimissus impunis.

15. Puniti sunt tamen plures huius Petri sequaces, quos culpabiles reperit Bertrandus de Cicoterio, auctoritate Apostolica, supra huiusmodi sub nomine reformationis discolos Commissarius. Hi valdè nocuerunt F. Petro, cuius se profitebantur sequaces: quamuis enim ille dimissus fuerit ex Comitijs impunis, tamen hi (vt testatur Wadingus) ad annum 1292. n. 13: *Tot excitarunt turbas & schismata, vt tanquam ceruicosi, nimis & tumultuarij fuerint plectendi, & doctrinam illius, quem suum prædicabant Magistrum: odiosam valdè reddiderunt Ordinis Communitati: zelum quemdam indiscretum (vt communiter in huiusmodi fit) sub deuotionis colore præferebant, nec poterant à suis opinionibus tanquam temerarij reuocari: hinc secutæ quædam scandala, & prohibita fuit doctrina F. Petri.* In his Comitijs Raymundus Gen: vt dicit: *Memoriale Ord:* ad preces Regis Franciæ, cathedram Magistralem in Theologica facultate est assecutus. Hæc tamen Regis in eum beneuolentia, ipsum non obtexit, quo minus præcipui Patres eum insequerentur, teste Wadin: cit: n. 14: *Nec sufficiebat vt abstinerent ab eo traducendo, & accusando in publico consessu: ex eo quod Fratres Schismaticos, à Religionis corpore recedentes impensè dilexerit, eosq; vt diximus supra n. 12. ad Regem Armeniæ transmiserit; quo honore visus est illorum approbare contumaciam.*

16. Post mortem Nicolai IV, in locum eius Cælestinus V. eremicola est suffectus, cuius pietate & propensione, erga eremipetas, in locis austeris viuentes: aliqui quibus arctioris paupertatis, & purioris extra communitatem Obseruantiæ, nimiùm irrepserat desiderium, & pruritus; statuerunt reformationem suã, contra communitatis intentum, apud eum solerter promouere: quare eo intuitu referente Wading: ad annum 1294. n. 9. Decreuerunt vt suo, & sibi adhærentium nomine, mitteretur Fr. Liberatus, & Fr. Petrus de Macerata, vti Pontifici antea noti & fa-

milia-

miliares, qui peterent vt sibi auctoritate Pontificia, cui nemo auderet contradicere, liceret viuere secundùm puritatem Regulæ & S. F. intentionem: quod totum, quia sub pietatis, & maioris Obseruantiæ colore petierunt facilè impetrarunt, necnon ampliorem, sed periculosam adepti sunt facultatem, vbicunq; eis placeret ad præscriptum Regulæ, & intentum à se rigorem cohabitare: quibus præfecit Pontifex Fratrem Liberatum. Et vt eis præcaueret à molestijs Superiorum Religionis, constituit (ipsis ita petentibus) vt in posterum non Minoritæ, sed pauperes eremitæ D. Cælestini nuncuparentur, & libera esset eis facultas, recipiendi omnes, qui vellent sequi hanc vitam arctiorem.

17. Displicuit Ordinis Patribus Summi Pontificis Decretum vt refert Rodul: pag: 180. b. inquiens: *Vnde vix impetum iræ sustinentes clamabant dolentes coram Pontif: de facultate data fratribus (qui se reformatos vocabant) non sine maximo Ord: detrimento; Inuigilant igitur animi vt eis nihil improuisum accidere possit, & explorato loco, vbi fratres illi commorabantur, stipendio secum adductis armata manu inuadunt locum, & comburunt; vndè coguntur pauperes reformati, improbis rumoribus dissipati aufugere, vt nec domi nec foris satis tuti essent.* Wadingus ad annum 1294. n. 9. aliter refert in hæc verba: *Rectores Ordinis, grauiter tulerunt huiusmodi separationem, ab Ordine, neq; tamen quidquam ausi sunt contra eos tentare, donec Pontificatum abdicauit Cælestinus: quo tempore prædicti Eremitæ, vt iram & molestias horum declinarent, abierunt in Græciam, & partes Achaiæ. vbi in quadam insula habitare decreuerunt.* & in hoc Wadingus cum Rodul: conueniunt. Abijt etiam cum illis Angelus Clarenus.

18. Sponte abdicato Pontificatu per Cælestinum V. Bonifacius VIII. qui ei in Sede Petri successit. Raymundo Gen: obtulit Episcopatum Patauinum, sed cum ille pertinaciùs acceptare renueret, se tanto oneri imparem dictitans, indignatus Pontifex: *At* inquit *multò magis impar es tanto quo fungeris muneri*, cumq; à Ministeriatu protinùs absoluit. Sunt qui scribant, vt refert Wading: ad annum 1295. n. 14: *Accusatum fuisse à Fratribus apud Pontificem, quod valdè fauerit ijs, qui ad arctiorem vitæ normam aspirarant.*

19. Sub hoc Gen: Nicolaus IV. concessit Sacro Conuentui

Assis: vt omnes oblationes pecuniariæ, in quibuscunq; pecunijs seu monetis quæ à fidelibus in Ecclesia S. M. Angelorum offerebantur conuerterentur in conseruationem Ecclesiæ S. F. & Sacri Conuentus Assisiensis. vt habet Wadin: Tom: 2. in Regest: Pont: Bulla 10. & 11. Nicolai IV. Huius mentionem facit ad annum 1415. n. 23. & ad annum 1445. n. 22. quibus temporibus Ædes S. M. Angelorum, à Matrice Religione Min: Con: pro dote oblata fuit filiali Ordini Obseru: pecuniarijs eleemosynis dumtaxat sibi reseruatis. Idem Pontifex sub eodem Gen: Abbatissæ & Conuentui de Scala lapidis S. M. Ord: S. Claræ, Diæcesis Cracouiensis indulsit, vt de siluis & nemoribus, quæ possidebant decimas soluere non tenerentur. Ita Wading: ad annum 1290. n. vltimo in fine. quod sanè mirabile videtur: cum de lignis siluarum, aut de arboribus nemorum, decimæ non soleant persolui.

20. Sub hoc Generali Nicolaus Lyranus factus Fr. Minor. Doctor planus, & vtilis nuncupatus. Deinde creati sunt à Bonifacio VIII, ex Ordine Min: Con: anno 1295. (quo hic Gen: præfecturâ fuit abdicatus) duo S. R. E. Cardinales: Jacobus Thomasius Caietanus, ex Sorore Pontificis Nepos, & Andreas Anagninus Alexandri IV. pronepos.

ARTICVLVS VIII.

In quo Min: Gen: XIII. exprimitur. Reformatorum separatio ab Ord: reprimitur. Bonorum in Communi possessio defenditur. Et per Prælatos Ord: reuocari non posse ostenditur.

1. DECIMUS TERTIUS Minister Gen: fuit Fr. Joannes Minius de Muro Picens S. T. D. anno 1296. electus Anagniæ, quo S. Ludouicum Episc: Tolos: ad Ordinem suscepit. Capitulo Generali præsidebat, Summus Pontifex Bonifacius VIII. Nec sub hoc Gen: conquieuerunt, vel sopiri potuerunt, tumultus & turbamenta, arctiorem paupertatem inducere, in communitatem studen-

ſtudentium, & Petri Joannis Oliuij anno 1297. vitâ defuncti, doctrinam contentiosè, & turbulenter promouentium, vt refert Wadin: ad cit: annum n. 35. in hæc verba. Multa Schiſmata, & contentiones exortæ ſunt, per varias prouincias ex Sciolorum quorundam, nimia ſapientia, & ignarorum multa præſumptione, qui inſipienti zelo, & indiſcreta æmulatione, doctrinam & reformandæ religionis deſiderium, huius authoris, animoſiùs quam prudentiùs per omnia ſectabantur, & Communitati Ordinis ſemet opponebant. Quare in proximo Capitulo Generali interdixerunt Rectores, & præcipui Ordinis Patres eius libros, quos ampliùs legere non licuit.

2. Freti etiam Apoſtolico Cæleſtini V. Decreto, fratres illi arctiorem Regulæ Obſeruantiam prætendentes, quos in Græciam ad partes vſq; Achaiæ transfretaſſe Art: 7. n. 17. diximus, ibidem ſuam ab Odine ſeparationem ſtabilire, omni conamine attentarunt, & habitacula acquirere cæperunt. Horum conſcij Patres de Communitate, conati ſunt modis omnibus eos ad vnitatem Ordinis reuocare. Illi conſtanter reſtiterunt, obijcientes ſe licitè ex Pontificio indulto, ſub nomine Eremitarum Cæleſtini V, nouam ſibi formulam vitæ elegiſſe, neq; ab illa aliquando receſſuros. Sed diuiſionem Ordinis metuentes communitatis Patres, eorum propoſitum omninò deturbare ſtatuerunt. Ad quod faciliùs conſequendum, (non eſt vero ſimile quod Wadingus ſcribit ad annum 1301. n. 1.) eos vſos fuiſſe indignis medijs, calumnias, errores, & ſuperſtitiones Manichæorum, aliaſq; impoſturas, & impudentiſſima mendacia eis obijcientes. Hæc tanta, tam execranda & infanda, non auderem cum Wadin: communitati tranſcribere, qui licet ſolam Prouinciam Romaniæ, eo modo his reformatis infenſam pronunciet, tamen etiam illius Prouinciæ communitas, tàm Stolidâ deſipientiâ non eſt denigranda, vt putidis mendacijs ſtatum ſuum tutari, & aduerſantium infirmari, ſibi cenſeatur perſuaſiſſe: Maximè cum reuocatio diuiſorum ad vnitatem Ordinis, ad Primicerium Generalem, & ad totius Ordinis Communitatem, & non ad vnam Romaniæ Prouinciam, ex terminis noſcebatur pertinere.

3. Pro:

3. Proinde vero propiùs est quod narrat Rodul: pag: 181. in hæc verba. Quamobrem timentes (scilicet fratres Communitatis) nè nimium eorum (id est reformatorum) fama augeretur, & inualesceret, & in dies maiores vires acquireret, significarunt Episcopis, & Baronibus Achaiæ, ne fratres illos ab Ordine tanquam Schismaticos expulsos, permitterent commorari penes se. Quæ cum reformatis renuntiata essent, ad Bonif: Pont: recurrunt, cui magnoperè displicebat hæc de fratribus audire. Nam instabant reformati, vt daretur sibi locus securus, vbi possent tutò in puritate Regulæ viuere: reclamabant alij, ne fieret noua concessio, contra Ord: decorem, & communem concordiam. Pontifex vt tumultum sedaret, commisit causam fratrum examinandam, & componendam, vt præcluderetur scandalis aditus: nec posthac daretur quærelæ locus, D. Patriarchæ Constantinopolitano, qui tunc temporis Venetijs moram trahebat, & Archiepiscopo Atheniensi, & Patratensi, qui re inspecta existimantes (captâ ex tempore occasione) tam cupidis petitoribus viam ad lites præcludere; priuatis literis significarunt Thomæ de Sala, cuius erat insula, vbi fratres morabantur, vt eos pro communi Ord: pace, ab insula remoueret fratres; addentes ei, si id facere & parere nollet, excommunicationis censuram; quod factum est.

4. Et quia Patres Communitatis iudicarunt statueruntq; , nullum non mouere lapidem, donec excisam hanc partem à Corpore Religionis, ad vnitatem eiusdem reducerent. Hinc Wadin: ad annum 1302. n. 7. astruit. *Actum cum Gen: Ministro in Comitijs Gen: Ianuæ celebratis, & in pleno consessu conclusum, debere omnino præcaueri Ordinis Schismati, & omni conatu adlaborandum esse, vt reuocarentur ad Ordinis vnionem, illi qui sub Cælestinorum Eremitarum appellatione, ab Ordine se separarunt;* Et licet publico Capituli Gen: edicto constitutum esset, adeundum Pontificem, eius auctoritate præfatos arctiorem vitam appetentes Ordini aggregandos, reuocandaq; Cælestina Priuilegia. Hoc tamen non obstante, Wadin: loco cit: Sinistras imaginatur rationes, ad flectendum Pontificis animum, à Communitate excogitatas, & suggestas, auertentibus se ab ipsa aduersante reducendis. Sed non opus erat ad malas artes

recurrere excogitandas, cum ipsa imminens Religionis scissura, cum subducto Regularis Obedientiæ obsequio, toti Capitulo cum suo Ministro Gen: sufficiens persuaserit motiuum, mediante recursu, auctoritatis Pontificiæ implorandæ ad eos homines, proprio cerebro innixos reducendos, in quo Wadin: sensum suum prætulit Communitati in Capitulo Gen: congregatæ, aliàs ab eo similibus reformatorum tentamentis prælatæ, vt diximus Art: 4. n. 18, & ipsomet alibi à tali diuersitate auerso Tom: 2. in Epist: ad Lectorem sibi dissimili inquiente. *Grata quibusdam tanta congregationum varietas, at mihi semper inuisa.*

5. Et reuera non haberi solidã rationẽ, cur ad arctiorem paupertatem aspirantes, à cõmunitatis Conuictu abstinere, & abhorrere deberent, licet enim Matrix Religio Franciscana, tunc bona in Communi & annuos redditus possidebat, hæc tamen Obseruantiæ arctiorem paupertatem ducere volentium, nec in minimo præiudicium ferebant; cum in particulari, ita ex communibus viuerent, acsi ex quotidianis ostiatim emendicatis eleemosynis, ipsis subministraretur victus, & amictus, absq; vlla adlabente in particulari proprietatis labe: Sicq; seruarent Regularem paupertatem, in Matrice Religione bona in communi possidente, prout ad literam seruarunt illi, quos retulimus Art: 7. n. 8. absq; vllo diuisionis & denominationis diremptu; Eò vel maximè quia Joannes 22. in sua Extrau: quæ incipit. *Quia quorundam* de verb: sig: definiuit, *vita Euangelica quam Christus & Apostoli tenuerunt, habere in Communi aliqua non excludit, cum sine proprio viuere non exigat; quod sic viuentes nil habeant in communi.* Et in alia Extrau: quæ incipit. *Ad Conditorem* concludit. *expropriationem tam in particulari quàm in Communi, dum solicitudinem temporalium acquirendorum, vel conseruandorum non amputat, ad perfectionem valet conferre nihil; Cum charitatem non augeat. Nec post huiusmodi expropriationem sic viuentes minùs soliciti debent dici, quam Religiosi alij Mendicantes, habentes aliqua in communi, nec ob id, istis pauperiores nuncupari.* Hæc ex Joan: 22.

6. Porrò quia Pius V. in Const: 66. *Illa nos cura* determinat, in Minori numero fratrum quàm duodecim, non posse fieri Obseruantiam: hinc cum per experientiam quæ est rerum, magistra

giſtra habeatur, in tam frequenti mendicantium commeatu, refriguiſſe charitatem multorum, & murem (vt aiunt) miſſum eſſe in peram: proinde fratres ex eleemoſynis incertis, non poſſunt viuere in numero competenti, ſine læſione paupertatis. Quare vt Religiones florerent, & neceſſaria non deeſſent, redditus in Communi non officiunt, ſed conducunt, & ita approbante S. Conc: Trid: decretum eſt, vt omnes Regulares (exceptis domibus S. F. Capucinorum & de Obſeru:) redditus & bona immobilia, pro exacta Status Regularis obſeruantia poſſiderent. Non ergo eſt improbanda Communitas prouida, neceſſaria ſubminiſtrans. An reprehendendus Apoſtolus, cùm pronuntiauit 1. Tim: 6. *Habentes quibus veſcamur & quibus tegamur his contenti ſimus.* Apoſtolica primitiuæ Eccleſiæ norma reprehendatur, vbi erant omnia communia, & diſtribuebatur vnicuiq; prout cuiq; opus erat. Rectè Damian: Opuſc: 13. iudicat. *Tantò liberiùs Religioſorum animos ad alta ſuſtolli, quantò minùs ad prouidenda ſibi infima rei familiaris, inopia non grauantur.* Ex his concludendum venit, communitatem bona in communi poſſidentem, tantùm abeſt, reformatam vitam ducere ſtudentes impedire, vt potiùs exactiori paupertati ſeruandæ, cenſeatur intimiùs obſecundare, & luculentius adiumentum præſtare. Vtroſq; enim tam ſtrictiùs quam remiſſiùs, in eadem communitate viuentes & compaginatos, charitas efficeret vnius moris in domo, vt ſine diſcrimine vnusquiſq; ad alterum diceret illa D. Bernardi verba ad Gul: Abb: *Laudo omnes, & diligo, vbiq; & piè & iuſtè viuitur, in Eccleſia vnum opere teneo, cæteros charitate; faciet autem charitas, vt nè illorum quidem fructu frauder, quorum inſtituta non ſequor.* Quod ſanè meliùs eſſet commercium, quàm præſens diſſidium: maximè cum Virum iuſtum aliorum imperfectio non obſcurat; imò Vir bonus ſua rectè facta non intra ſe tantummodò concludit, verum in aliorum quoq; vtilitatem, præclaros hos facit effluere fontes.

7. Inde non extra propoſitum Petrus March: animaduertens ſui Ord: Obſer: à primo feruore obſeruantiam collapſam, animitùs conqueritur & murmurat contra ſuos Reformatos ab eius Ordine Obſer: ſe ſeparantes, & eum in veteri deformatione

relinquentes pag: 546. in hæc verba inquiens · *Sub Clemente VII. cæpisse idem ferè institutum in Italia sub nomine Reformatorum, idq́ etsi feliciter sibi, non tamen adeò vtiliter Ordini. Hi enim pro sua quiete & tranquillitate se separauerunt in Custodias, & à communi regimine Prouincialium se subduxerunt, vnde factum est vt Ordinis communi reformationi vix deseruierint; contenti paucis veteribus Conuentibus, cum ijs quos nouiter ædificarunt. Quorum reformationem sub ijsdem Priuilegijs, & exemptionibus, assumpserunt FF. Recollecti Galliarum, relinquentes Prouincias & Conuentus Obseruantiæ, suo cursui absq́ reformatione.*

8. Hoc quod egregiè Suarez Tom: 4. de Relig: lib: 2. de variet: Religionum cap: 8. adnotauit in hæc verba. *Qui doctè sentiunt satiùs iudicant, ad Romanorum Pontificum declarationes, vitam viuere Regularem, quàm instabiles vagi cerebri intellectiones, noua quotidiè machinari disciplinæ rudimenta.* Hoc inquam heroicè opere compleuit B. Lancestaus Vngarus Minorita, qui cum a Superioribus Religionis, multoties collocaretur de familia, vbi Obseruantia paupertatis non rigoroso vsui, sed Priuilegijs Apostolicis conformis seruabatur; ipse non ibi cum Minori spiritus alacritate, quàm vbi vigebat rigidissima morabatur; Satagens interim per se facere, quod per alios fratres suppleri reliquum superesset. Hic vt refert Wadin: ad annum 1445· n. 13. Guard: agens in Conuentu locupletè a PP. Conuentualibus ad PP. Obseru: translato, interrogatus à B. Fran: Papiense, an tuta conscientia & pacato animo liceret Fratribus in illo Conuentu, structura Nobili, & multa supellectili locupletè, à PP. Conuentualibus ad ipsos translato commorari? Cui respondit. *Fateor charissime frater me hucusq́ deceptum reputasse, paupertatem virtutum omnium primam; sed in veritate comperio, summam veri Minoritæ perfectionem, in Sancta obedientia & vera humilitate consistere.* Admiratus Fr. Franciscus propter pij Viri, & Venerandi Superioris reuerentiam, conticuit, etsi responsum minimè probauerit. Non inanis neq; prorsus superflua hinc desumi potest doctrina, pro ijs qui perfectionis apicem in summa rerum ponunt egestate. Non enim bonorum penuria, sed voluntatis compressio inter insignes virtutes connumeratur. Beatos pauperes spiritu proclamauit Dominus, & primos commendauit humiles

les scilicet mente atq; contritos spiritu, seu voluntate.

9. Profectò parùm refert si exteriùs vilescas dum interiùs intumescas; rectè D. Greg: 6. Moral: cap: 14. inquit. *Solus ille pauper est, qui apud semetipsum elatus non est, & minùs inops est, qui vestem non habet, quàm qui humilitatem.* Quid prodest Minoritæ si summo studio extremas diuitias abiiciat, & in pectore loculos propriæ voluntatis reseruet. Ad propositum S. Hierom: Epist: ad Ocean: ait. *Plùs est animum deposuisse quàm cultum, difficiliùs arrogantia quàm auro caremus, & gemmis: his enim abiectis, interdum gloriosis tumemus sordibus, & vendibilem paupertatem populari auræ offerimus. Vilis tunica contemptum sæculi probat, ita dumtaxat nè animus tumeat, nè morum habitus sermoq; dissentiat.* Sunt quidam, qui ad metam se perueniße putant, dum præter segmentitiam, vilemq; vestem, reliqua omnia procul faciunt: atq; ex hac ipsa rerum depressione ampliùs efferuntur, vt alios contemnant, lacerent, & vituperent, videlicet, si quid ampliùs rerum præter ipsos habeant, tantùm eis deesse perfectionis, quantùm suppetit commodi superstitiosè obloquentes. Verè decet Minoritam altissima paupertas, decet tamen magis perfectissima obedientia & paupertatis germana Soror humilitas profunda: Neq; in magnis domibus & amplis claustris viuere, sed in exilibus cellulis & humilibus tuguriolis nocet superbire. Multiplex namq; paupertas est ex Chrisost: in Firm: 3. Ord: part: 4. fol: 120. b. *Alia simulatoria quæ expoliat se bonis temporalibus, sed non superbia vel arrogantia. Alia spiritualis, quæ annexam habet humiliationem & Cælestium contemplationem.* Diabolus enim in hoc mundo etiam pauper est, non exinde tamen humilis. Hinc Greg: Hom: 32. inquit. *Nihil autem proprium maligni spiritus in hoc mundo possident.* Et licet pauperrimi tamen sunt superbissimi, diuitijs affluentis superbiæ, omnem paupertatis penuriam excedentes. Porrò post mortem præfati B. Lanceslai nō adeò paupertatem extrinsecam venerantis, vidit idem B. Franc: Papiensis, animam eius inter primos Minoritas Christi frui amplexibus, & miraculorum clarescere fulgoribus.

10. Hucusq; non extra propositum dicta, ex causa reformatorum, qui sæpiùs maleuolo ambitu, vel inordinato pruritu, aggre-

aggrediuntur communitates reformare, siue in habitu parco necessario & succincto, siue in redditibus & annuis prouentibus, ad communem vtilitatem spectantibus, siue in legibus, ad phantasiam suam gratuitò efformatis, in externis dumtaxat apparentijs, velut morionum præstigijs, & incautorum sophismatis superciliosè constitutis; ignorantes illud August: *Non in solo rerum corporearum nitore atq; pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse iactantiam: & eò periculosiorem, quò sub nomine seruitutis Dei decipit, & dolosa Sanctitatis fallit imagine.* Sed vt ad præsentis Articuli reformatos, nomenclaturâ Cælestinorum Eremitarum insignitos, nostra redeat Oratio. Hi vt inquit Wadin: ad annum 1302. n. 8. admiserunt potiùs adinuenerunt hoc temperamentum, vt sub aliorum reformatorum (intra Obedientiam tamen Ordinis manentium) Præfecto in partibus Achaiæ tunc præsente, Ordini vniti seu reconciliati, cum eo & sub eius obedientia, simul abirent ad partes infidelium, pro fide propaganda. Sed nè propria auctoritate hoc fecisse videretur Præfectus, tunc Jacobus de Monte; Scripsit Ministro Gen; iam ad Cardinalatum assumpto, vt sibi liceret præfatorum Eremitarum Præfectum, eiusq; Socios in Societatem admittere, & suis aggregare, vel ex eo maximè quod tunc pendere videbatur pax Ordinis vnitas & incrementum, tum populi clericq; ædificatio.

11. Suspectam habuit Cardinalis Ordinis tunc primicerius, congeminatam reformatorum coniugationem, noluitq; gliscenti carboni infundere nitrum, & vt scribit cit: Wadin: Noluit petitioni subscribere Cardinalis, quantumuis eandem vrgerent Conradus Offidanus, magnæ apud eum æstimationis, & Fr. Thadæus suus Socius, & à secretis quem summè diligebat: Cupiebat enim vt reuerterentur in Italiam, & sub disciplina Prælatorum omnem remouerent opinionem diuisionis, & Schismatis timorem. Hæc Wadin: Hi reformati Eremitæ Cælestini, animaduertentes renitentem Cardinalem, tutiùs duxerunt cum suo Præfecto vt cit: refert Wadin: in Italiam reuerti, coram Summo Pontifice calumnias sibi, suisq; impositas detergere, & coram probare omnes suos sectatores, esse veros Ecclesiæ filios, suæq; sanctitati addi-
ctissi-

ctissimos. In Italiam autem dum anno sequenti applicuerunt. Aliqui commorati sunt in deserto Apuliæ. Alij autem cum Angelo Clareno abierunt in Marchiam, vbi iuxta flumen Clarenum inter Asculum & Nurciæ Alpes domicilium acquisiuerunt. illudq; incoluerunt; à quibus orta est congregatio Clarenorum, cognomento à Fluuio adlabente desumpto, iuxta Wadin: cit: sed iuxta Rodul: pag: 155. à Claro Monte appellati sunt Clareni, diuerso à Communitate habitu incedentes, scilicet breui succincto, Capucio ante & retrò ad Cordam vsq; pyramidali forma, cui à tergo pannea lingua hærebat.

12. Hic Gen: cupiens conseruare Ordinis vnitatem, & hos zelatores ob rationem arctioris paupertatis in partem discissos, procurans reuocare, ad indiuiduam vnius corporis identitatem, tum clamoribus & querelis vt docet Wadin: cit: eiusdem paupertatis zelatorum excitatus, & percussus; tum etiam præferens & eligens cum cæteris PP. in Capitulo Gen: Januæ anno 1302. congregatis, Schismati & diuisioni Ordinis satiùs obuiam ire, quàm Summorum Pontificum Priuilegia, seuerum & rigidum paupertatis vsum moderantia, seu in paupertatis modificatiuis dispensantia manutenere, & eorum viridem Obseruantiam permanere: edidit & per vniuersam misit Religionem encyclicam epistolam, cuius Epilogium contracto stylo fideliter subijcio, ex Wadin: exscriptum.

13. Præmissa paupertatis laude: enuntiat in vniuersa Religione Franciscana, se reperire agros, domos, & vineas seu possessiones perpetuas, annuatim de prouentibus habere. Necnon FF. Ordinis non solùm annuos redditus personales habere, verum etiam Commissariarum perpetuarum onera subire. Circa terrarum culturas, & prouentus fructuum colligendos distrahi. Circa prosecutiones & actiones intentandas, ciuilibus litigijs implicari. Hæc omnia per impretiabile pretium effusi pro nobis Sanguinis Saluatoris, ac per S. Stigmata B. P. F. inhibet per Obedientiam salutarem, sub pæna excommunicationis latæ in his scriptis, in contrarium facientes, nè quemquam de cætero inducant, seu induci per alios procurent, vt nulli fratri, Cōuentui, siue loco no-

ſtri Ordinis poſſeſſiones, aut redditus annui ſiue Eleemoſynæ, de prouentibus eorundem perpetuæ aſſignentur. Nec vllus ex nunc Commiſſariæ perpetuæ fungatur officio, & maximè vbi teſtator perpetuò, ſeu ad vitam Fratri vel Fratribus deputatas poſſeſſiones relinquit. Nec vlli qui iam Commiſſarias huiuſmodi ſubijſſe noſcuntur, ſe de ipſis amodò intromittant, nec in poſterum cultores conducere, aut fructus poſſeſſionum præſumant colligere, taliter relictarum. Quin potiùs ſub præmiſſæ diſtrictionis cenſura, præcepit, tam Superioribus omnibus, quàm fratribus alijs, tam illis quibus talia ſunt relicta, quàm alijs quorum mediatio in hoc videretur opportuna, quatenùs diſſimulatione & dilatione vitatis, bona fide inſiſtere curarent, vt poſſeſſiones huiuſmodi, ſiue in domibus, ſiue in agris conſiſterent, ſeu vineis, non ſolum locando, vel ad ſpatium vitæ vendendo, ſed ſi poteſt fieri abſolutè & ſimpliciter diſtraherentur. Nec aliquis coram perſona ſæculari, Vel. Eccleſiaſtica, pro huiuſmodi relictis, præteritis vel futuris, ſi forſitan inſcijs fratribus legarentur, in iudicio auderet experiri.

14. Per præfatam Epiſtolam ſentit Wadin: ad annum cit: 1302. n. 1. eum Gen: præcepiſſe vt abdicarentur omnes prouentus annui, ab omnibus Conuentibus & n. 3. ſubiungit. *parum abfuiſſe quin abdicarentur ab Ordine, poſſeſſiones & prouentus annui, niſi præfatus Gen: eodem anno fuiſſet creatus Cardinalis.* Hæc Sententia abſolutè prolata, abſolutè non eſt vera, non enim redditus & prouentus annuos, ſeu poſſeſſiones abſolutè ab Ordine voluit ablegare, ſed dumtaxat ex ſuppoſitione & cum conditione, *ſi hoc poſſet fieri*, vt conceptis verbis ſeipſum declarat, inquiens. *Poſſeſſiones huiusmodi ſiue in domibus, ſiue in agris conſiſtant, ſeu vineis, non ſolùm locando vel ad ſpatium vitæ vendendo, ſed ſi poteſt fieri abſolutè & ſimpliciter diſtrahantur,* ſolùm abuſus & letales culpas ſimpliciter voluit (vt tenebatur) extirpare & à toto Ordine amandare, quales fuerunt illæ Commiſſiones perpetuæ curandarum poſſeſſionum, quæ nec hodie alicui (cuiuſcunq; qualitatis & præeminentiæ fuerit) Regulari votum paupertatis profeſſo, ſunt licitæ, vt Conc: Trid: Seſs: 25. cap: 2. de Reg: inquit. *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Religioſo concedere, etiam ad vſum fructum, vel vſum,*

vsum, administrationem aut commendam. Similiter illos annuos redditus personales, qui Fratribus assignabantur, & ab ipsis tanquam proprij possidebantur, qui neq; hodie ex cit: loco Concil: Trid: sunt liciti. Deinde voluit à toto Ordine auerruncare, nimiam sollicitudinem bonorum temporalium; quapropter horrendo Mandato inhibuit, ne Fratres in toto Ordine quemquam de cætero inducerent, seu induci per alios procurarent, vt nulli fratri, Conuentui, seu loco nostri Ordinis possessiones, aut redditus assignarentur; & pro huiusmodi possessionibus retinendis adiuncta conditione. *Si forsan* inscijs fratribus legarentur, inhibuit actiones iudiciarias, in quocunq; foro intentandi.

15. Verùm absolutè in Ordine nostro, ex indulgentia Sedis Apostolicæ, iam receptos annuos redditus, & bona stabilia nunquam interdixit; licetsi ea haberi noluisset, hac adiunctiuncula declarauit. *Si potest fieri.* nec ea inter bona Ecclesiastica iam recepta alienare potuit, per Cau: 12. Q. 2. cap. *Quidquid.* & per Extrau: de Reb: Eccl: non alien: cap. *Ambitiosæ.* Quare ab illo tēpore Matrix Religio Min: Con: bona stabilia & prouentus annuos, vsq; nunc receptos possidet, & S. Sede annuente possidere potest. A quo viuendi statu, illi qui ab Obseruantia vocantur, semper fuere auersi, & tantorum tumultuum & dissidiorum in Ord: Min: vt vidimus in præcedentibus, in subsequentibus ampliùs visuri, hic vnicus fuit offensionis lapis, & tam variarum in Ord: Min: Congregationum scaturigo reformationis; & nouæ prolis multiplicationis. An autem in his qui in principio tam feruidi fuerunt paupertatis zelatores, etiam hodie idem consenuerit zelus, penes alium iudicium esto, ex nouis alternatim subsequentibus reformationibus concipiendum. Hunc scio primitiuum apud eos qui de Obser: vocantur fuisse paupertatis vsum à Wadin: descriptum ad annum 1399. n.65. in hæc verba. *Paupertatis vltra quam dici possit studiosi, angustos statuerunt vitæ transigendæ limites, habitum rudem, segmentitium, panem arctum, & aquam breuem. Soli senes vinum delibabant, iubente Guardiano sufficiebatq; vniuersis, per dies quindecim, phiola vna: dum paucissimi vellent gustare nullus bibere. Rarissimè prodibant in populum, eaq; modestia vt lectissimæ fæminæ euocatas in conspectum*

filias, ab his iuberent discere gressus compositos, & oculos modestos. Hac vita disciplina, vniuersum hominum genus, ad se trahebant, multos qui imitabantur, plurimos qui suscipiebant: omnes qui mirabantur.

16. Nos Min: Con: in eodem, ab illo tempore S. Bonauenturæ Generalatui coæuo, permanemus statu, S Ecclesiæ statum per omnia imitati, quæ à principio bonorum temporalium & possessionum stabilium expers, nunc à solis ortu vsq; ad occasum dilatata, bona stabilia possidet, temporalibus nō destituitur auxilijs, & spiritualibus proficit incrementis: sicq; transit per bona temporalia vt non amittat æterna. Sic & Ordo primicerius Min: Con: cui præfatus Gen: non solum non interdixit bona stabilia (vt vidimus) sed etiam quod non potuerit interdixisse & inhibuisse, tali euincitur argumento.

17. Supposito & probato, quod Ord: primitiuo Min: Con: fuerint concessa bona stabilia & redditus annui, per Sedem Apostolicam concessi, vt ostensum est Art: 5. n. 22. sub Generalatu S. Bonauenturæ à Clem: IV. & Art: 6. n. 10. sub Generalatu Bonagratiæ à Martino IV. iam nunc sub præsenti Generali Joanne de Muro, censendi sunt omnes fratres in Ord: expresse professi, suam professionem implicitè & virtualiter emisisse, sub præfatorum priuilegiorum sibi concessorum formula: quò stante vti solido fundamento, præfatum Gen: non potuisse arctare totum Ordinem, ad strictiorem paupertatis vsum, vt etiam innuimus Art: 6. n. 8. quæ Sententia fundata in iure naturæ: sic à SS. Patribus enucleatur & probatur. D. Bernardus lib: de Disp: & Præcept: dicit. *Prælati iussio non prætereat terminos professionis. Nec vltra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat, quàm promisi, vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate. Ex pacto professionis subditum, & Prælatum necessitate vtrumq; teneri: fieriq; duos per vnius sponsionem, alterutrum debitores, fidelis curæ vnum, alterum humilis obedientiæ. Quidnam igitur iam voluntati relinquitur. Vbi & Prælatus debiti necessitate tenetur.*

18. Idem Bernardus Epist: ad Gulielm: Abbatem dicit. *Si qui districtiùs viuere possunt, eos qui non possunt nec aspernentur, nec*

æmulen-

æmulentur eos, qui possunt sic mirentur, vt temerè non imitentur: Sicut enim non licet his, qui maius aliquid fortè vouerunt, ad id quod minus est descendere, nè apostatentur, sic non omnibus expedit, de bonis Minoribus ad maiora transire nè præcipitentur. Et Petrus Cluniac: Epist: 9. lib: 1. dicit. *Sicut enim eos qui oblectamenta mundi fugientes, eius aspera ob maius meritum discretè amplectuntur, omnino scimus esse laudandos; sic illos qui alios ad id quod non proposuerunt, & quod non expedit cogere volunt, dicimus non esse prorsus audiendos.* Item Nauar: 1. part: cons: tit: de Reg: 16. cons: de Min: Con: & eis quæ de Obseru: nuncupantur habet hæc verba: *Ex quibus colligitur Fratres Min: Con: non potuisse compelli ad profitendam Regulam Fratrum Minorum Obseruantiæ: quia Regula eorum est longè durior, ac alia quàm Regula Conuen: quia ij profitentur Regulam S. Fran: temperatam Priuilegijs Apostolicis, illi verò profitentur eam nullo tali temperamento laxatam.*

19. Ex his omnibus colligitur non potuisse præfatum Min: Gen: obligasse vniuersum Ord: ad arctiorem paupertatem, supra eam quam tunc Ordo Min: Con: profitebatur implicitè & virtualiter: sicut nec Moniales nouo clausuræ vinculo recludi potuissent, nisi quia id ipsum in votis implicitè continebatur, scilicet custodia castitatis; ad quam valdè clausura conducit. Et quia talis paupertas nempè in communi, iam per Priuilegia Apostolica extenuata, non includebatur implicitè in votis, imò totum ei oppositum; quapropter vltra professam implicitè paupertatem, maiorem & arctiorem Gen: non poterat inducere.

20. Notandum tamen ex strictiori paupertatis statu non posse inferri perfectiorem Ordinem, strictiorem paupertatem Obseruantem; nam Religio non dicitur perfectior ex arctiori vita, vt docet D. Thomas 2. 2. Q. 190. Art: 6. & 8. perfectionem Religionis atq; excellentiam, non esse attendendam secundùm solã arctitudinem & rigorem, sed primò & principaliter propter finem, ad quem omnes Religiones ordinantur, qui est perfectus amor Dei & proximi, nempè charitas, quæ est finis & vinculum perfectionis, vt etiam determinat Joannes 22. in Extrau: *Ad Conditorem.* de verb: sig. Aliàs sequeretur quod Joannes Baptista, &

eius discipuli, qui arctiorem atq; asperiorem egerunt vitam, quã Christus Dominus (quod patet ex Scriptura & Euangelio. Luc: 7. *Venit Ioannes Baptista neq; manducans neq; bibens* &c. *Venit Filius hominis manducans & bibens* &c.) fuissent perfectioris status, quã ipse Dominus Iesus, quod nullus sanæ mentis affirmare potest, quia austeritas non est finis perfectionis, nec medium necessarium vt cap: statuimus. Lopes l. 9. glofs: 3. t. 7. pag: 1. Sed duntaxat instrumentum perfectionis & inter alia minimum. Instrumentum autem non per se quæritur, sed propter finem.

21. Modo in proposito, licet Religio Fratrum Min: Con: non sit fundata in maxima paupertate, cum ipsa æquali via cum cæteris Religionibus, quæ bona possident in communi concurrat, tamen si illa per bonum virtutis Obedientiæ, maioris vel æqualis castitatis, orationis, humilitatis, patientiæ, charitatis ac cæterarum virtutum, quæ principaliores sunt, progredi contendit, æquali sanè passu, vel fortasse velociori, cùm ea quæ in maxima fundatur paupertate, ad brauium perfectionis peruenire poterit sine dubio. Maximè cit: loco S. Thomas asserit, quod conseruare pecuniam, aut quascunq; alias res communes, ad sustentationem Religiosorum congregationis eiusdem: est perfectioni conforme, conuenitq; Religionibus ordinatis ad contemplationem, & etiam (qualis est hæc nostra) ad contemplata alijs tradenda, cum eis competat (quod quidem fit per huiusmodi rerum necessariarum conseruationem) vitam habere ab exterioribus solicitudinibus, maximè expeditam.

22. Hoc totum quod in paupertate altissima non consistat ordinis perfectio, ipsimet fatentur Obseru: vt Roder: Obseru: Tom: 3. Q. 29. Art: 14. dicit: *Potest tamen ratione finis aliarumq; circumstantiarum, pro loco & tempore condecentiùs esse, bona in Communi possidere, quæ Monachorum victui sunt necessaria, prout asserit S. Thomas.* Et concludit Religiosorum diuagationem, quæ ad victum quærendum necessaria est, non conferre ad perfectionem, quæ in charitate consistit, nec secum permittere, otium ad exercenda ea spiritualia quæ Deo coniungunt. Idem habet Wadin: ad annum 1324. n. 15.

23. Præ-

23. Præfatus itaq; Min: Gen: abusus duntaxat & letales transgressiones ab vniuerso Ord: extirpare voluit: Verùm possessiones & annuos prouentus illæsos reliquit, nisi qui spontè eis renuntiassent. Jam enim purpura accrescens, & Protector Ordinis factus, ac sub titulo Vicarij eundem ex Mandato Pontificis gubernauit: & eum in eo statu reliquit, in quo sicut & hodie haberet, puros cùm veris, & veros permixtos puris, secundùm datam sibi à Deo gratiam, & mensuram donationis Christi, Obseruantes; in eodem Ord: sine diuersitate regiminis, & denominationis persistentes; prout quisq; est gratiâ Dei, deuotione spirituali, capacitate naturali, mentis viribus, & corporis; Sacræ Obseruantiæ addictus.

24. Præter ipsum Joannem Minium à Muro Min: Gen: ad Cardinalatum à Bonifacio VIII. anno 1302. promotum, tum illos duos quorū mentionem fecimus Art:7. n.19. fuit Creatus S. R. E. Cardinalis Fr. Gentilis à Monte Florum anno 1298. vt Wading: habet ad eundem annum n.4. Rodul: posteriori anno creatum asserit, qui pag: 220. præter hos 4. Cardinales ex Ordine Min: Con: assumptos duos etiam ab eodem Bonifacio creatos testatur, Reginaldum Archiep: Rothomagensem, & Leonardum Patrassum, cui Wading: ad annum 1302. n.5. non subscribit, licet multos alios Minoritas n. 9. ad Pontificias infulas promouisse recenseat. Sed vt ut est, siue secundum Wading: 4. Cardinal: ex Ordine Min: Con: creauerit siue 6. secundùm Rodul: certè Bonifacius VIII. de Ordine nostro optimè meritus æternâ dignus est apud Min: Con: memoriâ, qui teste Wadin. ad annum 1295. n. 18. Omnia Ordini Minorum primitiuo Priuilegia, per cæteros Pontifices suos prædecessores, concessa confirmauit, ampla Bulla quàm mare magnū vocant. Concessit etiam vt Prælati Religionis ad correctiones & punitiones fratrum, possent procedere secundùm statuta & Constitutiones Ordinis, non seruatis apicibus iuris. Vir fuit sapientissimus & iuris peritissimus: edidit Sextum Decretalium, qui appellatur Bonifacij VIII.

25. Religioni Min: Con: & eius vnitati fuit addictissimus, & reformatis à Corpore Ordinis se diuidentibus infensissimus;


qua-

quapropter vnitatem Ordinis conseruando, ipsemet Generali Capitulo voluit præsidere, vt diximus supra n. 1. & Gaufredum reformatoribus addictum, à Ministeriatu Gen: absoluit, vt diximus supra Art: 7. n. 17. Ex his colligitur eum fuisse instituto Minoritano amicissimum: & quod scripsit Pisanus Conform: 5. & ex eo Marianus, nimirùm eum cogitasse de nostro abolendo instituto, hoc intelligi debet vt rectè aduertit Wading: ad annum 1303. n. 25. Non de vniuerso sodalitio, vt minùs rectè iudicarunt cit: Auctores: sed de Eremitis illis Cælestinis à Religione diuisis, & Pontifici inuisis (quorum aliquos diximus, de eius legitima assumptione ad Pontificatum dubitasse) veriùs intelligendum, atq; propterea, vti scribit Philippus Florentinus illius fermè temporis auctor, præscribere voluisse Prælatis Orientis, vbi priùs degebant, nec non Siciliæ & Calabriæ, vt vel ad Ordinem reducerentur, vel omninò abolerentur: quorum aliqui imminens præsentientes exitium, redierunt ad gremium Religionis: præsertim Fr. Simon Donateni Pratensis, & Fr. Franciscus germanus frater eiusdem, qui publicè errorem suum confitentes, pacificè, & fraternè recepti sunt ad Prælatorum obedientiam, in Prouincia Hetruriæ. Hæc sunt cit: loco genuina Wadin: verba; quibus dicit ex propria sententia, se dixisse ad annum 1302. n. 7. *ex istis reformatis, aliquos de legitima assumptione ad Pontificatum Bonifacij VIII. dubitasse.* Sed reuera immemor sui, dicit se dixisse quod non dixit; in cit: namq; loco, non reformatos de auctoritate dubitasse dixit, sed fratres Communitatis, hoc contra eos excogitasse, & Pontifici suggessisse ibidem commentus est. Vt nos annotauimus n. 4. & vti commentum ibidem refutauimus.

26. Hic Gen: iam Cardinalis iure gratitudinis, in Concil: Vienen: pro Bonifacio VIII, acriter sese opposuit Philippo Francorum Regi, vt scribit Ciaconius in Bonif. VIII. n. 25. in hæc verba: *Bonifacij VIII. memoriam, quàm Philippus Francorum Rex, tanquam hæreticum damnari à Pontifice petebat, Theologica facultate se defensurum in Concil: Vienen: obtulit, & impiam Regis temeritatem repressit.* Ex qua sola defensione Eminentissimi Viri, apertè falsum constare posset, quod iniquus finxerit liuor, aut cæca & temeraria in

ria in assentiendo conceperit credulitas: quasi Bonifacius in tam violentum morbum inciderit, vt sibi ipse manuum extrema erroserit, ac furenti similis capite parieti eliso decesserit. Sed aliundè innocentia SSmi Viri euidentiùs patuit, nam vt refert Bzouius. Wading: refer. in Annal: ad annum 1303. n. 7. *Bonifacij sepulchro aperto, anno 1606. tota vrbe ad spectaculum concurrente: repertum est eius corpus Pontif: vestibus indutum adeò integrum, incorruptumq́, vt nonnisi extremum nasi desideraretur. Porrò manus quas erosas aduersarij mentiuntur, tam viuidæ tam integræ omnibusq́ digitis integris constantes, vt etiam venæ & nerui, pelle & carnibus operti, extuberantesq́ visæ fuerint. In earum vnius digito erat annulus Pontif: Saphyro diues: quem Cardinalis Caetanus, pretio 100. aureorum dato redemit.*

27. Hoc patulum exemplum desiderauerim Bzouium præ oculis habuisse; quàm similes fabulas de Scoto Doctore subtili à Paulo Jouio, & incerto rumore transcripsisse, & iudicio suo approbasse; quod extrema manuum deuorasset, & caput ad parietem miserabili edito mugitu elisisset: si enim de Summo Pontifice eadem fabulamenta figmentarunt ex impotentia animi, aut ex cæca & temeraria credulitate, auctores, Paulo Jouio & ipsomet Bzouio, apud Genebrardum longè potiores; cur hoc manifesto exemplo & experientia, edoctus & permotus Bzouius, non etiam hæc quæ Jouius de Scoti morte finxit, vt fabulas refutasse, & pro delirijs reputasse existimauerit? sed potiùs ea transcripsisse, atq; ex impotentia animi approbasse elegerit? Pari ratione falsas credo illas maleuolorum fabulationes, de Bonifacio excogitatas, quas referente Rodul: pag: 181. nigro sale aspersas, aliqui dictitabant. *Intrauit vt vulpes, regnauit vt lupus, mortuus est vt canis.* Hæc aretino dente morsicatim impressa, tantum faciunt, quantùm sole occidente coax ranarũ, in aquis limosis solis exsequijs crepitans. Porrò præfatus Gen: obijt Auenione anno 1312. Sepultus in Ecclesia Min: Con: ibidem.



ARTICVLVS IX.

In quo XIV. Min: Gen: enumeratur. Controuersia inter Communitatem, & Reformatos recensentur. Communitas defenditur & probatur. & quod Priuilegia Apost: acceptauerit ostenditur, & Mythologia March: reprobatur.

1. DECIMUSQUARTUS Min: Gen: Fr. Gondisaluus de Vallebona S. T. D, electus fuit Assisij 1304: cui Capitulo præsidebat Cardinalis Joannes de Muro Ordinis Vicarius. Hunc Gen: ex amore Fratrum communitatis, & ex solicitudine ac solertia conseruandæ, in Ordine indiuiduæ vnitatis, deprædicat Wadin: ad annum 1307. n. 2. in hæc verba. *Gondisaluus Gen: Minister ægrè ferens Ordinis scissuram, egit cum Carolo Claudo, S. Ludouici Tolosatis Episcopi progenitore, Rege Neapolitano: vt homines Schismaticos & hæreticos (ita enim audiebant apud Fratres strictioris Obseruantiæ aduersarios) è suo regno depelleret. Dedit Rex litteras, ad Fr. Thomam Auersanum Ordinis N. professorem, & prauitatis hæreticæ Inquisitorem, vt diligenter in eos inquireret, & noxios puniret. Hæc. Wadin.*

2. Præfatus igitur Inquisitor examen Reformatorum communitatem auersantium Ordinis, commodiùs perfecturus, eos in suo comitatu duxit Ancianum. Horum præfectus fuit Fr. Liberatus, de quibus Wadin: loco cit: hæc præcisa habet. *Dum illic in hospitio seorsim viuerent, sub Inquisitoris protectione, Minoritæ qui in illo commorabantur oppido, repetebant tanquam suum, Fratrem Liberatum; quippè qui recesserit à communitate, nulla habita, neq; petita Prælatorum licentia, eiq; minimè patrocinari asserebant, indultum Cælestini V. cujus acta rescidit Bonifacius Successor. Concitatos videns Inquisitor, admonuit Fratrem Liberatum, consulendum sibi quauis ratione, nè incideret in manus aduersariorum: illamq; tutiorem viam esse, vt rectà proficisceretur ad Pontificem, neq; rediret absq; illius, vel aliquorum Nobilium Cardinalium diplomatibus; ad se, vel ad Prælatos Ecclesiarum directis, Vt liberem,*

rem,

rem, inquit te, à molestijs tuorum confratrum. Bonum visum est ei Inquisitoris consilium; quare assumpto socio festinanter propegrabat in Galliam, donec apud Viterbium graui oppressus infirmitate, figere oportuit gressus, & iacere per aliquot menses, in loco Hermineorum occultè. Indè Valetudinarius abijt ad oppidum S. Angeli della Vena, vbi post vnum vel alterum annum infirmitatis suæ, hoc ipso recessit à sæculo.

3. Vlteriùs ad eundem annum n. 3. idem Wading: prosequitur. *Socij autem nullo obtento suæ purgationis chyrographo; aut innocentiæ testimonio, recedere volebant è regno Neapolitano, in quo tutum non erat ampliùs commorari Præfecto suo defuncto; Rege aduersante, & Minorum Sodalitio continuo sequente. Superuenit tamen Inquisitoris, vel à Rege admoniti, vel à Fratribus instigati præceptum, nè abirent, deinde aliud, vt coram se apparerent secundò in Castro Frisalonis, quò erat ipse venturus. Potissimè procedere volebat contra Fratrem Liberatum, quem vt mortuum audiuit, contra Socios egit, quos promiscuè adiunxit alijs maculatæ famæ Religiosis, de S. Onofrio nuncupatis, & hæreticis de secta Apostolorum. Tulit deindè iudicium absq; distinctione personarum, atq; omnes vna inuoluens sententia, condemnauit, tanquam Schismaticos & hæreticos; inuehens etiam in eos, qui eis fauebant, vel in suis retinebant dominijs, tanquam in fautores aut protectores hæreticorum.* Malè hoc habuit Dominum Andream de Segna, horum fratrum patronum: admonuitq; seriò Inquisitorem, fratrum innocentiæ & sui officij, debereq; maturiùs & ponderosiùs absq; vlla passione in tanto negotio procedi. His literis magis commotus est erga Fratres Inquisitor: præcepitq; accolis Frisalonis, sub magna pecuniæ mulcta, vt cautè custoditos ducerent ad ciuitatem Triuenti, vbi horrido & tenebricoso carcere, per quinq; dies inclusos, dum tormentis afficere vellet, idq; valdè displicere Episcopo & nobilibus ciuitatis intelligeret; Vinctos duxit in arcem Mainardi. *Hic mira quadam feritate, inauditis pœnis torquere non destitit; constantissimè negantes, se quicquam vnquam contra fidem fecisse aut credidisse, donec tandem in tormentis duo vacillarunt adolescentes, qui se reliquosq; hæreticos esse dixerunt: quod tamen sui compotes retractarunt. Nihilominùs post quinq; menses variarum afflictionum, & carceris inedias, à festo Pentecostes*

tecostes vsq; ad Natiuitatem Virgineam toleratas, lata est hæc Sententia, nullâ culpâ prolatâ. Denudantor, per plateas Neapolitanas ducuntor, virgis cæduntor, ex vniuerso Regno expelluntor. *Sed iustus Dominus, qui iustitiam diligit, & æquitatem videt vultus eius, vlcisci nō omisit illatam misellis tantam iniuriam: Etenim paulò post obijt Inquisitor, elata voce confessus, iniquè se oppressisse & iniustè condemnasse Viros, quos non potuit iuridicè de culpa vlla conuincere, neq; de sui Instituti aut fidei iniuriâ redarguere.* Hæc fideliter ex Wading: excerpta.

4. Qui n. 4. hæc sequentia addit. *Qui superfuerunt tormentis (quidam enim in illis succubuerunt) perrexerunt in Galliam, vt Pontifici se sisterent, suæ vitæ & perpessæ iniuriæ rationem reddituri. Mox adhæserunt alijs fratribus in regione Prouinciæ, quos viderunt sui zeli participes & à Communitate Ordinis recessisse, sicut euenit in alijs etiam prouincijs præsertim in Etrusca, vti scribit Iacobus de Tundo Senesis. Peccabatur enim multipliciter in Sanctam paupertatem, quæ tamen vbiq; aliquos habebat zelatores, atq; hi dum cæteros, non poterant in suam sententiam auocare, recedebant cum paucis arctiorem vitam professuri. Hinc multæ dissensiones variæ opiniones, & quæstiones periculosæ oriebantur multis in locis, quæ originem sumpserunt à Petro Ioanne Oliuij, eiusq; doctrina, vti alias admonuimus; atq; inde euenit vt mox vniuersa sodalitas in duas scinderetur partes, vnam quæ Spiritualium, alteram quæ fratrum de communitate nuncupabantur. Hæc verò quæ maior valdè erat, illam tenui initio succrescentem, pro viribus opprimebat. Quæ tamen per varia tempora hinc sequutæ sunt simultates, suis annis opportunè referentur.* Huc vsq; verbatim loco cit: Wadin.

5. In his hucusq; à Wadin: relatis non omnia sunt æqua veritatis lance librata, sed multa studiosè velata, quæ subseruire faciunt affectioni rationem, Eiusmodi talia viris à studio partium elongatis non placent. Et primò non placet Parenthesis illa ad operationem Gondisalui Ministri Gen: cum Rege Neapolitano transactam, reformatos communitatem auersantes, Schismaticos & hæreticos appellantis adiuncta huiusmodi. (*Ita enim audiebant apud Fratres strictioris Obser: aduersarios.*) Certè Minister Gen: Gondisaluus indignè hac parenthesi à Wadin: inuritur, non enim poterat strictioris Obser: fratribus esse aduersarius, qui eodē

Wadin:

Wadin: teste ad annum 1312. n. 9. totius Ordinis reformator asse-
ritur in hæc verba: *Gondisaluus Gen: Min: cum ex ratione Officij &*
conscientiæ dictamine, tum nè huiusmodi alias resuscitarentur lites in Re-
ligione, accinxit se virtute, & fortitudine ad reformanda, quæ videban-
tur laxioris disciplinæ. Discurrens itaq; per varias prouincias compellebat
omnes ad veram Regulæ obseruantiam; ædificia sumptuosa diruebat, ve-
stes excessiuas auferebat, annuos redditus & legata perpetua reddebat
Dominis, seu illorum hæredibus, omnes iam initas rescindens pactiones;
neq; aliquid præterijt laboris aut curæ, pro vniuerso Sodalitio reformando,
præsertim circa paupertatem, iuxta Statutas à S. Fran: regulas retinendã.

6. Accedit Gondisaluum tam sanctum & pium totius Or-
dinis Rectorem, verè & non impostitiè illos reformatos Com-
munitatem refugientes, vocasse homines Schismaticos, id est à
toto Ordine diuisos, qui si verè erant reformati, intùs non extra
reformari debuerunt: nec intra Conscientiæ noxam Communi-
tatem scindere, pacem communem turbare, iugum Obedientiæ
excutere, & extra Superiorum suorum iussa, ad placitum vagari
potuerunt: &, si vero agebantur spiritu, & aliquorum fratrum
de Communitate, relaxatione offendebantur: hic animi motus
reformationis, manu D. Bonauenturæ reprimendus erat, quæ hu-
iusmodi animis adolescentulis, reformandæ vitæ fundamenta ia-
cientibus, addiscenda communiter traditur. Digito 2do reforma-
tos sic informans. *Defectus vides quid ad te? Attende tibi nosce te,*
Qui stas cura non cadere. Mitemq; IESVM sequere. Et digito 3tio. *Si*
cupis esse amabilis. Dic seruus sum inutilis. Peccator es humiliter. Fa-
tere culpam iugiter. Non aduersabatur Gondisaluus strictiori Ob-
seruantiæ, cuius ipse amantissimus fuit, sed aduersabatur Schisma-
ti & diuisioni, sine qua vnusquisq; in communitatis Vnione po-
terat esse, quantumcunq; vellet strictam & reformatam ducere
vitam, Sanctus & reformatus, vti fuit ipsemet Gen: & multi alij
Sancti communitatis & Obseruantiæ simul zelantissimi, absq; di-
uisione & Schismate, in Ordine reformatissimi, à quo isti diuisi,
rectè appellati sunt à Min: Gen: homines Schismatici.

7. An autem fuerint rectè ab eodem Gen: appellati hære-
tici, extra sphæram mei iudicij esto. Si autem ex vngue leonem,

& ex cantu licet cognoscere auem: profectò Gondisaluum Sanctum, & iustum Gen: Regi inclyto siue scribentem, siue dicentem, non est vero simile scripsisse vel dixisse Nænias, vel nugas bullatas; sed cum ei, tum Regi solidam rationem vtriq; subfuisse, cur ille eos reformatos hæreticos vocauerit, & iste in ipsos inquirere, & noxios punire Inquisitori per literas significauerit? Reuera si pro Scoto defendendo, magni æstimatum fuit testimoniũ Gondisalui, seruiat nunc contra Wadin: pro illibato Gondisalui honore saluando. Dicit itaq; Wadin: ad annum 1304. n. 33. *Magnum illud sanè encomium Supremi Religionij Rectoris, de peculiari Viro eoq; adolescente* &c. & vltra. *Quantus verò qualisq; fuerit hic Gondisaluus Gen: Min: apud quem adeò egregiè Scotus audiebat, docet luculenter hoc suo testimonio Aluarus Pelagius lib: 2. de planct: Eccl: cap: 68 coæuus. Sanctæ memoriæ Gondisaluus Hispanus de Prouincia Galiciæ, Nobilis genere, sed nobilior vita & moribus & euangelica paupertate, verè Fr. Minor & zelator ardentissimus Regulæ, & Dominus paupertatis & dominicæ humilitatis. Magister in Theologia realissimus, verbo & opere, de maioribus mundi literatis in triuio & quadriuio. Qui parùm post mortem suam Parisijs, in visione quibusdam fratribus nostris apparuit gloriosus, in throno residens cum corona aurea, & sceptro, qui dixit tunc, quòd sedes throni sibi assignata erat in cælo, quia purissimè in Ordine iustitiam obseruauerit.*

8. Hic ergo tantus Gondisaluus, in gloria cælesti cum corona aurea, & sceptro ob iustitiam in Ordine seruatam visus, profectò iniustè & detractoriè dictos reformatos à Communitate diuisos non vocasset hæreticos si non fuissent hæretici, maximè cùm extra Communitatem (tot Myriades fratrum in se complectentem) tantùm centum & viginti illorum reformatorum constabat numerus, vt scribit Rodul: pag: 181. b. & hic à plurimis intra Communitatem vità, doctrinà, miraculis claris, & florentibus recisus. Præter ipsum namq; Generalem recenset Wading: iisdẽ harum turbarum temporibus, plurimos BB. Florentes, vt B. Rainerium B. Benedicti Aretini Socium, cuius contemporaneus Seniculus dederat consilium, cuidam fratri Minori in hæc verba: *Communitatem benè sequeris, nihil dubitans & saluus eris.* Vt retulimus

mus supra Art: 1. n. 7. B. Belongerium de Monte Acuto in vita & post mortem miraculis gloriosum; B. Leonem Laudensem, qui ab honestæ vitæ inimicis venenum propinatum bibit illæsus B. Joannem Siracusianum, in obsequium infirmi ignitum lapidē nuda manu portantem illæsum. Landum Tarentinum, Philippum de Duratio, & alios sexcentos, quos ijsdem temporibus floruisse enumerat Wadin, præcipuè ad annum 1305.

9. Item Joannem Scotum Subtilis Doctoris cognomento insignitum, quem hoc eodem tempore cum suis discipulis floruisse constat: quorum primus fuit Joannes Bassolius Doctor ordinatissimus appellatus. Antonius Andreas Doctor dulcifluus, Franciscus Mayeronius Doctor illuminatus. Canonicus. Aluarus Pelagius &c: & tamen nullus istorum, fuit de Secta illorum à communitate diuisorum; quia benè sciebant paupertatis Franciscanæ in particulari ritè seruatæ, bona stabilia & redditus annuos in Communi admissos, nec in minimo lædere substantiam: cùm etiā Christum eiusq; Apostolos in Communi aliqua habuisse, ex S. Scriptura constet, & opposita Sententia damnatur à Joanne 22. in Extrau: quæ incipit. *Cùm inter nonnullos.* Hic assertionem eiusmodi vocat pertinacem fermentum mendacij continentem, fidē catholicam euacuantem, proindè erroneam & hæreticam determinat esse censendam. Quâ opinionē poterant fuisse irretiti memorati reformati, ac proinde iustè à Min: Gen: hæretici appellati.

Secundò non placet à Wadin: præmissa dicendi formula huiusmodi. *Dedit Rex literas ad Fratrem Thomam Auersanum Ordinis N. professorem & prauitatis hæreticæ inquisitorem &c.* Vbi subticet nomen Ordinis cuius erat ille inquisitor, cùm tamen per ipsum ad annum 1254. n. 7. apertè constet honorificum Inquisitoriatus munus per Innocentium IV. Prædicatoribus tantùm & Minoritis fuisse collatum. Deinde reticet Ordinem in Corpore Annalium per signum N. & in margine annum indigitat scilicet 1291. n. 23. quo eum Inquisitorem fuisse Ordinis Prædicatorum, non obscuris reuelauit vestigijs, dum eum Petro Martyri de Ord: Prædic: inflicta vulnera extulisse ita affirmat, vt S. Fran: Stigmatibus detrahere videretur. Cur autem Ordinem reticeat amoris causas

præte-

prætexit inquiens. *Eius Sodalitium quantumuis in diplomate expressum, ego tamen reticeo, nullum enim vel in minima re offendere vellem, neq; occasionem vllam præbere, querelæ Religiosis institutis: quorum singula summè diligo & debita prosequor veneratione.*

11. Reuerà artificiosum inuentum charitate & pietate alicui alligari. vt securiùs ei colaphus impingatur, & talitrum infringatur, hoc tantumdem est, ac ei vna manu panem, altera lapidem porrigere. Osculari vt inopinatò mordeas. Si tam summè diligebat & venerabatur Religiosa instituta, & præcipuè S. Prædic: Ordinem, cur sibi persuarit leui motu tam illustrem Ord: ex gremio sui delegisse huiusmodi inhumanum immanem, & iniustum hæreticæ prauitatis Inquisitorem? qui ferina rabie, & Montana seueritate, innocentes reformatos sociauit manifestis, & condemnatis hæreticis; & tam crudele iudicium absq; distinctione personarum tulit, quo vna inuolutos sententia nullâ culpâ prolatâ, atrociter cum sontibus innocentes condemnauit. Et ob hoc facinus ipsemet iusto Dei iudicio mortis pœnam luit. Hæc certè inspecto toto causæ processu, credere nullatenùs possum, tam S. Generalis atq; Orthodoxi Regis Neapolitani, & tam Sancti & docti instituti Inquisitoris, candidè reformatis consulentis; tùm etiam nostræ Minoritanæ, tunc florentis Communitatis motus clamoribus, quibus omnes hisce reformatis aduersabantur, & eos proscribebant. Quare in hac re potius de Wadingi fide, aut illius qui fuit huius fabulæ inuentor, censuerim dubitandum, & ei quisquis ille fuerit, non inconcinnè hoc quod dicit Bernard: serm: 24. in Cant: appositè adnectendum, in hæc verba.

12. *Alij quidem nudè & irrueuerenter vti in buccam venerit virus euomunt detractionis. Alij autem quadam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicq; quadam cum grauitate & tarditate vultu mœsto, demissis superciliys, & voce plangendi, egredi maledictionem, & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo,* inquit, *pro eo quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum.* Et alius. *Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de*

illo

illo istud, sed per me nunquam innotuisset, at quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum, dolens dico reuera ita est, & addit. *Grande damnum, nam alias quidem in pluribus valet. Ceterùm in hac parte (vt verum fateamur) excusari minimè potest.* Ad illud quod dicit Wadin: n. 4. *Peccabatur enim multipliciter in S. paupertatem* iam fusè responsum est Art: præc.

13. Tandem ad annum 1310. n. 1. prosequitur Wadin: initialium reformationum turbas inquiens: *Scissa iam Religione, vti diximus superiùs in duas partes, illam quæ fratrum spiritualium, atq; alteram, quæ de Communitate appellabatur, hæc quæ numerosior & potentior erat, illam viribus & auctoritate carentem, quotidianis molestiis conterere non cessabat, vt vel omninò deleret, vel ad vnitatem corporis reuocaret. At illa propositi tenax, mala quæcumq; potiùs tolerare, quàm ad gremium Religionis redire decreuit, eam prætexens causam, non licere illis aggregari, quibus non est cordi Regulæ obseruantia, & multipliciter peccant in S. paupertatem.* Diuersa hæc studia magis videbantur in prouincia Prouinciæ in Gallia, quibus obuiare volens, & Fratrum Spiritualium nuncupatorum causam iuuare, Raymundus de Villanoua ex Prouincia oriundus, medicus Caroli Claudi; Vir pius & bonus, egit cum prædicto Rege paulò ante eius mortem, vt suam interponeret auctoritatem, ne tot persecutionibus illi pauculi Fratres attererentur, & scribere dignaretur ad Ministrum Gen: vt fieret illis propitius. Ita efficaciter perorauit, vt non solùm ad Ordinis Primicerium, verùm & ad Pontificem Clementem suas literas dederit, rogans vt hæc scandala tollerentur, ea potissimum arte, conuocatis & auditis optimis, grauioribus, & in regimine expertis Viris, vt potè Raymundo Gaufridi olim Ministro Gen:, atq; huic similibus, qui dicerent, quid tollendum, quid mutandum, quidue innouandum in Religione, vt perfectiùs Sanctum obseruaretur institutum. Iustis pij Regis precibus Pontifex commotus, vocauit prædictum Fratrem Raymundum & alios. In summa enarrat Wadin: Pontificem vocatis fratribus, sub pœna excommunicationis præcepisse, vt sibi reuelarent, & in scriptis traderent, omnia quæ minùs regulariter impunè fiebant in Religione, præsertim si Regulæ substantia, & Declaratio Nicolai III. in

Communitate Ord: vel communiter a fratribus obseruaretur.

14. Deinde n. 2. idem Wadin: inquit. *Facta est longa, & molesta satis disceptatio de hac re, in varijs Consistorijs, coram Pontifice, Raymundo prædicto, Vbertino de Casali eorumq; complicibus, multas transgressiones obijcientibus, Fre: Alexandro de Alexandria, Lombardo S. Th: Magistro, mox Ordinis Generali Ministro, communitatem strenuè defendente, & studiosè diffamante doctrinam Petri Ioannis Oliuij, à quo tot mala, totq; contentiones exortas esse dicebat. ---- Nihilq; non fecit, vt publico condemnaretur decreto vniuersa doctrina.* Hanc assumpsit sibi curam Vbertinus de Casali, doctrinam & auctorem defendendi. Et reductus summatim, hæc habet Wadin: *Huic controuersiæ discutiendæ, à Clemente V. fuisse deputatos tres Cardinales, & tres Theologos, vnum de Ord: Præd:, alterum de Ord: Eremit: S. August:, tertium de Ord: Min:*, Verùm vt dicit Wad: his præcisis *Fratres de Communitate multa mala comminabantur fratribus, multaq; obijciebant Crimina, propter quæ in illos animaduertendum prædicebant, præsertim in Fratrem Vbertinum de Casali, quem grauiùs de multis accusabant: necessarium iudicauit Pontifex, præcipuos causarum actores à iurisdictione Prælatorũ eximere, quod & fecit per speciale diploma.* In quo Raymundum Gaufredi olim Ordinis Gen: Min: (quem diximus Art: 7. n. 18. per Bonifacium VIII, eò quod reformatis fauerit, à Generalatu depositum) & Vbertinum de Casali, & alios in diplomate Nominatos, à iurisdictione Prælatorum exemit.

15. Fratres igitur Communitatis simul congregati, vt refert Wadin: n. 4. in hæc verba: *Diligenti præmissa inquisitione condixerunt, & conscripserunt, quòd quantùm ad substantiam, & ad necessitatem oportebat, Regulam & Nicolai Declarationem, per Communitatem Ordinis seruatam; aliquas tamen relaxationes, & impuritates peculiares inter fratres exortas fuisse: præsertim in aliquibus Prouincijs.* Hæ tamen relaxationes & impuritates à Wadin: refricatæ, nihil communitati officiunt, nec de eius Obseruantiæ substantiali puritate diminuunt: Sicut nec Ecclesiæ S. aliquid sanctitatis deperit, quia habet multas frumento admixtas paleas, & plures malos quam bonos, & tamen dicitur tota pulchra sicut lilium inter spinas. vt enim dicit August: in Psalm: 54. *In omni congregatione multitudinis, necessè*

necessè est vt inueniantur mali. Et infra. *Vbicunq; fueris congregabunt se cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam, tu repellere non potes societatem fratrum.* Idem August: de fide & oper: cap: 5. ait. *In omni professione siue Clericorum, siue Monachorum, bonos esse simul & malos, nec pro malis bonos, sed pro bonis malos, in quantum exigit fidei & charitatis ratio tolerandos.* & vt dicebat S. Cyprianus contra Nouatianos. *Etsi videantur in Ecclesia esse zizania, non tamen impedire debet, aut fides, aut charitas vestra, vt quoniam zizania esse in Ecclesia cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus. Nobis tantùmmodo laborandum est, vt frumentum esse possimus; vt cum cæperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere nostro, & labore capiamus.* Hæc Cypriani auctoritas eò magis illis nouatoribus, à Communitate ob redditus & bona stabilia in Ordine auctoritate Apostolica admissa, recedentibus adaptari potest, quò plùs ea admissio nec minimam Regulæ transgressionem letalem in se continere cernebatur: Prout probè agnouerunt alij, tunc temporis Communitatis Sancti, eam cum ipso Min: Gen: Complectentes, etiam in vita prodigijs admirandi: & his turbis non innexi, quorum per hæc turbulenta Ordinis tempora, magnam copiam sub diuersis annis enumerat Wading.

16. Scriptum per Fratres Communitatis supra relatum, & largiùs quantùm necesse erat, de Obseruantia Communitatis exaratum, Pontifici fuit oblatum. Pontifex Cardinali Ord: Protectori, & Min: Gen: Gondisaluo legendum transmisit, ac transcribendum, vt pro futuris euentibus remaneret apud eosdem exemplar. Factis transumptis remissum est Authographum, & in Archiuo Camerarij Apostolici repositum. Interea Vbertinus de Casali duriùs cæteris in hac re egit: flaua bile commotus, propter sibi obiecta crimina. Porrexit Pontifici, & Auditoribus, huic causæ deputatis libellum, sub nomine Raymundi Gaufredi, minutim & indiuidualiter omnes, vel etiam minimas transgressiones, videlicet 25. contra Regulam & 10. contra Nicolai Declarationem, continentem. Illi verò qui Ordinis Commmunitatem defendebant, sentientes ita calumniosè & dolosè Religionem traductam, aliud obtulerunt scriptum nomine totius Religionis, refel-

refellentes seriò & ponderosè Vbertini Articulos. Auctores huius scripti fuêre ipsemet Gondisaluus Min: Gen: cum 13. Ministris Prouincialibus, & Procuratore Ord: ac alijs Patribus: qui suo nomine, & vice totius communitatis Ord: obtulerunt scriptum libellum, harum causarum Auditoribus a Pontifice deputatis. Hæc ex Wadin: n. 4.

17. His altercationibus & alternis disceptationibus protractum est negotium ad duos annos, quibus dum supra dictæ lites protrahebantur, fratres qui Spirituales vocabantur, duriùs a Communitate tractabantur, vt refert idem Wadin: cit: anno n. 7. hæc formalia addens. *Videntes itaq; non mitigari persecutionem, quantumuis omnem, rigorosiùs Pontifex vetuerit, recesserunt absq; vlla auctoritate à corpore Religionis, & summa temeritate elegerunt sibi Min: Gen:, & inferiores quosq; Prælatos secundùm Minorum consuetudinem. Ut ita facerent, consilio fuit quidam Martinus Senensis Canonicus Regularis S. August:, aliquantæ auctoritatis in populo, qui promisit eis, se illos in Curia ad quam pergebat defensurum, & ita facturum, vt factum confirmaretur; addens diuisionem hanc esse Sanctissimam, & summè rationabilem, electionemq; Gen: Min: censendam esse canonicam.* Aliter tamen iudicatum est in curia, magnumq; in omnibus rebellio hæc generauit scandalum: & in complices, ac Sodales eorum Prouinciales, Pontificis & Cardinalium animos commouit. Atq; ita factum est, vt faciliùs crederentur, quæ eis obijciebantur à fratribus Communitatis, & fauere desisterent, qui prius erant propitij. Idem dicit Rodul: pag: 181.

18. Sed in hac Wadingi relatione, illi vocabulo Persecutionem subscribere non ausim, nimirùm quod illa quantumuis dura, fratrum Ordini rebellium ad gremium communitatis reuocatio, mereatur nomine persecutionis appellari: alias omnes Religiosæ disciplinæ, correctiones & Castigationes, dicerentur persecutiones. Ipsa namq; peruicax inobedientia, & contumax suorum Prælatorum repudiatio, quantæ culpæ sit enucleat Roder: Obser: Tom: 1. Q. 30. Art: 15. vbi contumacem inobedientiam decernit sufficientem esse ad eiectionem, seu expulsionem a Religione, vel ad priuationem habitus: quod probat diplomate Pij V. ad Hie-

ad Hieronymianos vbi, cùm dixisset in casibus in quibus quis de iure communi, ad mortem damnari potest, delinquentes Spirituales, perpetuò deberi carcere mancipari; & subdit Pontifex. *Et in alijs delictis grauioribus aut grauissimis, velut inobedientiæ, contumaciæ, seu incorrigibilitatis, eos etiam vsq; ad priuationem habitus inclusiuè punire & castigare.* Inobedientia enim & contumacia, ex doctrina Syluestri V. *Religio*, est incorrigibilitas de facto, seu virtualis & præsumptiua, propter quam, sicut in incorrigibilitate formali quis expelli potest, ita (vt explicat Pius V.) propter contumaciam & inobedientiam, quæ sunt radicalis & virtualis incorrigibilitas expelli potest.

19. Velim meminisset Wading: quæ scripsit ad annum 1306. n. 14. *Quod philautia sit radix omnium malorum, virtutumq; vniuersarum pernicies: ita sui contemptio virtutum est seminarium, vitiorumq; omnium expiatrix. Homo non se tantùm ipse horreat, oportet, sed & desideret ab alijs horreri Hoc odium consequitur is, qui diligenter cognitioni suiipsius studet, vbi enim suam virtutum inopiam, vitiorũq; copiam videbit, se dignum odio contemptuq; iudicabit.* Quam perfectionem non habuerunt illi reformati, sed oppositam Philautiam, dum per extollentiam supra Communitatem, se Spirituales appellarunt, communitatem contempserunt, & ei tanquam sæculari, vel mundiali parere noluerunt; nec vt refert Rodul: pag:181. in habitus forma, & viuendi instituto se conformare voluerunt, potiùs in suo sensu abundare elegerunt, vt de eis inquit Ioannes XXII. de verb: sig. *Quorumdã exigit cæca scrupulositatis ambiguum, ac ipsorum quodammodo indocta scientia (nè dixerimus, quod irreligiosa horum sit vana, & in hoc superstitiosa Religio) vt dum suis mauult temere sub conscientiæ velamento conceptibus, quàm Prælatorum Ordinis sui cum obedientiæ merito, prouidè inhærere sententijs.* Proindè ad vnitatem, quæ pertulerunt, huiusmodi reuocandi, non persecutio, sed iusta temerarij ausus correctio, est nominanda.

20. Tantò tempore dissidentibus inter se consodalibus, vt dicit Wadin: ad annum 1310. n. 5. inquiens. *His pro Obseruantia Regulæ, illis pro honore Religionis, summo studio, & commotis animis inuicem pugnantibus.* Sed dicere non debuit præcisè communitatem

pro honore Religionis contendisse, sed etiam pro Obseruantia Regulæ, auctoritate Apostolica temperatæ & modificatæ; quò non obstante, etiam substantialiter eadem est censenda Regula, vt determinatum fuit in Concil: Vienen: infra n. 24. cit: Modum viuendi Communitatis Ordinis esse licitum, & sufficientem ad veram Regulæ S. F. Obseruantiam, prout etiam determinauit de eadem Communitate (nunc sub nomine Conuentualitatis appellata) Vrbanus VIII. vt diximus Art: 3. n. 3. Pergit vlteriùs cit: Wadin: *Non potuit adeò Religiosè aut pacificè transigi negotium, quin grauia exindè incommoda, honoris iactura, & Prælatorum nasceretur contemptus, atq; ex his nonnulla scandala pullularent; quòd certè in Sanctissimo & florente instituto, miserrimum erat videre.*

21. His malis vt efficaciter mederetur Min: Gen: Gondisaluus, non vidit aliud meliùs medium, ad vniendos Communitati illos, qui arctiùs viuere aspirabant; quàm renuntiare omnibus redditibus, & annuis prouentibus, quod fecit eo modo supra dicto n. 5. prout etiam fecerat suus antecessor, vt Art: præc: ostendimus. Sed vt ibidem diximus, ad hoc Communitas compelli non poterat, quæ semel legitimè à Sede Apostolica iustis de Causis obtēta bona tenebat. Et exceptis abusibus, quos Generalis exterminare, & extirpare tenebatur, vti vitiosis corruptelis, attamen quantùm ad ea quæ licitò fuêre in vsu, multi Principes de Communitate Viri; vt faciliùs reformatos ad suam vnitatem pertraherent, consenserunt redditibus, & annuis prouentibus, in multis Conuentibus & locis abrenuntiare; vt testatur Aluarus Pelagius lib: 2. de Planct: Eccl: cap: 72. de Gen: Gond: inquiens. *Totum Ord: expropriauit in vita sua, & sententiam excommunicationis tulit, contra omnes fratres, subditos & Prælatos, nisi intra certum terminum, illis à quibus habebant redditus, vel eorum hæredibus vniuersis resignarent, quod & factum est; & propter hoc à quibusdam persecutionem passus est, tamen Fratres communiter post mortem eius, ad redditus suscipiendos sunt reuersi. Et ipse cum Patribus Sanctis requiescit in pace, B. Fran: verus Vicarius & Successor.* Et antequam Gondisaluus hoc rigore redditus distraxerit, vix inquit fuit in Ordine locus seu Conuentus, qui non haberet aliquos redditus, seu prouentus annales.

22. Ex

22. Ex hoc Aluari teſtimonio videre licet, non omnes Min- Gen: in hac reformatione innouanda obediiſſe, ſed multos de Communitate reſtitiſſe, & poſt mortem eius ad redditus rediiſſe. Hinc cum par in parem non habeat poteſtatem: & præfati redditus non fuere Apoſtolica auctoritate aboliti, rectè infert Wadin: ad annum 1312. n. 9. *At parùm hæc ſubſtiterunt, moriente anno ſequenti Gondiſaluo, & habenas laxantibus ſucceſſoribus.* Quapropter crediderim illos a quibus perſecutionem paſſum Aluarus refert, Gond: non fuiſſe de leuioris cenſuræ fratribus: cum hi agere in Gen: non quiuiſſent: ſed de Communitatis primoribus, gradu doctrinæ, & conſilij valore, *Gondiſaluo paribus:* qualium multi ob vnitatem Ord: retinendam redditibus ceſſerunt, multi etiam à fauore ſibi per Sedem Apoſt: conceſſo recedere noluerunt; Nec ad hoc à Gen: cogi potuerunt. Exinde tamen nulla ratione adduci poſſum, vt multi friuolè opinati ſunt ex relat: Wadin: ad annum 1313. n. 1. Gondiſaluum ob hanc reformationem innouatam, concitaſſe in ſe laxioris vitæ fautores, & ſectatores, ac eorum fraudibus impiè è viuis ſublatum fuiſſe. Pariter falſa de aliquorum reformatorum morte, ſimilis percrebuerat opinio: eodem Wadin: ad annum 1310. n. 3. ſic referente. *Interim verò dum rei exitus ſperabatur, obijt Raymundus Gaufredi Pariſijs, ſeu vt alij volunt, ruri in quadam poſſeſſione ſuorum conſanguineorum; quò recreandi animi & perſecutionis fugiendæ gratia receſſit; & paulò poſt deceſſerunt Fr. Guido de Miradel peſcio, Fr. Bartholomæus de Siccardo, & ſocius Fratris Vbertini, non ſine ſuſpicione mortis violentæ, ſeu propinati Veneni.* At veriùs refertur moleſtijs afflictionibus & penurijs, à fratribus illatis ſuccubuiſſe.

23. Sed charitas malum non cogitat, nec eſt ſuſpicioſa, ſicut nec ambitioſa, proprium eſt incompoſiti animi pernitioſa æmulatione perſtricti, inſidias ſuſpicari, etiam de innocuo fraternitatis affectu. *Suſpicaces* (dixit Poëta.) *feruntur verbere cæco.* Suſpicioſi plerumq; ſunt ſycophantæ, cæca ſcrupuloſitate, & ſuperſtitioſa Religione infaſcinati, temerè ſine ratione multa ſibi fingentes, mala inferri; vt enim ipſi ſunt maleuoli, ſic & ſemetipſis omnes tales exiſtere putant, quales ipſi ſunt, inſidias ſimulatè metuunt, quas

facto

facto subijcere non ambigunt. Existimant alios sibi potentiam, vel principatum quærere: vnde deprauant eorum dicta, vel facta, & in examen discussionis vocant. Sed non facilè malè suspicatur qui non facilè ad malum impellitur. Vertiginosi dum verum crimen non inueniunt, conceptum suspicando obijciunt.

24. Tandem anno 1312. in Concil: Vien: Patrum suffragijs in secreto Consistorio decretum est contra F. Vbertinum de Casali, & eius sequaces: & determinatum est, modum viuendi Cōmunitatis Ordinis ab illis vehementer in multis accusatum, esse licitum, & sufficientem, ad veram Regulæ S. Fr: obseruantiam. Ita refert ad cit: annum Wadin: n. 3. *In hoc Concil: edidit Clemens V. illam solennem Decretalem Exiui de Paradiso: quæ habetur in Clem: de verb: sig.* Sed pro ijs dumtaxat qui vellent S. F. Regulam absq; Priuilegijs Apostolicis eam temperantibus planè obseruare. Cæterùm non fuerunt Priuilegia Apostolica, Regulam S. F. temperantia, in eo Concil: reuocata; quod manifestum signum est, dictum Concil: voluisse in Communitate, simul vtrosq; Obseruantes, sub eadem vnitate manere: tam Priuilegiatos seu Conuentuales; quam eis reconciliatos, inter se reformatione æquales; Maximè hoc patet ex dictis Art: 5. n. 22, per auctoritate Sixti IV; qui Priuilegium à Clemente IV concessum, declarauit pro Conuentualibus fuisse latum, non pro ijs, qui ex reformatione de Obseru: vocantur; pro quibus hæc decretalis in Concil: Vien: fuit edita; Saluo modo viuendi communitatis, seu Conuentualium, secundùm Priuilegia Apostolica viuentium: quem S. Synodus sufficientem ad veram Regulæ S. F. Obseruantiam declarauit; Hunc eundem Alexander VI. Pius IV. & Vrbanus VIII, per suas seorsiuas Constitutiones confirmarunt. Vndè appositè notauit Brancatus de Laurea S. R. E. Cardinalis in suo epitom: Canon: V. Fratrum Minorum reformatio & diuisio inquiens, *Qui à Communitate Ordinis se diuidunt, Reformati, seu Obseruantes dicuntur ---- alij autem fratres sub Communitate Religionis, cum titulo Minorum seu Conuentualium.*

25. Hoc idem tenent Communiter quò ad præfatas Clementinas, Doctores iurisperiti; vt Flauius Cherubinus in Compend.

pend. Bullarij, sub Bulla Clem: IV. *Obtentu D. Numinis.* Scholio 2dõ inquiens: *Quæro. Nonnè quò ad Fratres Minores hoc priuilegium corrigitur à Clem: V. in Clem: Exiui de Paradiso, de verb. signif.* Resp: *Loquitur ille Clemens* (puta V.) *de Fratribus Minoribus de Obser: iste verò* (id est Clemens IV.) *de Conuentualibus.* Idem habet Roder: Obser: Tom:2. Q. 79. Art: 1. dicens. *Vnde concessiones Clementis IV. & Sixti IV. concedentes, vt possint succedere Parentibus, non de Fratribus Min: de Obser: sed de fratribus Conuentualibus sunt accipiendæ.* Idem repetit Art: 6. asserens Fratres Prædicatores, & Min: Con:, per Priuilegia Clementis IV, & Sixti IV. esse capaces bonorum stabilium, & ea possunt possidere & retinere perpetuò. Idem Roder: sibi constans de Communitate primitiua: quod idem est ac de Conuentualibus originarijs asserit Tom: 1. Q. 4. Art: 1. *Licet in primitiuis eius temporibus, fuerit ista Religio recollecta, in altissima, & arctissima paupertate vitam agens, & eius professores huius paupertatis Obseruantissimi, habitarent exigua & paupercula Monasteria: per spatium tamen viginti annorum, ita fuit per vniuersum Orbem propagata, vt PP. istius Ordinis intelligerent, Statum primitiuum Recollectorum, non esse satis commodum ad cultum Diuinum, & literarum exercitia, quibus potuissent Ecclesiam, & animarum salutem adiuuare: neq; exiguitatem Monasteriorum esse capacem, ob tantorum Fratrum habitationem; neq; arctissimam Regulæ paupertatem esse sufficientem, ad ipsorum sustentationem; à Summis Pontificibus dispensationem impetrauerunt, vt diuitias proprias in communi, & in claustro viuentes, possidere potuissent; & ita Apostolico Diplomate factum est, vt Anno Dñi 1380. nulla esset domus, quæ diuitias, & prædia non possideret.*

26. Idem Ludouicus Miranda Obser: in Manual: Prælat: Tom: 1. Q. 12. Art: 1. Conclus: 3. dicens. *Sic factum est, vt ab anno 1226, quo è vita decessit, atq; ad cælestia translatus est B. atq; Seraphicus P. N. FRANCISCVS, vsq; ad annum 1380, nulla ferè in tota Nostra Religione esset domus, quæ non iam ex Summorum Pontificum dispensatione, proprium, diuitias, & prædia non possideret.* Idem etiam affirmat Gonzaga Ex-Generalis Obseru:, de cuius fide Petrus March: in Expos. Reg: pag: 60. tale dat testimonium. *Putauimus verò in hoc negotio credendum R. P. Francisco Gonzagæ: quod existens Gen: Minister Ar-*

cana Ordinis, & ea quæ ad historiam pertinent, penitùs & certiùs introspicere potuerit. Hic ergo tantus Marchantio Gonzaga de Orig. Seraph: Relig: part: 1. tit: de Cæsarenorum initio inquit. *Legitimis quibusdam causis noster Ordo sub Innocentio IV. Pont: Max: circa annũ à Mundi redemptione 1244, ab Ordinis verò institutione 35. & annuos redditus, & rerum immobilium dominium, ac proprietatem (in communi tamen) ex Pontificia dispensatione admisit.* Idem dicit August: Barbosa Iuris Eccl: lib: 1. cap: 41. n. 175. inquiens. *Conuentuales sic dicti --- Modum primitiuum Religionis in summa paupertate prætereuntes, magnas possessiones, & redditus acquirere cæperunt, sed vt ea bona in communi possidere possent, impetrarunt indultum ab Innocentio IV. Anno 1244.*

27. Ex his tam luculentis testimonijs facilè conuincitur falsitatis conclusio (veritatis exclusio potiùs censenda) a Petro March: Obser: in Expos: Reg: pag: 24. absq; ratione excogitata his verbis. *Nulla vnquam Priuilegia Regulæ relaxatiua, fuerunt recepta à corpore toto Ordinis.* Cuius Conclusionis manifestam falsitatem, ex hucusq; deductorum Capitulorum, & Ministrorum Gen: a tempore S. F. consequenter, & non interruptè sibi succedentium recensita serie, facilè vnusquisq; deprehendere potest; eò vel maximè, quia per historias probatas, & Bullas authenticas, citatis Auctorum nominibus, locis, indicibus, & verbis expressis, omnia hactenus dicta communiuimus: repudiantes Marchantinum falsitatis enarrandæ stylum, potiùs fascini seu præstigij vel deceptionis astum; quo tam domesticos, quam extraneos rei historicæ imperitos, pusillos, simplices, sciolos, delicatulos, nasutulos, adolescentulos, æmulos, in summa omnes illos nudis verbis eius (vt faciunt pueri) credentes, fascinauit, & præstigiauit; adducendo Bullas & Auctores solummodo nudè, & simpliciter, seu genericè, nullo præmisso in particulari indice (in quo consistit fides referentis) nulla recitando loca vel verba Bullarum seu Auctorum: quæ si alicubi subijcit, tunc sensum genuinum irrationabiliter detorquet, ita vt a Wadin: sui Ord: Obseru: Alumno præclaro elogio honorari mereatur, ad annum 1297. n. 36. in hæc verba inquiente. *Scimus enim nihil tàm absurdum dici, aut excogitari posse, quod in sen-*

in ſenſum aliquem fictum ſi detorqueas, verum non ſit (appareat dici debuit) *ac rationi, tum humanæ, tum diuinæ conſentaneum. Sed conſentaneum non eſt ſenſa eiuſmodi commentitia, ab vſuq; Sanctorum, & Eccleſiæ aliena, pia nuncupare, & homines futiles talium ſenſorum excogitatione defendere.*

28. Hoc totum vt ad oculum pateat, omnes Marchantij Concluſiones ſeu potiùs dicteria, Statum Min: Con: deuenuſtantia diſcutiantur, probationes diligenter rimentur, & apparentijs deplumentur, tunc neceſsè eſt vt ſubitò Marchantij Æſopica, moueat cornicula riſum, furtiuis nudata coloribus; Et ſit pro exemplo cit: pag: 24. in qua adducit Decretalem. *Exiui de Paradiſo.* in qua ait. *Plurimas Ordinis relaxationes referri, quæ à relaxatis ſub titulo Priuilegiorum, quandoq; intruduntur.* Refert quoq; textum Decretalis in hæc verba. *Tamen Communitas fratrum, & ſpecialiter rectores ipſius Ordinis aſſerebant, quòd prædicta ſeu plura ex ipſis in Ordine non fiebant. Quod & ſi qui reperiuntur rei, in talibus, rigidè puniuntur. Nec nō cōtra talia nè fiant ſunt facta pluries ab antiquo ſtatuta, in Ordine multum ſtricta.* Ex quibus inquit March: *colligitur Corpus Ordinis non fuiſſe maculatum, huiuſmodi relaxationibus, etiam per modum priuilegij; ſed fortè tantum particularia aliqua membra, ſiue etiam domus particulares.*

29. Hic à March: natiuus ſenſus peruertitur, & adulterinus multipliciter inducitur. Et primùm fingit ſupponendo, & ſupponit fingendo, Corpus illud communitatis Ord: tempore Concil: Vien: fuiſſe coincidens, & eiuſdem Obſeruantiæ cum moderno ſuo corpore reformato, ab Obſeruantia nuncupato, abſq; priuilegijs, *neq; illis relaxationibus,* puta bonis ſtabilibus, & annuis redditibus, in Decretali expreſſis, *fuiſſe maculatum; etiam per modum Priuilegij.* Si ita eſt, cur ergo illi Reformati ſicut accuſatores Fratrum, tam acriter oppugnabant communitatis Corpus, cum ſuo Min: Gen: viciſſim Reformatos retundente, & reijciente? vt probauimus ſupra ex Wadin: n. 16. ſi ijdem erant abſq; priuilegijs? cur ſe impetebant? cur Reformati contra Communitatem tam frequenter, vt ex hucusq; dictis ſatis patuit, tam cruda certamina inſtaurabant, multas relaxationes communitati obijcientes? vt ipſemet teſtatur Pontifex in cit: Decret. inquiens. *Sicut ad aures*

nostras pluries, & de quam pluribus in publicis & priuatis Consistorijs est prolatum. Certè nullus in semetipsum Prudens a seipso nihilo differens turpiter tela contorquet. Cur ergo March: distorto sensu, intelligit? esse illam communitatem Ord: tempore Concil: Vien: eandem cum sua nunc extante absq; Priuilegijs reformatam, (vt putat) cui reformati fuerunt inimici domestici eius; & quæ Reformatos non quà Reformatos, sed vti diuisionem & dismembrationem Ordinis, propter Priuilegia admissa affectantes, exterminabat & repudiabat, & propter vnitatem cum Reformatis priuilegia dimittebat, quia nullus dimittit quòd non habuit.

30. Deinde peruersè March: effingit illorum in Decret: verborum sensum, quòd Communitas Fratrum, & specialiter Rectores ipsius Ordinis asserebant, quod prædicta seu plura ex ipsis in Ordine non fiebant. Non enim per prædicta seu plura, intelligebantur bona stabilia, seu redditus annui, & priuilegia: vt ipse detorquet: cum ingenuè Communitas fassa fuerit Regulam S. F. & Nicolai III. Declarationem tantùm, quantùm ad substantiam & necessitatem oportebat se obseruare; vt probauimus supra n. 15. Cùm autem substantia Regulæ S. F. non lædatur vel maculetur per bona stabilia, & redditus annuos seu priuilegia, vt multi Summi Pontifices determinarunt & nos probauimus Art: 3. n. 3. Imò ipsum Concil: Vien: ex relatione Wadin: modum viuendi communitatis licitum, & sufficientem ad veram S. F. obseruantiam determinauit: vt retulimus supra n. 24. vbi etiam ostendimus n. 25. præfatam Decret: non pro tota Communitate promulgatam fuisse, sed pro illis dumtaxat, qui intra Communitatis vnitatem vellent absq; priuilegijs reformatam ducere vitam. Quapropter verba illa in Decret: *prædicta seu plura*, hac dicendi formula; Vero sensu innuunt significari debere, abusus & corruptelas, vltra priuilegia excidentes, cum contra talia facta fuerint pluries in Ord: statuta multùm strictà, & præcipuè sub Min: Gen: de Muro, vt Art: præc: ostendimus. Hinc Communitas non dixit absolutè prædicta omnia non fieri in Ord:, sed ductiuè *prædicta seu plura*. Redditus enim & bona stabilia, Communitas nulla tergiuersatione poterat celare, quæ in facie totius mundi possidebat; vt tot

vt tot Auctores supra cit: apertè fatentur. Proinde dum dixit Communitas sub disjunctione: *prædicta seu plura:* intellexit ea sibi per imposturam prædicta, vltra priuilegia ab Vbertino de Casali, & alijs Reformatis imposititi è obiecta, quæ omnia vt diximus n. 16. minutim & indiuidualiter obijciebat Vbertinus, & calumniosè, cum cæteris Reformatis communitatem traducebat. Qui Vbertinus similis per omnia Marchantio, vt refert Rodul: pag: 335. *Tandem quia insurrexit aduersus Ordinem, tanquam membrum putridum abscissus fuit, & factus est Monachus albus in partibus Alemaniæ.*

31. Probat deinceps March: pag: 25. solita genij sui Vena, præfata priuilegia nunquam à Communitate fuisse recepta: & pro medio, ridiculo vtitur diuerticulo inquiens. *Et quidem Cismontana familia, semper huiusmodi priuilegijs se opposuit, etiam in toto corpore Obseruantiæ Regularis, præter Congregationes strictiùs reformatas. Et singulares Declarationes & Protestationes, contra huius Priuilegia relaxatiua factæ sunt, in Capitulo Gen: Toletano anno 1606. Et demùm in Romano anno 1612.* Quæ probatio. *Desijt in piscem mulier formosa supernè.* Posuit Conclusionem absolutam de primitiua & Originaria Communitate; maximè tempore Concil: Vien: extante; quæ fuit fons, origo, & matrix, omnium postea superuenientium Communitatum; vt Obseruantinorum, Capucinorum, Discalceatorum, asserens quòd illa communitas nunquam Priuilegia acceptauerit: & in probatione turpiter à statu quæstionis transiliendo, rationem assignat: quia Cismontana familia, huiusmodi priuilegijs se opposuit, in anno 1606. & 1612: qui discursus perbellum facit hunc sensum, ideò Communitas primitiua tempore Concil: Vien: in anno 1312, & antea existens, nunquam admisit priuilegia; quia familia Cismontana in anno 1606. & 1612. huiusmodi priuilegijs se opposuit. Amphora cæpit & Vrceus exit. Pari ratione aliquis taliter discurreret ex Cau: 25. Q. 1. cap: 16. Ideò Christus contra legis literam leprosum tangendo, & mundando, Apostoli quoq; contra literam Sabbati per sata prætergrediendo, spicas vellendo, & manibus suis confricando priuilegia non admiserunt: quia Synagoga Judæorum in anno 1606. & 1612, his factis se opposuit, & tam potestatem Christi, quam Pri-

uilegia Apostolis à Christo concessa, non admisit. Sed hic Marchantij discursus, se ipso digno, coronetur hoc epiphonemate.

Tum fulgida cauum
Torua mimalloneis implerunt cornua bombis.

32. Ex dictis discutiendus & decidendus venit, ille §. Marchan: pag: 116. inquientis: *Communitas Ordinis nunquam redditus aut priuilegia, contra paupertatem & Regulæ puritatem admisit.* Et supponit potiùs fingit Priuilegia Pontificia fuisse subreptitiè obtenta, & redditus ac bona temporalia illicitè irrepsisse. Exemplificat de Clementis IV. Bulla quæ incipit *Obtentu Diuini.* Sed imprimis Priuilegia Pontificia, nunquam contra paupertatem, quæ est tertium Regularium votum, neq; contra puritatem alicuius Regulæ, a Pontificibus cōcedi solent: quia Pontifices sunt cōseruatores, & promotores puri Regulariū status; quæ substantialiter in tribus solennibus consistit votis: quare omnia Priuilegia Apostolica, redditus & bona temporalia Religiosis permittentia, vt fecit Conc: Trid: Sess: 25. cap: 3. pro Omnibus Religiosis (exceptis Domibus Capucinorum, & eorum qui de Obseruantia vocantur) non sunt contra paupertatem & puritatem Regularum, omnium Ordinum, in Communi bona stabilia possidentium. Nō enim potest esse contra Regulam, quod Sedes Apostolica determinat esse secundùm Regulam, Sedis enim Apostolicæ est, quascunq; Regulas approbare, declarare, interpretari & temperare, vt diximus Art: 3. n. 4. Nec licet sentire & dicere contra id, quod sentit & determinat S. Mater Ecclesia: quæ auctoritatem Regulis impertitur, sed non eis alligatur. Ita Regulis auctoritate præstat, vt seipsam eis non subijciat. Regulæ namq; ita aliquid constituunt, vt interpretationis & modificationis S. Ecclesiæ auctoritatem non tollant, sed reseruent. Quæcunq; ergo in Regula S. Fran: definiuntur seruanda, intelligenda sunt necessariò seruari, nisi auctoritas S. Ecclesiæ aliter statuerit, permutauerit, indulserit, vel permiserit. Cum ergo Priuilegia Apostolica bona stabilia & redditus annuos permittentia, Communitati concessa fuerint, nihil per ea contra Regulam, & eius puritatem substantialem concedi, ab Apostolica Sede censendum est extitisse. Redditus

enim

enim annui, & bona in Communi, non euacuant essentiam Regulæ, in paupertate Religiosa, ut patet in omnibus Religionibus, bona in communi ex cit: Conc: Trid: possidentibus; nec tamen Statum earum maculant, vel in essentialibus diminuunt.

33. Deinde huiusmodi dispensatiua Priuilegia nulla ratione sana, possunt dici simpliciter relaxatiua; quia relaxatio indicat illicitum vsum ex priuata indulgentia sibi permissum, quod non est dicendum de Priuilegijs Apostolicis, quæ non relaxant licentia priuata, sed temperando Auctoritate Apostolica, debitum conseruant Regularium statum, & Conscientiarum securitati rationabiliter præcauent, & prouident: né declinantes in obligationes, adducantur cum operantibus iniquitatem; & né dicatur eis; ipsi obligati sunt & ceciderunt.

34. Quòd autem Priuilegia primitiuæ Communitatis ad habendos redditus, & bona stabilia in Communi a Sede Apostolica concessa, non fuerint subreptitia (vt sine ratione supponit March:) hoc euidenter patet, quia hæc omnia Priuilegia à diuersis Pontificibus concessa, sunt inserta corpori Juris Ecclesiastici, vt patet de prædicta Bulla Clem: IV. tum Martini IV. Joannis XXII. Martini V. &c. Illud autem ius quod Ecclesia S. agnoscit legitimum, priuata auctoritate censere subreptitium, est manifestè temerarium, vt confirmat Concil: Trid: Sess: 22. de Reform: cap: 5. inquiens. *Expressas preces subreptionis vel obreptionis vitio non subiacere.* Hæ preces manifestè enarrantur in cit: Bulla Clem: IV. quæ data fuit ad preces duorum Generalium, Humberti Gen: Præd:, & S. Bonau: Min: Gen: Ord: Min: vt intuenti manifestè patet, ex anno quo data est colligenti: & sic de cæteris discurrendum.

35. Accedit quòd omnes communiter DD. (exceptis Marchantinis) agnoscant hæc priuilegia legitima non subreptitia, vt de cit: Clement: visum est supra. Quod autem negatur March: pag: 517. Communitatem siue Corpus Ordinis, huiusmodi Priuilegia nō tantum non admisisse, sed omnino illa quouis modo data repudiasse. Hæc tantùm faciunt quantùm valent, & ab eo probantur, nulliter autem probantur, quia nullius sunt probabilitatis. Probat sua dicta per repudiationem Priuilegiorum, à S.

Anto-

Antonio, & Adamo de Marisco factam: quâ formaliter isti SS. opposuerunt se Heliæ Priuilegijs. Sed deficiente oleo, lichinus tibi lumen non subministrat, vacuum non occupat locum, nec vmbra viuificat lumen. Helias falsa & subreptitia, per circumuentionem obtinuerat Priuilegia à Gregorio IX, tota inscia cōmunitate, & eis repugnante, quæ cū nullius fuerint iuris, etiam in nullo inueniuntur iure. Sed paritas non est facienda cum Priuilegijs Communitati concessis, & ab ea admissis, ac à diuersis Pontificibus confirmitatis, nimirum vt licitè posset, sine læsione substantiæ Regulæ S. F. bona stabilia in Communi possidere & tenere: vt diximus supra. Cætera quæ ibidem prosequitur March: sunt maiori reflexione indigna. Sed vt mentiatur iniquitas sibi, cùm scriptum sit; omnis iniquitas oppilabit os suum: & vt obstruatur os Marchantiorum loquentiorum iniqua, ac manifestè demonstretur, quòd Communitas Sodalitij Minorum, illis temporibus Concil: Vien: contingentibus, Priuilegia Apostolica bona in communi concernentia admiserit: præter præfatas rationes & auctoritates adductas, tùm confessionem liberam ipsius Gen: à Muro Art: 8. n. 3. recensitam; etiam tota communitas illius temporis, idipsum spontè fatebitur, cum scriptore eius temporis Aluaro Pelagio. Et sit testis ipse Wadin: paulò magis communitati quam dicti Reformati æquior. Hic ad annum 1318. n. 24. controuersiā illorum sexaginta quatuor vel plurium Reformatorum, Auenione coram Joanne XXII. comparentium repetens, cum dixisset duos principales à communitate conuictos, ac iussu Pontificis carceri mancipatos. Tertium à communitate: sic conuictum enuntiat. *Quem accusarunt quòd ex superstitioso zelo paupertatis distraxerit bona Conuentus Narbonensis, à Sede Apostolica in vsum Fratrum concessa; & quòd auxilio fuerit ciuibus, vt Monasterium Fratribus rebellibus traderetur. Idem hic subijt cum cæteris iudicium.* Idipsum testatur Aluarus Pelagius anni 1320. Scriptor de Planct: Eccl: lib: 2. cap: 66. inquiens. *Tota die vendunt alicubi Fratres Min: ligna de siluis, granum de terrulis, quas aliqui habent iuxta hortos, vinum de quibusdam vineolis. & pergulis, hortalitia de horto, mel de aluearijs apum, fructus de arboribus.* Ex quibus constat communitatem iam habuisse terrulas

vineo-

vineolas, siluas, & alia bona à Sede Apostolica in vsum fratrum concessa; vt communitas primitiua Minorum, coram Pontifice est publicè fassa. In quo à se non dissidet, Aluarus à nobis cit: Art: 9. n. 21.

36. Tandem in Concil: Vienen: circa doctrinam Petri Joannis Oliuij. ita conclusum est refert: Wadin: ad annum 1312. n. 4. *Vt aliqua definitione expressa Pontificia condemnarentur: vt si ita consultum videretur PP. propter maiorem Ordinis tranquillitatem, tota doctrina interdiceretur. Reclamabat contra hoc Vbertinus cum Reformatis, reprobata à Concil: leniùs ferens, sed valdè iniustum conclamans, vt catera committerentur Ordinis arbitrio; cuius communitas inquiebat, grauiter & absq; misericordia viuum & defunctum est persecuta. Praualuerunt tamen qui contra Petrum agebant, & supprimendas omninò volebant eius commentationes, ex quibus asserebant omnes hos exortos tumultus.* Hæc ex Wading.

37. In reliquo hortatus est Pontifex, non præcepit. vt Prælati quantùm in eis esset facerent seruari Regulam iuxta editam Decret: *Exiui de:* Licet vt diximus supra n. 24. modum viuendi communitatis esse licitum, & sufficientem, ad veram S. F. Obseruantiam priùs declarasset: quâ procedenti cautela in communitatis vnitate, vtrosq; manere posse Obseruantes visus est censere, tùm qui Priuilegijs Apostolicis iam admissis temperatam seruassent Regulam, tum qui arctiùs viuere volentes iuxta præfatam Decret: & Nicolai III. Declarationem, viuendi statum sibi præfixissent: proinde Reformatis iniunxit, cit: Wadin: referente n. 5. vt quam primum ad vnitatem & obedientiam Religionis redirent, pacem & vnionem cum reliquis Fratribus seruarent. At Fr. Vbertinus exclamans genuflexus ait Pontifici. *Retribue seruo tuo viuifica me secundùm verbum tuum*, adiunxitq; se propter eius præceptum ad curiam venisse, in qua multa perpessus, timebat, & sciebat se grauiora passurum, si in manus traderetur Prælatorum. Petijt itaq; vt sibi suisq; daretur facultas extra illorum obedientiã militare, sub Regula S. Fran: vt ita separatus à persecutoribus, commodiùs eandem obseruaret iuxta declarationem. Noluit Pontifex annuere, sed omninò voluit vt vnus esset Pastor & vnum ouile.

le. *Illi verò nullum sibi subterfugium relictum perspicientes, redierunt ad gremium Religionis, aliqui tamen, in diuersis Prouincijs ab ea recedentes sub pallio zeli, & maioris obseruantiæ, facti sunt Ordini inuisi; contra quem multa intentarunt, & scandala multa excitarunt. Contra hos grauissimis egit Clemens censuris, donec ad proprias sedes regressi sunt; quorum plurimi corde compuncti, ob ministratas turbarum & scandalorum occasiones, pænitentiam egerunt, diesq; suos piè & laudabiliter in Religione terminauerunt.* Hæc Wadin:

38. Tempore huius Gen: Gondis: floruit Doctor Subtilis Joannes Duns Scotus, his turbis Reformatorum suo tempore agitatis, nunquam associatus: cum optimè nosset paupertatis Minoritanæ substantiam, huic importunæ controuersiæ non debuisse fieri adnectendam: quam probè penetrauerat, vt colligitur ex Quarto Dist: 15. Q. 2. Natus est Scotus anno 1274. eo quo mortuus est Seraphicus Doctor S. Bonau: mira Dei prouidentia suauiter Min: Ord: Con: consulente, vt vno Doctoris Sole occidente, alter Religioni nasceretur. S. Religione initiatus, Parasijs Baccalaureis primùm, mox Doctoratus, insignibus laureatus, deindè in Comitijs Tolossanis, anno 1307. Regens Parisiensis creatus; primus publicum certamen iniuit pro asserendo B: M. Immaculato conceptu; ex quo tanquam proprio stemmate gloriosus in Schola Subtilium enitescit. Hæresim Beguardorum contriuit, & disjecit, Coloniæ Aggripinæ mortuo, ibidem & in Ecclesia Min: Con: sepulto anno 1308. Hoc epigrammate vetustum carmen olente, sepulchrum eius fuit exornatum.

Concepta est Virgo primi sine labe Parentis:
Hic tulit hic hæresi prælia dura dedit.
Inde genus meriti tantùm sibi Papa refundens:
Doctor Subtilis dicitur inde dedit.

Dum hic asseritur hæresi prælia dura dedisse, intelligitur Hæresis Beguardorum. Huic quidam non minùs purum quam verũ consecrauit in hæc verba.

Frater Ioannes à Duns Scotus: Minorum Conuentualium, Princeps Subtilium.

ANA

ANAGRAMMA.

Fui Partus Unus Sublimis, doctus multùm: in Conceptione MARIÆ non errans.

Mortuus est Gondis: Gen: 1313. gubernauit Ordinem annis 9, turbulentis semper temporibus, & scissis in Contrarium partibus: vt Wadin: asserit ad cit: annum n. 1. Sepultus Parisijs in Ecclesia tunc Min: Con: Eius tempore fuit assumptus ex Ord: Min: Con: in S. R. E. Cardinalem Fr. Vitalis à Furno, qui obijt Auenione sepultus, in Ecclesia Min: Con: Hic Gen: ad Ordinem suscepit Aluarum Pelagium ex Wad: anno 1304. n. 13. Scoti discipulum ex eodem 1308. n. 61.

ARTICVLVS X.

In quo XV, & XVI, Min: Gen: enarrantur. Priuilegia Apost: in comm: approbantur. Fabulamenta Marchan: reprobantur. Per Reformatos unitas Ord: scinditur, & restituitur: impostura dissoluuntur.

1. DECIMUS QUINTUS Min: Gen: fuit Fr. Alexander de Alexandria S. T. D. electus est Barchinonæ, anno 1313. vnanimi omnium suffragio. Hic Communitatem Ordinis contra sequaces Petri Joannis Oliuij, Vbertinum de Casali, & alios reformatam vitam defendentes, defendendam suscepit. Hic statim profectus est ad Pontificem, à quo impetrauit literas Pontificias, ad aliquos Italiæ Prælatos; vt Fratres illos qui à Corpore Ordinis causa reformationis recesserant, ad obedientiam regredi suorum Superiorum compellerent; quos Pontifex per Censuras Ecclesiasticas, appellatione postposita, & omni exceptione semota, iussit sub suorum regimen Superiorum redire: vt de hoc prolixè tractat ad eundem annum. Wad: n. 4. & vltra.

2. Idem n. 7. hæc addit. *Harum literarum auctoritate factum est, vt plurimi redierint, receptiq; sint in visceribus charitatis alij vero spiritu præsumptionis agitati, transfretarunt in Insulam Trinacriæ, Pontificis & suorum Superiorum imperium detrectantes. Ubi à Frederico Re-*

ge, & plurimis Prælatis, Virisq; nobilibus amicè recepti, & protecti sunt, sub specie pietatis, cum magno tamen scandalo Religionis. Resipuerunt ex his duo Fratres Germani, Oppidi Pratensis in Tuscia: Fr. Simon & Fr. Franciscus Donatini, & coram Rege ac Pontificibus confessi sunt, humiliter se temerè & impiè fecisse, quod fugerint Pontificem, & Prælatos sui instituti: redieruntq; in suam Etruriæ prouinciam; in qua deinceps tranquillè vitam consumarunt.

3. In hoc Capitulo Gen: in quo hic Min. Gen: fuit electus, statutum est, vt ipsemet curaret per se quam maximè constituere: præsentandos & promouendos ad magisterium, nè propter multitudinem & insufficientiam promouendorum ad Magisterium, in S. Theol: facultas Theologica, & Magisteriũ haberentur contemptui: hoc refert Wadin: n. 3. Sub hoc Gen: floruit Joannes Bassolius, Doctor Ordinatissimus nuncupatus, quem Scotus vt olim Plato Aristotelem auditorium suum appellabat. Mortuus est hic Gen: Romæ anno 1314. sepultus in Templo B. M. V. de Ara Cæli, protunc Ord: Min: Con: vacauit Ordinis præfectura ait Wadin: ad cit: annum n. 7; Nescio quo casu an negligentiâ, an verò turbulentia, anno vno, mensibus octo, protracta electione Successoris, in annum milles trecent: decimum sextum, & Maij diem postremum.

4. Idem Wadin: n. 8. inquit; *Vacante itaq; longo tempore Sede Apostolica, & præfectura Ordinis Min: Fratres illi, qui sub nomine arctioris Obseruantiæ agebant, contra corpus Religionis, & quos paulò antea Clemens Pontifex vti narrauimus, ad gremium & vnionem eiusdem reduxit, nacti occasionem hanc, quâ sibi securiùs quidquam licere iudicarunt, sub specie declinandæ persecutionis, impatienter & temerè ab Ordine se diuiserunt. Centum etenim & viginti in Prouincia Prouinciæ, & Custodia Narbonensi inter se colligati, consilium inierunt de excutienda Prælatorum obedientia, & constituendis sibi peculiaribus domicilijs. Vt verò haberent vbi statim viuere, & peculiares sibi effingere constitutiones liceret, auxilio quorundam amicorum suorum sæcularium (quibus semper vitæ asperitas & Obseruantiæ Regularis intentior conatus arridet) & armorum strepitu eiecerunt ex cænobijs Narbonensi & Biterrensi locorum Præfectos, & reliquos consodales: Deinde Custodem & Guardianos sibi*

nos sibi constituerunt, habitus Communis formam mutarunt, vestes strictas, breues & nouitate deformes assumpserunt. His accesserunt alij strictioris Obseruantiæ cupidi, ex varijs Prouincijs, etsi ad eos trasmigrandi negaretur facultas, quorum accessu maiorem sibi licentiam sumpserunt, Superiores Ordinis, eorumq; præcepta, & censuras quasq; contemnendi. Fauebant eis impensè Ciues Narbonenses & Biterrenses, ob memoriam & deuotionem Petri Ioannis Oliuii, quem tunc multis referunt claruisse miraculis. Biterris namq; Petrus hoc amplexus est institutum & Narbonæ sepulchrum accepit: & hi nouæ vitæ authores, se Petri profitebantur discipulos, atq; eius institutiones per omnia sectari. Hæc Wadin.

5. DECIMUS SEXTUS Min: Gen: Fr. Michael de Cæsena S. T. D. absens electus est Neapoli, anno 1316. secundum Wad: n. 3. Hic primo reformationi abusuum incubuit, Fratres illos qui sub nomine Spiritualium, & Strictiorum Obseruantium, Regulæ S. F. iugum excutiebant obedientiæ, & temerè præcepta Superiorum contemnebant; Obtentis Pontificijs literis; ad gremium Religionis conatus est reuocare; vt refert Wadin: ad annum 1317. n. 9. de quibus suum sensum promit in hæc verba. *Laudo bonum conatum maioris perfectionis, & desiderium approbo perfectæ obseruantiæ regularis, sed non condemnare non possum præsumptionis spiritum, contemptum Superiorum, & tumultuarium in his modum procedendi; sunt quidam qui benè agere proponunt, sed in ipsa actione valdè deficiunt. Dum enim spiritum, quo ducuntur non ad discretionis Regulam mensurant, sed cæco feruore vrgere contendunt, vbi piæ actionis merito se putant proficere, ibi graui errore à via virtutis, longiùs aberrant. Sanè ex illorum censendi sunt numero de quibus dixit Propheta, Ascendunt vsq; ad cælos & descendunt vsq; ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Quia dum cæteros altitudine perfectionis pertransire satagunt, & ad cælum vsq; pertingere, inanis gloriæ vel præsumptionis propriæ virtutis vertigine, correpti miserabiliori tandem casu semet collidunt. Ita in his contigit, dum ad perfectiorem Regulæ aspirant obseruantiam, omnem despiciunt, dum potissimum Regulæ fundamentum excutiunt obedientiam.*

6. Neq; contra reliquos vt idem Wadin: ad annum 1317. n. 11. enarrat, Galliæ Narbonensis seu Prouinciæ rebelles, qui Narbonæ & Biterris, propria sibi constituerunt domicilia, agere desti-

tit Cæsenas Min: Gen: sed cum præcipuis Ordinis PP. Aueniones petijt vt Apostolicæ auctoritatis virga percellerentur, & ad saniorem mentem reducerentur; Sed & hanc cum cæteris, quas supra diximus prouinciam commisit Pontifex Bertrando de Turre Ministro Aquitaniæ, vt cum his suauiter & leniter ageret, & à proprio ouili misellos errantes, ad caulam reuocaret. Egit ille quantùm potuit, sed nihil effecit; neq; enim vel latum vnguem valuit eos à sua contumacia retrahere. Præcepit mox Pontificis nomine vt habitus, quos ferebant curtos, strictos, cum caputijs paruis, & inusitatos (*ita illius auctores loquuntur*) ab Ordinis communitate valdè discrepantes, deponerent, & alterum secundùm Ordinis consuetudinem assumerent, cuius vilitatem, aut qualitatem, à locorum consuetudine, & Superiorum iudicio petendam esse Clemens, grauissimo constituto iam in corpus iuris redacto, sanxierat; Responderunt; *Hoc ex illis vnum esse, in quibus Superioribus, non erat parendum, cum illa quam assumpserant, vestis, Regulæ S. Fran: & Sanctissimi legislatoris menti foret conformis, neq; in hoc se putabant à Clementis declaratione recedere.* Cum verò vrgeret Bertrandus illum eorum peregrinũ habitum à Clemente reprobari, eumq; iussisse, vt circa vestium qualitatem, & mensuram obedirent subditi Prælatis; & Joannis Pontificis præceptum intimaret, vt ad obedientiam redirent; *appellationem ad ipsum Ioannem meliùs informatum, interposuerunt.*

7. Auditâ hac illorum pertinacia, & lectâ appellatione eam Bertrandus transmisit Pontifici, qui subitò acceptâ relatione; Officiali Narbonensi scripsit, & in virtute obedientiæ districtè mandauit, quatenùs per se, vel per alium, seu alios, fratres eosdem reformatos peremptoriè, ac sub excommunicationis pœna, quam eos, si contra facerent incurrere ipso facto voluit, citare procuraret, vt decimo die post citationem huiusmodi; facturi & recepturi super præmissis, quod Ordo dictauerit rationis. Idem scriptum fuit à Pontifice & Officiali Biterrensi. His oportuit obedire mandatis, vrgentibus ex præcepto Pontificio præfatis Officialibus. Recesserunt itaq; tàm ex Conuentu Narbonensi, quàm ex Conuentu Biterrensi: quorum omnium computus sexagesimum; vel

vel vt alij volunt septuagesimum vix excedebat numerum, vt Wadin: refert ad annum 1317. n. 14. *Omnes hi Auenionem peruenerunt, & non declinauerunt ad Fratrum communitatis cænobium. Sed serò venientes, pernoctauerunt præ foribus Palatij Pontificij, neq; illinc voluerunt recedere, donec ad Pontificis conspectum fuerunt admissi: ad quem introducti, in spiritu lenitatis eos audiuit, & querelas excepit: Sed cuncta iudicans friuola, præcepit eis vt ad fratrum cænobium declinarent, & ad Ordinis obedientiam redirent.*

8. Reluctantes iussit sub honesta custodia recludi, donec maturius in eorum negotijs ageretur, causamq; viuæ vocis oraculo commisit discutiendam Fratri Michaeli de Monaco, ipsius Ordinis Min: hæreticæ prauitatis, in Regione Prouinciæ, & comitatibus vicinis Inquisitori. Resipuerunt omnes præter viginti quinq; qui obstinatè, & imprudenter nimis contendebant, *Pontificem in his quæ præcipiebat eis, peccasse, nec in ijs quæ declarauerat circa fratrum vestitus, cellaria, & granaria, licitè fecisse, & fratres secundùm hanc declarationem viuentes peccare. Regulam etiam S. F. eandem esse cum Euangelio, & proindè eius præcepta à Pontifice indispensabilia.* In hos tanquam hæreticos animaduerti iussit Pontifex, dato publico diplomate, Fratri Michaeli Inquisitori. Examinato totius negotij processu, præfatus Inquisitor ex illis viginti quinq;, Quatuor combussit, in ciuitate Massiliensi, tanquam hæreticos, vt refert Wad: ad annum 1318. n. 26. quia dicebant Regulam S. F. eandem esse cum Euangelio, & propterea indispensabilem à Pontifice; maximè in ijs, quæ præceptoriè vel inhibitoriè in Regula præscribuntur. Secundò asserebant non potuisse Pontificem concedere fratribus Minoribus, cellaria aut granaria, & viuentes secundùm concessionis licentiam mortaliter peccare. Vnum ex prædictis, qui in his assertionibus defendendis, per dies multos contumaciter perseuerauit, sed tandem resipuit, in muri concauitate recluserunt. Reliquos huius doctrinæ asseclas ad abiurandum coegit Inquisitor, constituitq; vt in omnibus locis in quibus has assertiones, vel aliquam illarum proposuerant, in publico consessu reuocarent; De ijsdem eadem loquitur Rodulphus fol: 181. b.

9. Præcipuam differentiæ causam inter fratres Communitatis,

tatis, cæterosq; qui Spirituales vocabantur, afferit Wad: ad annum 1317. n. 18. constitisse, in habitus discrimine, & qualitate. Portabant qui de Communitate dicebantur, habitus laxiores, longiores, meliores, & maiora caputia: è contra Spirituales contendebant non licere ita incedere, & assumpserunt sibi vti Pontifex loquitur, Vestes strictas, curtas, viles, cum paruis caputijs. Fratres Communitatis ægrè ferebant, cæteros velle à se discriminari, & inusitatis squalidisq; vestibus suas nobiliores condemnari. Spirituales contendebant, non licere sibi aliter incedere, suumq; habitum à S. F. traditum, paupertati, sui status esse conformiorem. Aliud item hi condemnabant in communitate, quod frumentũ in granarijs & vinum in cellarijs tempore messis & vindemiæ, etiam ex eleemosynis collecta congregauerint; hoc etenim germanæ mendicitati & professioni pauperum fratrum Minorum dicebant esse contrarium. Vt has lites Joannes XXII. sopiret, declarationem edidit grauissimam stylo elegantem, & verbis grauem, quæ habetur inter Extrauag: communes de verb. sig. *Quorumdam exigit.* Idem Pontifex motus querelis Generalis Min: Cæsenatis, & aliorum fratrum communitatis: edidit amplissimam Bullam quæ incipit. *Gloriosam Ecclesiam.* Vt refert Wadin: ad annum 1318. n. 10.

10. De his controuersijs quæ inter Fratres Spirituales nuncupatos, & Communitatem Ordinis intercesserant, profert cit: Wadin: n. 8 Suum sensum. *Dum Pontifex illos cogeret ad horum consortium, & Michael de Monaco Ord: Min: (quem supra diximus) Inquisitor seuerè contra eos ageret, fugam arripuerunt: illi, quibus licuit: transfretantes ad insulam Trinacriæ, quò ex eodem grege (vti alias diximus) alij præcesserunt. Illi congregati statuerunt nihil amplius sibi agendum, cum Superioribus Ordinis, à quibus nihil expectandum erat fauorabile: sed præficiendum sibi aliquem ex suis, qui quæ cogitauerunt consilia conaretur stabilire. Occurit homo audax & præ cæteris erroris tenax, Henricus de Ceua prouinciæ Ianuensis, quem tanto corpore dignum iudicarunt caput, & propria auctoritate Generalem suæ sectæ nuncuparunt Ministrum: sed vti fit qui ab Ecclesia recedunt, in varias prolabuntur hæreses, ita qui à Religionis corpore se discindunt, in miserabiles casus abeunt,*

& in-

& insanos sibi effingunt errores. Vt rectè August: in Psal: 118. Conc: 22. In fine inquit. *Custodienda vtiq; est obedientia, vt percipiatur sapientia, & perceptâ sapientiâ non est deserenda obedientia. Diuina mandata seruantibus propter obedientiam præbetur vberior doctrina sapientiæ:* obindè inquit Regius Propheta Psal: 118. *A Mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* At qui declinant à mandatis Dei, & qui Ecclesiam spernunt, vel derelinquunt: ambulant per inuia deserta, & inaquosa, præcipites aguntur, in vitiorum foueas, & cæci ducuntur in omnem viam iniquitatis. Extra Ecclesiam qui est, nec audit nec videt, in illa qui est, nec surdus nec cæcus est. Sectanda itaq; Obedientia mandatorum, obseruanda reuerentia Superiorum, nè ducamur in tenebras errorum, & miserè feramur in sentinam vitiorum, vt idem cit: August: lib: 13. de Ciuitate Dei cap: 12. inquit. *Obedientia quippè Mater quodammodo est omnium, custosq; virtutum, quandoquidem sic facta est: vt ei subditam esse sit vtile.* Hæc ex Wadin.

11. Prosequitur vlteriùs ex proprio sensu cit: Wadin: sub n. 9. in hæc verba. *Misclli porrò isti qui obedientiam Superiorum excutiunt, & sub maioris specie obseruãtiæ, virtutes procul fecerunt, dum custodem earumdem abegerunt, & miserè seducti in aliquos ducuntur errores, nisi fortassis illud sit effugij, vt ab æmulis fuerint conficti: quod paulò post examinabimus. Quidquid illud sit, præualuerunt contra eos aduersarij; & plurima eis obiecerunt crimina, coram Ioanne Pontifice, accusaruntq; præcipuè de quinq; hæresibus: vid licet quòd duas effinxerint Ecclesias, vnam carnalem, diuitijs, sceleribus maculatam, cui Romanum Pontificem, aliosq; Prælatos inferiores dominari asserebant. Aliam Spiritualem frugalitate mundam, virtute decoram, paupertate succinctam; in qua ipsi soli eorumq; complices continebantur. Secundò quod cum Donatistis asseruerint Venerab les Ecclesiæ Sacerdotes, aliosq; eiusdem Ministros, omnis iurisdictionis & Ordinis auctoritate destitutos, nisi cum ipsis sentirent; apud quos sicut spiritualis vitæ sanctitatem, ita auctoritatem dicebant pers uerare. Tertiò cum Valdensibus, in nullo casu absq; mortalis criminis reatu licere iurare. Quartò cum eisdem; Sacerdotes, etsi ritè & legitimè ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos non*

ſos non poſſe conficere, vel conferre Eccleſiaſtica Sacramenta. Quintò Chriſti Euangelium in ſe ſolis illo tempore fuiſſe completum, atq; eò vſq; abiectum, imò prorſus extinctum. Alia dicebantur effutire contra coniugij Venerabile Sacramentum, & ſomniare de curſu temporum, de Antichriſti aduentu, de fine ſæculi, quem iamiam inſtare diuulgabant.

12. De ſtatu præfatorum Reformatorum licet pluries ſuum deprompſerit ſenſum Wadin: vltimatè tamen ad annum 1318. n. 16. vocat. *Capitoſos, ceruicoſos, & contumaces, nimis fuiſſe plures ex eis.* & infra n. 28. hæc verba de eorum phantaſia ſubdit. *Neq; quidquã potui in his fratribus ſubodorare, præter nimiam tenacitatem, ſeu potiùs peruicaciam, in ſua illa de paupertatis obſeruantia, opinione; nimiam etiã ſuæ Regulæ commendationem, vt Euangelio vellent æqualem, & à Pontifice indiſpenſabilem, nimiam libertatem & abundantiam in ſuo ſenſu: quo temerè & ſcandaloſè Superiorum excuſſerunt obedientiam. Quòd autem & has quinq; hæreſes, alioſq; adiunctos hauſerint, ſeu potiùs ſparſerint errores, non tàm veritati, quàm aduerſantium ſuggeſtioni duxerim adſcribendum. Fortaſſis fuerit aliquis ex his in talibus deprehenſus, & improbitatis infamia ad omnes tranſiuit; neq; enim vero ſimile ea delicta in omnes ſe diffudiſſe, & ſingulos contaminaſſe.* Siue autem facta hæc, ſiue ficta: documentum exhibebant cunctis Religioſis, ſimilis pertinaciæ vitandæ: atq; iſtud ſibi perſuadendi, Religionum Inſtitutiones, ſiue reſtaurationes, non tàm conſilio humano, quam Diuino aggrediendas: Nouit enim earundem ſator & conditor, quando & qualiter expediat hæc adoriri.

13. Hos ergo tales, & his coloribus delineatos Reformatos, volens Summus Pontifex à tanta peruicacia, & temerario ſuorum Superiorum Obedientiæ contemptu, & receſſu amouere, ac ad communitatem, vnitatem, & obedientiam reducere, edidit Bullam Datam Auinione 10. Kal. Febr. anno Pontificatus 2. Cuius Bullæ Wadin: ad annum 1318. n. 12. refert hæc verba. *Dudum ſuperſtitioſi & diſcoli homines, in Prouincia Prouinciæ, aduerſus communitatem præfati Ordinis inſurgentes, & ſe ſolos ſuoſq; complices de Obſeruantia Regulæ B. F. mira vanitate iactantes, reliquam Ordinis multitudinem, de transgreſſione Regulæ perperam iudicando notabant, non-*

nullos

*nullos profanæ multitudinis, verbis mendacibus & mentitæ sanctitatis ob-
tentu, in sui erroris deuium adducentes, quorum vipereos partus, in ipso
sui exortu fæl: recordationis Nicolaus Papa IV. prædecessor noster, nè in
multorum perniciem alerentur, ad veritatis petram allidere cupiens;
Gen: Ministro, qui tunc temporis memorato Ordini præsidebat, districtè
præcipiendo mandauit, vt huiusmodi præsumptores, disciplina debita coër-
ceret; prout in literis ipsius prædecessoris nostri plenius continetur. Sed
eorum pestilentissimas nouitates, hoc remedio compressas fuisse potiùs,
quam extinctus, rediuiuus error enunciat, & tristis experientia mani-
festat.*

14. Ad hanc Bullam cuius tenorem prolixiùs recitans Wadin: subiungit n. 13. hæc verba. *Verè concordat narratio in substantia facti cum ijs, quæ ex probatis auctoribus & vetustis monumentis per varios annos retulimus, licet in aspero acerboq; stylo, & acri erga omnes Obseruantiæ Regularis zelatores inuectione, nullo personarum facto discrimine, ab aduersarijs digesta facilè dignoscetur, vti largiùs probat auctor Nitelæ Franciscanæ. Neq; enim omnes omninò qui de restituenda prolapsa disciplina, & obseruantia Regulari agebant, seuero hoc iudicio possunt condemnari, neq; vnica sententia comprehendi. Etenim vti fuerunt & nimis contumaces, & capitosi, inter hos qui spiritualium nomine audiebant, fuerunt & pij, prudentes viri, atq; cum temerarijs permixti fuerant, & discreti.* Et recenset aliquos Viros quos solennes personas & spiritu feruentes, tanquam à Deo missos & confortatos, commendarunt Summi Pontifices; indè concludit sub n. 14. in hæc verba. *Quare aliquid hic suum repetere possunt liuor & passio aduersariorum, quorum illa fuit consuetudo, statim de crimine hæreseos, tanquam magis odioso, & minus tolerabili quoscumq; accusare, qui secum non sentiebant, aut de restauranda vera Regulæ Obseruantia efficaciùs insistebant.* Deinde recenset nominatim aliquos Religiosos, de quorũ rebus, vita & moribus, illatisq; calumnijs & perpetuis cõtra eos excitatis persecutionibus suis locis se egisse cõmemorat. Addens hæc formalia. *Futuris etiã sæculis alij recẽsebuntur, qui plurima in hoc genere perpessi, clariùs ostendẽt indignè, & multis cõfi-*

ctis sceleribus filios Agar, semper insectare filios Saræ, & qui laxiorem viuunt vitam, persequi sanctioris instituti zelatores, dicentes. Venite occidamus eos, & eradamus eos de terra viuentium quia sunt contrarij operibus nostris.

15. Hæc Wadingi ex affectu promanans contra Communitatem ferula, non euadit candidæ veritatis censuram: facilius ego crediderim tot Summis Pontificibus, tot Ministris Gen: tot hæreticæ prauitatis Inquisitoribus supra relatis: insuper tot de Communitate cum suo Min: Gen: & Procuratore Ord: Ministris Prouincialibus Art: 9. n. 16. expressis, præfatos reformatos vti discolos & temerarios oppugnantibus, & extirpare adnitentibus. Faciliùs quoq; censuerim cum recensitis; quòd isti Reformati fuerint superstitiosi, aduersus communitatem perperam insurgentes, ementitæ sanctitatis obtentu, vipereos aculeos ipsi infigentes, & pestilentissimas nouitates resuscitantes: quam ipsam communitatem eis iniquè aduersatam, & subreptitiè Pontificem informatum: ac ea omnia præfata in Bulla à Communitate, vt ab aduersarijs digesta fuisse, maximè cum tam solennes & Sancti de Communitate Viri, cum suo Min: Gen: contra hunc exiguum centum & viginti reformatorum numerum, Summo Pontifici supplicauerint, præfatos reformatos exterminari debere censentes, & poscentes: vt n. 9. ostendimus. Hinc vt contra Wadin: constet inter illos reformatos nullum fuisse pium, prudentem & discretum, ipsamet citata Pontificis declarabit Bulla.

16. Hæc postquam præmisisset, auctoritate Apostolica eis reformatis fuisse præceptum, vt ad communitatem redirent, & temerariè obedire renitentes fuisse excommunicatos, hæc verba subdit. *Qui ecclesiastica vincula non verentes, non absq; temeritatis audacia, apostasiæ nota, mentisq; vesania, contra Apostolica mandata, & dicti Ordinis instituta, se ad partes Insulæ Siciliæ transtulerunt, & inibi ab obedientia & vnitate dicti Ordinis, & Prælatorum eius, se totaliter separantes, quasi memorati Ordinis B. F. stabilem firmamq; compaginem rescindere, stolida præsumptione calerent; Noui Ordinis, imò abominabilis horroris, cassis conatibus moliti sunt ponere fundamenta; tàm dete-*

stabili turbæ præficientes magis idolum, quàm prælatum Henricum de Cena dicti Ordinis refugam, & apostatam fugitiuum: & vt tàm fœdo capiti membra cetera responderent, Prouinciales Ministros, Custodes, præterea & Guardianos, eligere temeritate simili præsumpserunt ---- Et vt ipsorum error, veritas, & impietas Religio putaretur, temeritate propria quosdam hábitus, cum paruis capucijs, curtos, strictos, inusitatos & squalidos, simulationis conscios, irrisionis amicos, ac dissidij non ignaros, discrepantes, à communitate Ordinis supra dicti, assumere --- formamq; aliorum fratrum præfatæ communitatis diuersis conuicijs lacerare, procaci impudentiæ, versutia præsumpserunt. Et vltra Summus Pontifex appellat eos impietatis filios, & enumerat illorum hæreses.

17. Quis ergo ex his sic a Pontifice descriptis, censuras Ecclesiasticas indiuisim aspernantibus, vel vnicum dicet pium, prudentem & discretum. Sed glaucoma opponit Wadin: oculis lectoris, vt ad suum intentum transuertat sensum intellectoris: nominat solennes Viros, sed mortuos recenset nominatos, nec huic Sectæ post mortem permixtos, dempto forsan vno Vbertino de Casali superstite, qui qualis fuerit Vir, ipse describit Wadin: ad annum 1317. n. 16. inquiens. *Vti mihi suspicari licet, vir fuit viuidi ingenij inquieti spiritus, & zeli aliquanto indiscreti, circa sui instituti obseruantiam, quiq; facilè transibat, vel conuocabat in partes.* Eiusdem Vbertini censuram etiam dedimus ex Rodul: Att: 9. n. 30. in fine. Et cum dicat Wadin: à Summis Pontificibus huiusmodi viros fuisse commendatos: de mortuis verba Pontificum sunt intelligenda, vt fuit Joannes Parmensis, Raymundus Gaufredi, Conradus Offidanus mortui: & Thomas Tolentinas fuit tunc in oriente, vbi & martyrium subijt. Sed gratis concedamus Wadin: aliquos ex commendatis fuisse superstites, tamen non sequitur in ea actione à Pontifice exaggerata, fuisse pios, prudentes, & discretos, quia ipsi fuerunt laudati ex alijs actionibus heroicis non hæreticis, ex obseruantia Regulari debito iure, modo, via, promouenda, & introducenda, quod si postea deflexissent: ad eũ modum quem Pontifex in Bulla recenset, certè Superioribus Encomijs indigni erant vt venerarentur.

18. Ad propoſitum Gregorius 9. Moral: cap: 13. inquit. *Horrendum modò vnum idemq; opus culpa peragit quod virtus inchoauit. Sæpè & ab ipſis exordijs aliud cogitatio expetit, aliud actio oſtendit. ſæpè ſe fidelem ſibi, nec ipſa cogitatio exhibet, quia aliud ante mentis oculos verſat, & longè ad aliud ex intentione feſtinat: Nam plerumq; nonnulli terrena præmia appetunt, & iuſtitiam defendunt, ſeq; innocentes exiſtimant & eſſe defenſores rectitudinis exultant ---- Sæpè recta agimus nequaquam præmia, nequaquam laudes ab hominibus expectamus; ſed tantùm mens in ſui fiduciam erecta, his à quibus nihil expetit placere contemnit, eorum iudicia deſpicit; ſeq; malè liberum, per abrupta elationis rapit, & inde ſub vitio peiùs obruitur, vndè quaſi deuictus vitijs, nullis ſe appetitionibus ſubiacere gloriatur.* Hæc Greg:

19. Non potuit igitur recto & conſequenti iudicio Wadin: dicere illa verba n. 14. relata. *Quare aliquid hic ſuum repetere poſſunt liuor & paſſio &c.* quia etiam Reformatorum ſemper fuit illa conſuetudo, quidquid Pontifices gratiarum communitati exhibebant, ſiue contra Reformatos duriùs agebant; omnia hæc in ſubreptionem vel obreptionem, ſeu in malam informationem à Communitate, facta refundere, atq; communitatem aduerſariorum, perſecutorum, carnalium, Agar & non Saræ filiorum: & aliorum dicteriorum conuicijs criminari. vt quoq; à Wadin: edoctus fecit Marchan: in Exp: Reg: pag: 526. dicens. *Hic iterùm reſumenda Hiſtorica narratio, & ſciendum quòd cum Ordo S. F. iam multis annis ob diſcordias fluctuaſſet, ijs qui ſecundùm carnem nati erant, relaxatis nimirum fratribus, perſequentibus eos qui ſecundùm ſpiritum S. F. Regulam ad literã obſeruare nitebantur. Quibus diſcordijs celebratis iã ſex Capitulis Generaliſſimis.* Sed vterq; tàm Wad: quàm March: fruſtra pro his reformatis tuendis cõmunitatẽ accuſant, cũ ipſi ſint reformati Pauliciani & non Oliuiani ſeu Vbertiniani; quia hi quæ inaniter cogitauerunt non potuerunt ſtabilire, conſilia ſua, & euanuerunt, rectiùs dicendi filij Agar quàm filij liberæ, quia contumaciter reſiſtebant imperio S. Matris Eccleſiæ, & Communitatis Ordini: imò omni reformationi etiam modernæ extrinſecùs excalceatæ, vili panno indutæ, & poſthumæ Franciſcanæ proli, ſpecioſæ tamen

men vt tabernacula Cedar: appositè possunt adaptari Aponij verba lib: 1 com: in Cant: *Vilissima sunt papyro contexta tabernacula Cedar, sed magni de stirpe Patriarchæ, Abraham enim generauit Ismaelem de Agar, & Ismael inter cæteros genuit Cedar.* (Et subdit Aponius eodem loco) *Filiæ Hierusalem non vilescat vobis extrinsecus minùs, & pulcher aspectus, qui tabernaculis Cedar, & pellibus Salomonis assimilatur, quia licet vilia sint, magni tamen Patriarchæ* (FRANCISCI) *contegunt prolem, cui benedixit Deus in Ano, in quo benedictæ sunt omnes nationes terræ.*

20. Neq; testimonium Aluari harum tragœdiarum inspectoris adductum à Wadin: pro suo sensu firmando, ad annum 1318. n. 15. quidquam facessit: dùm enim Aluarus Pelagius asserit, puritatis Regulæ zelatores, & præuaricationum Regulæ contradictores, persecutiones nedùm verbales, sed reales, sæpè à Prælatis Ordinis quibusdam, & carnalibus Fratribus passos fuisse: Hæc relatio debet intelligi, vel de malis Prælatis, & fratribus, qui in omni congregatione permixti sunt bonis, vt testatur S. Hieronym: ad Rusticum inquiens, *In omni conditione & gradu optimis mixta sunt pessima.* Et ipsemet Aluarus idem innuit indeterminatè, & restrictim loquendo. *A Prælatis quibusdam.* Vel potiùs intelligenda venit de Reformatis importunis, celebrosis, ceruicosis, imprudentia & alogiá in zelo, & reformatione Regulari laborantibus, vt hucusq; vidimus: qui phantastico spiritu succensi, conuiuere & commanere, in Communitate nolebant: ideò quia ex auctoritate Apostolica bona stabilia, & redditus in communi amplexaretur, eisq; patrocinaretur: ob quam causam huiusmodi Reformati Prælatos seueros sui animaduersores habuerunt; Superstitiosa enim reformatione circumuenti, censere videbantur, acsi Pontifices, suis literis & diplomatibus, eam viuendi rationem approbantes errassent; & Regula S. F. vt quintum Euangelium extasset; quod elici non potuit nisi a temeraria, irreligiosa & superstitiosa: velamento fucatæ conscientiæ, intecta Religione.

21. Clarum est dictos Reformatos in communitate, inter Conuentuales bona in communi possidentes; suæ sanctitudini & strictiori Obseruantiæ, in omnibus clausulis, & punctis satisfacere

cere potuisse: si temeritatis æstus abfuisset, nihil soliciti de eis quibus vescebantur, vel tegebantur: an ea ex quotidiana ostiatim vel pagatim mendicitate tulissent, an ex communi Conuentuum prouentu habuissent, maxima paritate coætanei PP. Prædicatorum Ordinis exemplo conuicti, qui in æquali paupertate, vti & Franciscanus fuit institutus, & tamen per huiusmodi turbas & tragædias, per gyrouagos Reformatorum cuneos, nunquam fuit intra viscera propria concussus, ob primitiuum paupertatis rigorem retinendum: tunc cùm insimul cum Minorum Ordine, primùm auctoritate Apostolica cæpit possidere bona in communi, eius statui & Regulæ nè quidquam repugnantia; Vt eleganter deducit Joannes XXII. in Extrau: quæ incipit: *Quia quorumdam* inquiens. *Nec hoc scilicet in communi & quò ad proprietatem aliqua habere derogat, iuxta dictum Greg: IX. prædicti, altissimæ paupertati, qui in quadam sua Decretali dicit expresse. Fratres Prædicatores & Minores in altissima paupertate, Christo pauperi famulari: & tamen constat ipsos Prædicatores habere in communi, etiam quo ad proprietatem aliqua, quod eorum Regulæ & Statui non repugnat. Hoc etiam Alexander prædecessor noster ---- expresse dicit, Prædicatores Christum pauperem imitari, ipsosq; perfectionem Euangelicam amplexari, & in statu existere perfectorum, quodq; ipsorum Religionis obseruantia, perfectionis Euangelicæ tenet formam: & tamen constat ipsos habere posse, etiam quo ad proprietatem, aliqua iuxta eorum Regulam in communi.* Ex quibus patet Priuilegia Apostolica bonorum in communi concessione, non minuere essentiam status, & Regulæ, possidentium bona in Communi: Hinc dum multi Heroes suam opem interposuissent, & Reformatis communitati vniendis, suam operam impendissent, atq; Reformati respondissent: se ad vnitatem paratos redire, dummodo placeret communitati reformationem admittere; quibus cõmunitas substantiã Regulæ inuariatã, & solùm accidentaliter pauperiẽ temperatam seruans, respondit, vt refert Wadin: ad annum 1318. n. 17. in hæc verba. *Actum etiam de hoc cum multis Patribus, qui partes Ordinis tuebantur, qui Cardinalibus aliisq; grauissimis Prælatis respondebant, nullâ indigere Ordinem reformatione, in*

eoq;

eoq; obseruari perfectè, & vltra quam erat necessè Regulam S. Francisci, neq; aliquando etiam S. F. tempore puriorem eiusdem instituti, viguisse obseruantiam.

22. Imò inter communitatis Conuentuales, sine his turbamentis reformatiores, & in paccatiori tranquillitate atq; cum maiori merito, istiusmodi strictiorem vitam appetentes, viuere poterant: vt à pari potest probari, per rationem Athanasij Dracontio epistolariter transmissam: in qua Episcopos leniori vitæ addictos, Monachis strictiorem vitam professis, præfert, & præponit, vbi multis Episcopis Sanctis eorumq; operibus heroicis prænotatis; hæc subdit. *Quapropter cùm istiusmodi habeas exempla dilectissime Draconti, né dicas, nè dicentibus credas, Episcopatum esse causam peccati, aut quòd indè nascantur occasiones delinquendi: licebit tibi in Episcopatu esurire, sitire cum Paulo, licebit vinum non bibere, sicut Timotheus fecit, & ieiunare frequenter vt Paulus solitus, ita vt secundùm illum ieiunans, alios sermonibus nutrias; & sitiens abstinendo à potu, alijs docendo potum præbeas. Nè igitur talia obijciant consiliarij tui; nouimus enim BB. Episcopos ieiunantes, & Monachos comedentes.* Quod totum non ineptè applicari potest, illis Reformatis vitam communitatis Conuentualium, vti leniorem aspernantibus, atq; auersantibus.

23. Nec testimonium Angeli Clareni, vti partialis pro Reformatis testis conuincit: cuius etiam relationem non omninò acceptandam, prius censuit Wadin: vt adnotauimus supra Art: 5 n. 2. licet nunc ad annum 1318. n. 27. aliter de eo videatur sentire in hæc verba. *Cui licet aliquis plenam deneget fidem, quippè Socio & Fautori horum Fratrum: attamen eam sibi vendicat eius pietas, quâ semper floruit, & opinio sanctitatis sub qua tandem obijt.* Huius ergo Angeli qui cunctis his turbis & contra communitatem, à Reformatis instantibus criminationibus interfuit, in modo meliorem Reformatorum partem fuisse sustinentis: etiam ipsius, coram Summo Pontifice procedendi modus, non fuit sine næuo expeditus, vt idem refert Wadin: ad cit: annum n. 23, dum enim ei obiecit Pontifex Joannes XXII quòd Bonifacio VIII. sub grauissimis censuris sibi præcipienti, vt ad Religionem regrederetur, non obedierit: proindè excommunicatum fuisse, & esse: Angelus respondit. *Se*

nullatenus excommunicatum, neq; item excommunicabilem esse: cùm nullo vnquam tempore voluerit, nec cogitauerit contraire præceptis Superiorum: Sed firmiter secum statuerit, in omnibus & per omnia, rectè præcipientibus obedire. Illas verò literas licet subreptitiè obtentas, dixit nunquam peruenisse ad suam notitiam, neq; legitimè sibi intimatas; alios verò Viros doctos contendisse minimè eas obligare, quia iniquè & malitiosè impetratæ sunt. Quod dùm apertiùs vellet probare, iussit Pontifex vt taceret. Ille hoc ægrè tulit, & dixit suam sanctitatem aduersarios falsa crimina obijcientes, pleniùs audiuisse, se veritatem narrantem debuisse auscultare. Tanta ergo patientia, tanta humilitas, tanta lenitas; insuper ex animoso ausu partialitatis, & iniustitiæ impostura Pontifici, à Fratre Minore obiecta: tantam exigunt fidem ex relatis Angeli Clareni excipiendam: qui an verè spiritualis, vel carnalis fuerit, communitatem cum alijs Reformatis persequens, & accusans: decernat solidum veritatis columen Hieronymus in Com: Epis: ad Gal: cap: 4. *Qui secundùm carnem natus erat persequebatur spiritualem: nunquam enim spiritalis carnalem persequitur, sed ignoscit ei quasi rusticano fratri. Scit eum posse proficere per tempus: & si quando Ægyptiæ filium viderit irascentem, recordatur vnius patris, qui boues creauit & culices: & in magna domo non solum esse vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia.* Sed nè ad singulas narrationes ab instituto digrediar, & apologeticè potiùs, quam historicè agere videar; sincerè ad propositum collimo scopum; neq; ad dexteram neq; ad sinistram deflectens; sed totum id quod fuit, & quo modo fuit ob oculos ponens, siue cedat in laudem, siue in vituperiũ. Neq; enim ita communitatis per omnia laudi studeo, vt vel in minimo veritatem offendam.

24. Sub hoc Min: Gen: anno 1323: initiatus est in Patria sua, & nomen dedit Minoribus Conuentualibus, Paulus siue Paulutius de Trincis Fulginas; primus inceptor & Fundator PP. de Obseruantia in Italia Soccolantium; in Polonia vulgò Bernardinorum nuncupatorum, anno 1309. natus, & 14. ætatis suæ mundo valedixit; in Ecclesia S. Francisci Fulginei Min: Con: Religiosam vestem suscepit pro laicis. Pauli inditum ei in baptismate nomen; sed Paulutij communi appellatione audiebat, apud Fratres, ob te-

ob tenellam ætatem, & humilem corporis staturam. Hic videns Ordinem ab arcto paupertatis vsu declinasse, & mediante auctoritate Apostolica bona stabilia & redditus in communi iam possedisse; asperis flagellis, feruenti oratione petebat à Domino, mediante ipso institutore Franc. spiritum bonum infundi, & Sacræ Sodalitatis originarium feruorem renouari; vt Wadin: asserit ad cit: annum n. 21 *Placuit igitur Altissimo, Paulutio tantam largiri virtutem; vt abiecti hominis opera fecerit eum crescere in gentem magnam & sanctam*, atq; per eum tam amplum Sodalitium PP. Obseruantinorum, mirabiliter inchoauerit, & efficaciter perfecerit.

25. Ex quo manifestè datur intelligi Familiam PP. Obseruantinorum, a conuersione sui institutoris seu Reformatoris præfato anno, qui à Wadingo post institutum à S. Fran: Ordinem Minorum supputatur 116. initium sumpsisse; & antea non præcessisse, neq; suum fundatorem, ac per reformationem institutorem antecessisse: priores namq; Reformati, qui hucusq; tumultuarios, & turbulentos reformationis turbinis in communitate excitauerant motus, & in Matrice Min: Con: detestabili mistura, luctuosæ & pernitiosæ suscitauerant fremitum tempestatis; ad cathegoriam PP. Obseruantinorum modernorum, Paulutio suam originem subscribentium, nullo modo adigi possunt. Priorum Reformatorum Dominus dissipauit omnes cogitationes, & redegit ad nihilum; & quæ cogitauerunt non potuerunt stabilire consilia, atq; tam primi Cæsareani, quàm secundi Oliuiani, siue Clareni atq; Cælestini fuere extincti, cum suis Antesignanis & coryphæis, præcedentes in Matrice Communitatis PP. Obseruantinos modernos, sicut dolores hos parturientis.

26. Sub hoc Gen: Joannes XXII. concessit Ordini Minorum Con: dominium & proprietatem in communi, in res sibi collatas, ad instar aliarum Religionum; vt patet in Extrau: quæ incipit. *Quia quorumdam.* de verb: sig: supposuit enim in Ordine Min: vsum facti in particulari vigere, indè consequenter intulit, in Cōmuni debere admitti, vsum iuris; dominij seu proprietatis, inquiens. *Cum facta quæ singulorum sunt, personam veram exigunt, & requirunt, Ordo autem vera persona non est, sed repræsentata & imaginaria*

potiùs censenda est: quare quæ sunt facti sibi conuenire nequeunt, licet ei possint congruere, quæ sunt iuris.

27. Hic Pontifex propositionem illam affirmantem Redemptorem nostrum, ac Dominum Jesum Christum eiusq; Apostolos, in speciali non habuisse aliqua nec in communi; definiuit esse pertinacem erroneam ac hæreticam in Extrau: quæ incipit. *Cum inter nonnullos.* Contra quam Michaelem Cæsenatem Ministrum Gen:, quærulo sub murmure apertiùs inuectum fuisse: hoc delatum Pontifici; & peiùs quòd fauerit imperatorijs, in odium Pontificis adauctum, atq; suggestum. Scriptis literis vt ad se infra vnius mensis spatium, Auenionem veniret, iussit Pontifex; præfixa specie, & necessitate negotiorum, ad ordinem spectantium. Peruenit Minister Gen: Auenionem Pontificis osculatus pedes, die sequenti benignè & curialiter exceptus est; & nè absq; speciali licentia Pontificis è curia recederet in mandatis accepit: Malè habuit Ministrum Gen: indignationem Pontificis subodoratum nihilominùs hærebat Auenione, suspicax & meticulosus, sciens Pontificem eò grauiori contra se commotum animo, quò longiori simulabat silentio. Tandem anno sequenti 1328. Joannes vocatum ad se Michaelem, præsentibus Cardinale Bertrando de Turre, & multis Ordinis Prælatis, vt Wadin: refert cit: anno n. 12. *Acriter reprehendit, capitosum dixit temerarium, insanum, Ludouici & hæreticorum fautorem, serpentem in sinu Ecclesiæ nutritum, adhuc pertinacem in condemnata sententia de paupertate Christi & Apostolorum: quam temerè, inquit ausus es decreto Vniuersi Capituli Perusini diffinire, dum coram nobis & S. R. E. Cardinalibus disceptabatur: obtrudens fidelibus hæreticam doctrinam. En demùm præcepit ei nè à curia recederet, absq; speciali Sedis Apostolicæ licentia, sub pœna excommunicationis, priuationis officij, & inhabilitationis, ad alia quæuis munera & beneficia, ipso facto seu recessu incurrenda. Michael ad hoc temerè, & irreuerenter, animosiùs, quam deceret, respondit, negans quæ sibi obijciebantur, & decisionem Perusinam asserens per omnia Catholicam, Sacræ Scripturæ consonam; aliorum Pontificum decretis conformem: expressisq; verbis in Nicolai III. grauissima decretali continere, quam proinde, qui defenderit inquit, hæresis nota non poterit inuri. Ex his magis commotus*

Ponti-

Pontifex magna repulit indignatione, plura obijcientem, & singula audacter refellentem.

28. Ad hanc rem discutiendam Doctorum Virorum, à nobis Art: 33. n. 5. specificatorum, consessum adunauit Pontifex; inter quos totum aduersus Michaelis sensum fuit conclusum, nō obstante defensione Gulielmi Occhami (qui nunc Princeps nominalium audit) & tunc etiam in curia detentus erat, & partes Michaelis tuebatur: Timens igitur Michael finalem decisionem Pontificiam vt refert Wad: cit: n. 3. *Insolenter nimis, ex aliorum sibi similium consilio; porrecto diffuso libello.* appellauit à Pontificis assertione, de paupertate Christi & Apostolorum; & à sententia de non recedendo à curia. His ampliùs irritatus Pontifex, eum firmiùs detinuit in curia, nec ad comitia Generalia Bononiæ, hoc anno celebranda permisit accedere; sed Commissarium, & veluti Protectorem Capituli, deputauit Cardinalem Bertrandum, Episcopum Ostiensem.

29. In hoc Capitulo etsi Cardinalis, ex suggestione Pontificis aliud suaderet, tamen vt Wadin: testatur n. 17. Michaelem *electores in officio confirmarunt dicentes, sibi nullam subesse causam legitimam, vt à præfectura deijcerent.* Mox submiserunt Cardinali electionis, seu Confirmationis actorum subscribendas literas, quæ antequam peruenirent: Michael Auenione recessit sub vesperæ crepusculum, fugitq; à facie Pontificis, simul cum Fratre Gulielmo Occhamo & Bonagracia Bergamensi; qui triremem armatam, quam sibi à Ludouico Bauaro Imperatore, mitti curauerant conscenderunt: antequam solueret Triremis, superuenit Cardinalis Episcopus Portuensis Pontificis legatus, siue iussu, siue suasu, Nomine Pontificis eos ad saniorem mentem reducturus, sed non potuit eos videre, Cardinalis artes puppis præfecto eludente; & vt refert Wadin: loco cit: *Scheda tamen citationis missa; respondit Michael se reuerti nolle, ad Pontificem irrationabiliter persequentem; à cuius grauaminibus, passione potiùs quàm ratione illatis, denuò appellabat. Ita obcæcatus in sua inobedientia soluit, & breui Pisas ad Imperatorem accessit.*

30. Et vltra Wadin: sub n. 18. subiungit. *Paulò post fugam perue-*

peruenerunt Auenionem Fratres, qui decreta relectionis Michaelis factæ in capitulo Bononien. portabant, quod vt Pontifex intellexit vehementer irascens decreta rescidit, & Michaelem censuris innodatum 8. Idus Maij dignitate priuauit: inhabilem ad omnes gradus honoris declarauit, ac F. Bertrandum de Turre Episcopum Cardinalem Tusculanum eiusdem instituti virum, Administratorem Ordinis instituit, Idibus Iunij; scriptisq; literis ad vniuersos Ministros, Custodes, Guardianos, & Fratres Ordinis iussit vt eidem Bertrando tanquam vero Superiori in omnibus obedirent ---- Audiens autem Cæsenas hæc Pisis, die 18. Iulij suo nomine & omnium Fratrum sibi adhærentium: appellauit solemniter à grauaminibus Ioannis ad Ecclesiam Catholicam, & futurum Concilium. Appellationem hanc Notarij manu subscriptam, solemniter promulgatam, & ad Ecclesiæ Cathedralis valuas affixam, in forma authentica transmisit Ioanni. Hoc erat vulnus fricare & camino oleum infundere, uti statim apparuit; etenim amplius irritatus Ioannes, ad omnes Prælatos, & Principes scripsit asperas contra eundem literas, vt caperetur.

31. Ex relatione eiusdem Wad: sub cit: anno 1328: n. 10. *Perstitit vsq; ad mortem Michael in hac sua contumacia: retinens sibi nomen Ministri Gen: quamuis omnes fermè præter Occhamum: Asculanum, & Bergomensem ab eo deflexerint, & multa scripsit tum ad fratres, tum ad Principes & vniuersos fideles, in suam defensionem. Bis appellauit Auenione, tertiò Pisis, quartò Monachij, à Ioannis decretalibus, & grauaminibus: Ioannes verò 4. Kal: Decemb. anno 1329. Pontificatus 14. contra eum scripsit diffusissimum libellum incipientem.* Quia vir reprobus. Cui alterum prolixiorem ad vniuersos fideles Michael opposuit, ad singula Joannis obiecta respondens. Circumferuntur etiam variæ Cæsenatis epistolæ, ad finem Dialogi & operis 90. dierum ab Occhamo conscripti: causam Michaelis protegentes. Item epistola scripta ad vniuersos Minores, in qua eis impiè vult persuadere, quòd Joannes XXII. errauerit, & hæreses statuerit, in tribus suis decretalibus: quæ omnia vt asserit Wadin: cit: *Rectissimo iudicio sunt prohibita.* Et index librorum prohibitorum auctoritate Pij IV. editus, a Sixto V. auctus, à Clemente VIII. recognitus Ro-

mæ &

mæ & Ferrariæ anno 1599. cusus: hæc habet prohibitionis formalia. *Gulielmi Occhami opus 90 dierum, Item Dialogi & scripta omnia contra Ioannem XXII.* Mortuus tandem est Michael Cæsenas, Monachij in Bauaria: anno 1343, de quo Wad: sub eodem anno n. 13. inquit. *Post tot annorum peruicaciam, tandem pœnitens & pertæsus, quod Summorum Pontificum non se submiserit clementiæ, & vsq; ad mortem nomen sibi Ministri Gen: arrogauerit, quantumuis fuerit à Ioanne Pontifice, & in plenis Comitijs Gen: Ordinis, ab officio depositus.* Ibidem fertur obijsse Gulielmus Occhamus, & ibidem sepultus licet diuersi diuersa de eius morte loco, tempore & doctrina fabulentur, apud Wadin: ad annum 1347. videnda. qui n. 21. ex Trithemio de eo refert. *Mansit excommunicatus cum excommunicato Ludouico, vsq; ad finem vitæ suæ: & in morte tandem absolutus fuit.* Tempore huius Gen: fuit assumptus a Joanne XXII. in S. R. E. Cardinalem & Episc: Tusculanum F. Bertrandus à Turre ex Ord: Min: Con: obijt Auenione 1326. sepultus in Ecclesia sui Ordinis Min: Con: vt testatur Rodul: pag: 221.

ARTICVLVS XI.

In quo Minister Gen: XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, describuntur. Loca Sacra S. Sepulchri Ord: Primitiuo conceduntur. Reformati Breui Pontif. retunduntur. Tandem permittuntur. Ultimò dissoluuntur. Bombardæ inuentio describitur.

F. DECIMUS SEPTIMUS Minister Gen: Fr. Gerardus Odonis S. T. D. Doctor Apertus ex Rodul: pag: 118. electus est Parisijs anno 1329. In his comitijs Gen: Præsidente F. Bertrando à Turre S. R. E. Cardinali eiusdē Ord: alumno: condemnatæ sunt vti iniquæ & impiæ, Cæsenatis, & aliorum suorum complicium, contra Joannem Papam criminationes: & vt via occluderetur omnibus, eiusdem Cæsenatis machinamentis, & sophisticis cauillationibus,

nibus, cum communibus suffragijs, Ministeriatu Gen: Ordinis indignum & priuatum decreuerunt. Controuersiam de paupertate Christi, explicata in decretalibus tàm Joannis XXII. quàm Nicolai III. sententia, ex terminis terminantibus, ipsius Nicolai III. sensum Joannis XXII. comprehendentibus, deductã ad concordiam reduxerunt: cui etiam decisionem Capituli Perusini innexuerunt, quâ ratione factum est, vt diuturna cessauerit tempestas, & facta sit in Ordine tranquillitas magna. Vel hinc apparet quanti sit momenti, in quacunq; Repub: bonum habere Rectorem, & quanti detrimenti, malum pati Superiorem: hic perturbat, ille serenat, hic destruit, ille ædificat, hic omnia confundit, ille cuncta componit & ad modum boni Naucleri teste Greg: lib: 6. Epist: 4. *Futuras procellas ex signis præuidet, vel venientes directo clauo, si paruæ sint superat, aut si vehementer intumescunt, dato in obliquum latere, irruentes declinat.*

2. Hic Gen: contexuit Officium Stigmatum B. Francisci, quod hodie quoq; canitur in Ecclesia; Eius studio Constit: Benedicti XII. editæ, missæ ad singulas Prouincias fuere. Sub eius Generalatu obtentus fuit locus Sion, S. Sepulchri, vbi hodie quoq; manent Fratres de familia ex Min: Con: reformati, ibi reperitur Cænaculum celeberrimum, in quo Dominus celebrauit Pasqua cum Discipulis suis: & illud in quo Spiritus S. descendit super Apostolos in linguis igneis; ita Rodul: pag: 188. Wadin: ad annum 1333. n. 19. & ad ann: 1342. n. 20. Hæc præcipua D. N. JEsu Christi loca, pro eo tempore huius Gen: fuerunt eiusdem Ord: Min: Con: Religionis Matricis: nunc autem pro dote filiali Ordini Min: de Obseru: vulgò in Polonia Bernardinorum nuncupato concessa Auctoritate Eugenij IV. anno 1434, vt refert Wadin: ad eundem annum n. 7. dotis ratione elocata.

3. Hic Gen: voluit quòd præceptum de non recipienda vllatenus pecunia, per se vel per interpositam personam, abraderetur è Regula: hac ratione motus, vt caueretur conscientijs Fratrum, qui difficile hoc obseruant, & tollerentur tot scandala & contentiones, quæ circa paupertatis obseruantiam inter Fratres excitabantur; sed eo in puncto temeritatis redargutus est, vt inquit Wadin:

din: ad annum 1331. n. 11. Obijt Gerardus anno 1348. iam antea Patriarcha Antiochenus creatus: epidemiâ il[illegible] generali extinctus, quâ vniuersus ferè Orbis, sine habitatoribus remansit; domus vacuæ, vrbes derelictæ, rura squallida, vniuersa vastata apparuerunt; Sacris Religiosorum domicilijs, stragem magnam hoc malum inuexit, extinctis disciplinæ Regularis Magistris & melioris notæ Senioribus. Hinc cæperunt Monastica Sodalitia, præsertim mendicantium tepescere, & relaxari: tum deficientibus Illustribus Viris, tum relaxato miserandis calamitatibus Regularis Obseruantiæ rigore; qui reparari non potuit ab adolescentibus, & promiscua multitudine, quàm absq; debito delectu recipi visum, magis ad domos vacuas implendum, quàm deperditam disciplinam restaurandum. vt Wadin: aduertit 1348. n. 2. Eodem anno, quo hic Gen: ad Patriarchatum Antiochenum assumitur 1347. etiam Fr. Helias de Nabinallis, S. R. E. Cardinalis creatur à Clemente VI. de Ord: Min: Con: assumptus, vt ad eundem annum n. 5. adnotat Wadin:

4 DECIMUS OCTAVUS Min: Gen: Fr. Fortanerius Vasallus S. T. D. electus est Massiliæ anno 1343. Clementi VI. valdè dilectus, vt multis diplomatibus honorificis ad eum datis: hoc anno probat Wadin: & comprobat effectus, cùm postea ab eodē Pontifice fuit Archiepiscopus Rauennas, & Patriarcha Gradensis destinatus: tandem ab Innocentio VI. S, R. E. Cardinalis creatus. In his Comitijs Gen: decretum fuit, vt Statuta Narbonensia à S. Bonau: edita obseruarentur, & alia posteriora reuocarentur: Similiter impetrauit Generalis à Clemente VI. vt Statuta Benedicti XII. suspenderentur, & penitùs reuocarentur. De hoc Gen: conquesti sunt multi de communitate Ordinis, etiam coram Summo Pontifice querelas deponentes, vt Wad: refert anno 1343. n. 10. inquiens verbatim. *Quòd fouerit & priuilegijs exemptionibusq; audentiores reddiderit fratres, qui ad arctiorem Regulæ Obseruantiam aspirabant; præsertim illos qui in vmbria in Conuentu S. Bartholomæi de Brulliano, alijsq; locis solitarijs sub disciplina Ioannis de Vallibus versabantur, & parua tunc iaciebant semina Regularis obseruantiæ: quæ postea in magnam segetem creuerunt. Inhibuit ergo Pontifex nè immunitates, aut*

gratias vllus eis exhiberet, timens nè sopita iam schismata , & molestæ discordiæ iterùm resusc tarentur. Et subiungit n. 11. Breue Pontificium in hæc verba.

5. *Dilecto filio Fortanerio Gen: Ministro Fratrum Ord: Min. Ad Sedis Apostolicæ notitiam, frequentibus relatibus est perductum, quòd nonnulli qui se Fratrum Ordinis Min: professores & Regulæ B. Fran: ad literam asserunt Sectatores: Vniuersitati communitatis fratrum ipsorũ, tàm in habitu, modo viuendi & doctrina, quàm aliis approbatis ipsius Ordinis Obseruantiis, discrepare multipliciter (ex quibus in Ordine ipso suscitantur turbationes, & scandala) moliuntur. Nos igitur intendentes, quod ad Dei laudem & gloriam: eiusdemq́ quietem Ordinis, per prouidentiam circumspectam sedis Apostolicæ, salubris super his ordinatio subsequatur, & quòd interim non expedit aliqua facere, per quæ approbari secta talium in eiusdem Ordinis scandalum videatur, tibi districtiùs tenore præsentium inhibemus, nè illis immunitates, gratias vel fauores, concedere vel exhibere præsumas, quousq́ per sedem eandem, circa statum ipsorum, sicut eidem Sedi expedire videbitur, aliud extiterit ordinatum. Datum Auenione 3. Kal: Decembr: ann: 2.* Obiit Præfatus Gen: Patauij sepultus in æde D. Antonij Patauini Min: Con: vt testatur Spec. vitæ pag: 214.

6. DECIMUS NONUS Min: Gen: Fr. Gulielmus Farinerius S. T. D. electus est Veronæ anno 1348. vt memoriale Ord: Min: in firm: 3. Ord: part: 1. fol: 23. testatur: Referens huius Generalis tempore, anno 1352. quendam Fratrem Gentilem, vocatum Fratrem Paulucium de Fulgineo, de Prouincia S. F: & quosdam alios, magna deuotione ductos, supplicasse D. Papæ Clementi VI, instantibus pro eis quibusdam Viris notabilibus, vt eis aliqua loca Ord: concederentur, in quibus possent Regulam ad literam obseruare: Asserebant namq; quòd communitas Ordinis eam non seruabat, vt fuerat à B. Francisco tradita in sua puritate, qui à dicto D. Papa impetrauerunt, quòd possent habere 4. loca in Prouincia S. F. videlicet Carceris, Bruliani, Heremitæ, & Montis Lucij: & pro quolibet 12. Fratres quos possent recipere, vel de Fratribus Ordinis, vel de sæcularibus vndecunq; venientibus: nullusq;

Iusq; in hoc impedire valeret. Statimq; fecerunt habitus paruos, à communitate Ord: in mensura & figura difformes, quibus plures simpliciter gradientes adhæserunt: super tam Ordinis reformatione gaudentes. Hæc Memor: Ord: Idem dicit Rodul: pag: 188. b. & vterq; Fratrem Gentilem de Spoleto, cum Fratre Paulutio Trincio de Fulgineo confundit, & pro eodem indiuiduo accipit.

7. Sed peiùs loquitur March: pag: 478, qui Gentilem a Spoleto, & Paulutium de Fulgineo; non solùm pro eodem confundit, sed rursus pag: 479, Paulum de Trincis ab ipso Paulutio de Fulgineo contradictoriè distinguit: cum Paulus & Paulutius de Fulgineo Trincius, vnum indiuiduum importet, vt Marcus Tul: Cic: prout diximus Art: 10 n. 24, Et Frater Gentilis de Spoleto, à Fratre Paulo, seu Paulutio Fulginate Trincio distinctus sit; vt Wad: probat ad annum 1362. n. 4. Gentilem Spoletanum è carcere dimissum fuisse mortuum asserens; Paulutium autem Trincium Fulginatem superuixisse, & anno 1368. PP. Obseruantinorum in Polonia Bernardinorum nuncupatorum, familiam reformatam instituisse, & per Reformationem fundasse: de quo fusiùs infra Art: 12. Idém Wad: ad annum 1350. n. 15. ait. *Sub hoc tempore multi ex discipulis Ioannis de Vallibus, adhæserunt Fratri Gentili de Spoleto laico, seu vt vocant conuerso --- Obtinuerunt quatuor cœnobiola sibi concedi: in quibus liberè absq; Ministri Gen:, aut aliorum Superiorum contradictione, liceret Pontificia auctoritate, & protectione, viuere simpliciter secundùm Regulæ præscriptum. Generauit tamen postea Priuilegium hoc turbas, & discordias in Ordine, quas suis annis referemus.* Hunc Gentilem ad annum 1355. n. 2. idem Wad: affirmat, irreuerenti facto contemptum exhibuisse Generali inquiens. *Dum enim Farinerius quiddam præciperet, vni ex illius consodalibus, atq; hinc suæ circa exemptos auctoritati detrahi, Generalis verò potestati addi timeret Gentilis; arrepto Fratre & amoto à Farinerij presentia, dixit: nihil illi superesse in hos iurisdictionis; præsertim quoad incolatum humilium Monasteriorum, de quo tunc agebatur. Indignati qui aderant ad huiusmodi supremæ potestatis contemptum, stimulos addebant; vt hominis tumor supprimeretur, & ficta vt dicebant reuelaretur religio:* Tandem dictus Gentilis fuit carceri mancipatus, & ita in custodiam ducto

præceptore, & Antegnano: facilè fuit reliquos reducere, & societatem dissoluere: donec vt ibidem inquit Wadin: *Alium obtinuerunt ducem Paulutium à Trincis Fulginatem: qui maiori modestia & prudentia, ad felicem exitum, quòd frustra & imprudenter tentarunt alij, tandem perduxit.*

8. Sub hoc Generali celebratum fuit Capitulum Assisij anno 1354. vt hoc anno Wadin: n.9. & Rodul: pag: 241. concordant; in quo Capitulo vt memor Ord: cit: fol: 23. refert: *Ordinatum est quòd seruarentur ordinationes S. Bonau: quas idem Gen: misit per omnes Prouincias Ordinis: & ab eodem Gulielmo Farinerij nomen acceperunt: & Statuta Gulielmi Farinerij vocantur, quamuis in eis de se nihil posuerit. In quo Capitulo Fratres tantam scissuram Ord:, ex supra dicto Priuilegio per Fratrem Gentilem impetrato formidantes: & quòd in Consistorio publico D. Papæ exponerentur Ord: defectus; & attendentes pericula & dispendia ex illo Priuilegio euentura: & quòd Communitas Ordinis in Curia D. Papæ, contra ipsos totis viribus litigaret: dictus Gen: prudenter attendens, quòd talis disceptatio de Obseruantia Regulæ, poterat esse vt alias fuerat, Ordini scandalosa, aliam tutiorem viam dilationis elegit. Cùm verò certis informationibus, per dictum Gen: repertum fuerit, quòd quosdam suspectos de hæresi receptauerant: quamuis ipsi essent ab eorum erroribus elongati, sed eos ad conuertendum receperant ad domum, lectum, & cibum, & eos obstinatos cernentes à se abiecerant! tamen quia illud non reuelauerant prælatis, factus eorum habitus est suspectus, quamuis ipsi haberent zelum Dei sed non secundùm scientiam. Anno Dñi 1355. dicto Gen: laborante, & Dño Ægidio de Hispania, tit: S. Clementis Presbytero Cardinali, qui tunc erat legatus in Italia, fauorem dante; incarcerato dicto fratre Gentili, cum duobus alijs Fratribus dictæ congregationis, de mandato dicti Dñi Cardinalis Legati: dictum Priuilegium eorum fuit per D. Innocentium VI. totaliter euacuatum.* Hoc depromptum ex memor: Ord: cit:

9. Tandem memoratus Gen: Farinerius, ab Innocentio VI. anno 1356. S. R. E. fuit factus Presbyter Cardinalis: remansit tamen Vicarius Ord: vsq; ad electionem Successoris, & rexit Ordinem annis 9. vt memor: Ord: cit: refert in fine. obijt Auenione anno 1361. sepultus in Ecclesia Min: Con:, vt Wadin: eodem anno

n. 21.

n. 21. testatur. Sub hoc Min: Gen: creatus fuit à Clem: VI. ex Ord: Min: Con: S. R. E. Cardinalis Fr. Pastor de Albernaco; vir multæ doctrinæ, & compositæ eloquentiæ: vt Rodul: asserit pag: 221. Obijt anno 1354. vt Wad: testatur ad annum 1350. n. 6. Auenione, sepultus apud Min: Con: Item Helias de Annibaldis S. R. E. C. creatus ab Innoc: VI. 1356. ibidem sepultus 1367. Rodul: p. 221. b.

10. VIGESIMUS Min: Gen: Fr. Joannes Bucchius S. T. D. electus est Barcinone anno 1357. Beluæ in Burgundia: intempestiuè mortuus anno 1358: dùm Ordinem visitaret, ibidem sepultus apud Fratres Min: Con: dùm Ordinem rexisset annum vnum. In his comitijs Barcinonensibus ad cit: annum n. 1. inquit Wad: *Cautum etiam vt habitus Fratrum paupertatem, tum in pretio, tum in colore præseferant; & nè discriminentur vndulis, aut guttis variegatis, & nè multo segmento aut varietate, vanitatem inanemuè gloriam concilient (namq; in sordibus & segmentis, aliquando etiam regnat luxus) neq; mantelli sint rugati, sed simplicitati & sinceritati Fratres studeant, omni prorsus curiositate semota.* Post mortem huius Gen: D. Gulielmus Farinerius Cardinalis vt Wad: asserit anno cit: n. 1. Et Rodul: pag: 188. b., fuit Vicarius vsq; ad Generale Capitulum.

11. VIGESIMUS PRIMUS Min: Gen: Fr. Marcus Viterbiensis S. T. D. Januæ electus anno 1359. vt Rodul: pag: 189 & Wad: ad cit: annum n. 5. asserunt. Sub hoc Gen. creatus est ab Innocentio VI. S. R. E. C. Fr. Fortanerius Vasallus anno 1361. obijt Patauij, sepultus in Æde D. Antonij apud Min: Con:, vt testatur Wadin: ad eundem annum, n. 1. Vniuersitas seu Academia Bononiensis anno 1360. fundata, eodem Generali promouente: tribus Doctoribus Franciscanis fuit illustrata. M. Francisco Adriani Bononien:, Thoma Friniano, & Ludouico Donato; qui duo posteriores fuerunt deinceps Ministri Gen: Pari decore illustrarunt Academiam Carolinam, Doctores Theologi Franciscani Pragæ, à Carolo Augusto anno 1366. institutam, vt de vtraq; Academia sub cit: annis testatur Wad: qui ad annum 1365. n. 6. refert ex Auentino & Vergilio, Fratrem Bertholdum Minoritam Franciscanum, inuentorem tormenti Bellici; primum æreæ ollæ vndique circumseptæ, & obstructæ sulfur, & Nitri puluerem imponen-

tem, & ignem adijcientem: quo facto cum materia ignem concepisset, olla frangitur, atq; ignis & fumus ingenti sonitu instar tonitrui in aërem spargitur. Eo viso Bertholdus delectatus, puluerem bombardicum, pari ratione conficere cæpit; ex nitro itaq; siue salpetra, & sulfure benè contritis puluerem confecit, & carbones nigredinis ergò adiecit. Hoc puluere arborum truncos disjecit, atq; lapides, & globos miræ magnitudinis, ex concauis & obstructis machinis, instar fulminis eiecit: Hac ratione inuentis inuenta addens, primò machinas ligneas, deinde autem ferreas, atq; æreas confecit, easq; ex terribili, & hactenus inaudito sonitu bombardas vocauit; è quibus globos lapideos, ferreos & plumbeos eiaculatus: ostendit pernitioso ingenio, quomodo homines, muri, arces, vrbes, & fortissima monumenta, tanquam fulmine prosternerentur. Superuenere postea alij atq; alij in dies artifices, qui id inuentum sua industria auxerunt, magno fortitudinis, & virtutis humanæ detrimento. Sub anno 1380. his pugnandi machinis, primùm vsos fuisse Venetos, in bello quod ad fossam Clodiam, cum Genuensibus gesserunt, scribit Polidorus Vergilius.

12. Hic Gen: Marcus Viterbiensis Cardinalitia donatus dignitate, ab Vrbano V. anno 1366. postea Viterbij obijt, ibidem sepultus in Ecclesia Min: Con: an: 1369, vt testatur Rodul: p 222. b.

ARTICVLVS XII.

In quo Min: Gen: XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, exprimuntur. Initium & origo Ord: Obser: demonstratur. Beneficia Matricis Relig. Min: Con: in nouellum inchoatum Ord: Obseru: collata recensentur.

1. VIGESIMUS SECUNDUS MIN: Gen: Fr: Thomas Frinianus Mutinensis: iuxta Franchinum in suo Apologemate pro Conuentualibus Sect: 3. n. 4. perperam a Scriptoribus dictus aliquan-

aliquando Farignanus ; electus Assisij anno 1367. ex relatione Wad: ad eundem annum n. 6. Sub hoc Gen. anno 1368. ab acquisitione Sociorum incepit Ordo PP. Obseruantinorum ; qui in Italia Socculantium in Polonia Bernardinorum nomine audiunt : etenim ante dictæ reformationes in præcedentibus Articulis exaratæ, in nihilum communitate instante, auctoritate Pontificia redactæ sunt ; & ad huius præsentis Paulutianæ fundationis cathegoriam non attinent : cuius exordium & originem describens Wad: anno 1368. n. 10. inquit. *Hoc anno Ordinis reformatio toties ab alijs intentata, non tamen prudenter directa, humile sed stabile sumpsit initium : in homine vndiq; ex statu & statura corporis, effigie & nomine contemptibili, sed genere & pietate spectabili. Is fuit Paulutius Fulginas - - - - A Ioanne de Vallibus, & Gentile Spoletano, zelum paupertatis & strictioris suæ Regulæ obseruantiæ, in tuguriolo S. Bartholomæi in solitudine Bruliani edoctus ; ad quam assequendam semper aspirauit.* In vigilijs, ieiunijs, in oratione, & contemplatione Vitam ducebat Angelicam, & exemplo suo multos alliciebat ad potiorem disciplinam consocios, & pij desiderij conscios, aliquando orationibus, aliquando missis nuncijs, & literis, in Sancto confirmabat proposito : quæ Sancta exercitia continuabat, de licentia suorum Superiorum in quadam turri sibi concessa ab Hugolino de Trincis suo consanguineo, qui eiusdem reformationis Paulutianæ fuit cooperator & coadiutor, vt describit Wad: anno cit: n. 11. in hæc verba.

2. *Dum in his versaretur exercitijs* (puta Paulutius) *venit Minister Gen: Thomas Frignanus, eam in vrbem, comitia Prouinciæ S. Francisci celebraturus : quibus sumptus & quidquid opus erat abundè ministrauit prædictus Hugolinus. Dissoluto cætu Gen: Min: & Prouinciæ Rectores, pro receptis beneficijs gratias acturi in eius domum conuenientes : dum se suaq; Viri consecrant obsequio, præmonitus à Paulutio, petijt hic suo consanguineo, & pauculis Socijs tuguriolum concedi Bruliani. Annuit optimi Herois precibus Frignanus, deuinctus tum receptis beneficijs, tum arcta multorum annorum necessitudine. At non priùs domum reuersus, quàm aliqui suggesserint rem periculosam concessisse,*

cessisse, & in domuncula hac, paruam sparsisse sementem magnæ discordiæ futuræ. Dum hæc tacitùs secum cogitat, & in memoriam reuocat alias turbas in Ordine excitatas, ac difficulter sopitas: sequenti die ad Heroem accedens rogat, vt sibi liceat concessa reuocare, dicens ea indubitanter cessura in magnum Religionis detrimentum. Indignè tulit Hugolinus sibi promissa irritari, nec se permissurum, iratus dixit, vt adeò pueriliter secum ageretur. Nè amicum & bene factorem ampliùs offenderet: pridiè dicta rata habuit Frignanus; quâ ratione elusæ sunt artes inimici, qui pacis & vnitatis laudabili specie, amplissimum animarum lucrum voluit impedire.

3. Et vlteriùs initium & originem Ordinis Obseruan: describens pergit Wad: n. 12. inquiens. *Hoc itaq; anno in domuncula ista, in loco horroris & vastæ solitudinis, Fulgineum inter & Camerinũ, radices fixit Paulutius, & fundamenta iecit eò solidiora quò humiliora Regularis Obseruantiæ. Socios aduocauit Viros bonos, non tamen æquæ constantiæ, cedentibus aliquot loci asperitati, & incommodis, non facilè perferendis. In vicino lacu perpetua querela quaxabant ranæ, cænosæ paludes grauem exhalabant aerem, dumeta, humilesq; Myricæ plurimos generabant serpentes; quos ipsis in lectis per officinas, & in vtensilibus, magno horrore & metu, fratres frequenter offendebant: hominum ibi commercium nullum, vinum nullum, solatia humana nulla, omnia inculta & aspera; montis aliquot incolæ rustici, pauperes, horridi, quorum vestes caprarum ouiumq; pelles: calceamenta calopodia. Ab his mutuatus Paulutius calones, ijs vsus est, tum propter egestatem, tum propter commodiorem incessum, per loca petrosa, & Socijs eorundem vsum persuasit, obtenta priùs facultate à Gen: Min: Hinc Calonum seu Calopodiorum inter Regularis Obseruantiæ professores: maximè in Italia, à quibus in rudi vulgò nuncupantur, deducta consuetudo; eò firmiùs retenta, quò minori hæc constant pretio, quàm soleæ, siue sandalia; magis etiã conducunt sanitati, & à plerisq; alijs Religiosis sint assumpta.*

4. Huius instituti nouiter (post priores Reformatos suppressos) à Paulo Trincio inchoati, omnes Auctores Obseru: deducunt initium & exordium, ab eodem Paulutio deriuatum; vt

Roder:

Roder: Obser: Tom: 1. Q. 4. Art: 2. habet hæc verba. *Obseruantium fratrum Status fuit procreatus, qui antè quàm Obseruantes appellarentur, fratres de familia vocabantur. Et cùm Deus humilia eligat, vt fortia queq; confundat, & cùm de stercore erigat pauperem, vt collocet eũ cum Principibus, cum principibus populi sui; erexit cornu salutis suæ, in domo Francisci pueri sui, Fratrem Paulum de Trincis laicum, Diuino spiritu afflatum qui literas à Gen: Ministro obtinuit; quarum facultate Conuentum Brulianum in Italia erexit, ductis secum quibusdam Fratribus: cum quibus, vitam pauperem prout in Regula præcipitur, duxit, statimq; nouem Oratoria siue eremitoria illi adhæserunt, in quibus rigidæ paupertatis amatores libenter habitant: quibus idem Fr. Paulus præfectus est primus Vicarius & Prælatus anno 1380.*

5. Ludouicus Miranda itidem Obseruantinus in suo Manuali Prælatorum Regu: Q. 12. Art: 2. Conclus. 3. ait. *Cum nostri Sacri Ordinis Fratres à sua professione, & stricta nostræ Regulæ puritate, sed maximè quoad strictæ paupertatis obseruantiam, vtcumq; cæpissent deficere; ab anno 1226. vsq; ad annum 1380: industria cuiusdam Fratris Laici, Paulus de Trincis nuncupati, Ordo & Religio nostra, diuersis in locis cæpit reformari.* Et secundùm hunc Scriptorem Ordo Obseru: cœpit anno 1380. Marcus Vlyssiponensis etiam Obseru: Chronologus, Chronic: part: 2. lib: 9. cap: 26. asserit Fratrem Paulum, Trincium Fulginatem laicum, recepisse licentiam à Min: Gen: Fariniano, habitandi cum Socijs Bruliani, & in alijs vndecim cænobiolis derelictis; atq; hoc mdo familiam Obseruan: habuisse originem, à Paulutio deriuatam. Arturus Recollectus ex Obseruantia; Auctor Martyrologij Franciscani, in annotat: ad 17. Septembris § 30. hæc ait. Venit Generalis Minister B. Thomas de Frignano, eam in Vrbem comitia celebraturus, anno 1368: quibus expletis petijt Vir Princeps præfatus Hugolinus, huic suo consanguineo, & pauculis Socijs tuguriolum concedi Bruliani: quod gratanter à Prælato accepit; Narrato autem numero Fratrum, qui confluebant: quosq; non capiebant Bruliani angustiæ addit; quod Fr. Paulus. *obtinuit proindè infra breue tempus, à prædicto Gen: Min: eiusq; Successoribus: loca carceris B. Francisci, Pistiæ, Iani, Montis Iouis, Stronconij, in quibus initiabantur, qui ex sæculo veniebant.*

6. Haroldus e strictiori Obseru: Scriptor, in Annalibus ad annum 1368. n. 5, narrata Bruliani adeptione subdit. *Hic ergo Paulutius aduocatis Socijs, ea Regularis Obseruantiæ iecit fundamenta, quæ in ingens ædificium surrexerunt; nullo vnquam tempore ruitura.* Dominicus de Gubernatis, strictioris Obseru: nuncupatus a Sospitello, Tom: 1. lib: 3. §. 23 n. 2. de Ministro Gen: Friniano hæc habet verba. *Regularis Obseruantiæ fundamenta mirificè promouit; dum Bruliani locum primum huius amplissimæ reformationis tuguriolum, petente Hugolino de Trincis, B. F. Paulutio de Trincis, perbenignè concessit.*

7. Ex tam propensa indulgentiâ, erga nouellos reformatos Ordinis Obseru: malè audiuit Frinianus Min: Gen: vt refert Wad: ad annum 1368. n. 14. *Hoc ipso anno, & fortassis non maiori causa, quàm quòd prædicto Fri Paulutio alijsq; Fratribus Spiritualibus, fauerit & à Ministrorum exemerit potestate* &c. Et concludit per sesquiannum fuisse à regimine suspensum; tandem publicè in Ecclesia S. Petri, ab obiectis criminibus purgatus, honori & dignitati pristinæ restitutus est. Verebatur enim communitas ne per Paulutianam reformationem similes turbas & tumultus, vti per priores Reformatos fuit experta, iterum subire cogeretur, sed dū præsentes mites & pacificos animaduertit, eis impensè fauere cæpit, quos deinceps multis beneficijs prosecuta est.

8. Tempore huius Gen: fuit creatus à Gregorio XI. S. R. E. C. Fr. Berttandus Lagerius anno 1371, qui obijt Auinione anno 1392, sepultus in Ecclesia Min: Con: & ipsemet Min: Gen: vt Wadin: refert anno 1372. n. 15, honore Patriarchatus Gradensis ab eodem Pontifice decoratus est: instituto Ordinis Vicario præfato Bertrando Cardinale, Tandem ipse Thomas Frinianus dignitatem Cardinalitiam, ab Vrbano VI. anno 1378. consecutus est. Romæ obijt in Æde Capitolina sepultus, protunc Min: Con:

9. VIGESIMUS TERTIUS Min:Gen: Fr. Leonardus de Rubeis Gifonensis S. T. D. electus Tolossæ anno 1373, Præsidente Bertrando Cardinale Ordinis Vicario. Sub hoc Gen: vt scribit Rodul: pag: 189 b. cæpit numerus Fratrum nouellæ reformationis Paulutianæ; qui à communitate vti humiles, & candidè incedentes, priorum Reformatorum tumidorum, & Ordinis Prælatis

rebelli-

rebellium, animum elatum, viam, & vitam auersantes, confouebantur, & multis beneficijs cumulabantur. Ipsemet Min: Gen: Leonardus vt cit: Rodul: & Wadin: ad annum 1374. n. 19. referunt, Paterni affectus, & insignis beneficentiæ, fratri Paulutio huius nouellæ congregationis Antesignano, eximium præstitit documentum, ad eum in hæc verba scribens.

10. *In Christo charissimis Fratri Paulutio Vagnotij de Fulgineo, & Guardianis Eremitoriorum, seu locorum dicto F. Paulutio commissorũ: videlicet carceris B. Francisci, Pistiæ siue Bruliani, Iani, Montis Luci, & Stronconij. Fr. Leonardus Ordinis Fratrum Min: Gen: Min: Salutem & pacem in Domino sempiternam. Pro vtilitate præfatorum locorumvos, & quilibet vestrum, vestriq́ Vicarij; ire & mittere possitis Fratres tibi commissos, ad quæcunq́ loca prouinciæ S. Francisci, & in Prouincijs conuicinis; quotiescunq́ tuæ discretioni, seu alicuius vestrum videbitur expedire. Vale & ora pro me. Perusij 8. die Iulij, anno 1374.*

11. Hinc rectè Gonzaga Ex-Generalis Obseruantinus Histor: de Orig: Seraph: Relig: part: 1. Tit: Obseruantiæ Regularis exordium, ait. *Leonardus de Gifonio anno Dñi 1373.* (anno 1374. iuxta Rodul: & Wadin: cit: scribere debuit) *qui pullulantem huiusmodi congregationem, maximis fauoribus, maximeq́ beneuolentia prosecutus est, prædictumq́ Fratrem Paulum de Trincis editis patentibus literis, in suo viuendi modo est confortatus.* Jam tunc sexennis erat reformatio Trinciana, quæ cæperat anno 1368. dabanturq́; patentes a Cisonensi sub anno 1374. Wadingus etiam ad annum 1375. n. 43. hæc beneficia filiali Ordini, adhuc in sua infantia vagienti, à communitate præstita, ingenuo calamo exarat inquiens. *Leonardus Gen: Min: non parùm promouit, hoc tempore inchoatam Ordinis reformationem; multa concedens Regularis Obseruantiæ Sectatoribus priuilegia, quæ illorum propagationi, conseruationi, & quieti iudicauit opportuna. Iniunxit etiam Prouinciæ S. Francisci Ministro, Fr. Petro de Sora, vt peculiarem eorum curam susciperet, & tenellam plantulam beneficiorum foueret irriguo.* Qui Minister Proalis Petrus de Sora, illico scripsit Fratri Paulutio; multas gratias à Min: Gen: sibi concessas recensens, & se in refugium & protectionem sibi & suis reformatis, ab eodem datum significans; quas beneficiorum gratias prom-

ptè & opportunè se executurum offert. Cuius iniuncti officij executionem memorans Wad: ad annum 1376. n. 16. inquit. *Pergit hoc anno Fr. Petrus de Sora, Prouinciæ S. F. Minister propitiari Frī. Paulutio Fulginati, & familiam nouellam Regularis Obseruantiæ ab eo institutam fauoribus adiuuare, curamq; omnem & potestatem, in prædictum Paulutium refundere.*

12. Hoc totum Historicus Neotericus Dominicus de Gubernatis à Sospitello Obser: Tom: 1. lib: 3. 24. n. 4. confirmat dicens. *Fratrem Paulutium Fulginantem eiusq; sequaces, Regularis Obseruantiæ felicia primordia, sincero affectu, magnis impertitis Priuilegijs protexit;* Inferius autem de Gen: Min: Angelo de Pireto §. 29. n. 1. ait. *Nouellam congregationem Regularis Obseruantiæ, Henricum æmulatus; singulari prosecutus affectu.*

13. Tempore huius Gen: tum Frinianus supra n. 8. relatus, tum Bartholomæus de Coturno, & ipsemet Leonardus Gifonensis ab Vrbano VI. S. R. E. C. creati: vt Wadin: refert ad annum 1376. n. 8. Obijt Auenione in Schismate Pontificio: variæ sortis participio affectus, vti Cardinalatum à Clemente Antipapa acceptans.

14. VIGESIMUS QUARTUS Min: Gen: Fr. Ludouicus Donatus Strigonij in Hungaria electus, anno 1379. vt Wadin: refert ad cit: annum n. 2. & ad annum 1378. n. 8. inquiens. *Ludouicus Donatus, Patritius Venetus, Procurator Gen: Ordinis Inquisitor hæreticæ prauitatis Venetijs, prouinciæ S. Antonij Minister, Vicarius Gen: Ordinis suffectus, Leonardo Giffono, propter sequelam Clementis Antipapæ exauthorato; non hoc anno, neq; in prima creatione Cardinalium purpurà donatus est, vti perperam scribunt Ciacconus, & alij: quippè non nisi anno sequenti, vti tunc dicemus electus, est Minister Gen: in Comitijs Strigonij habitis.* Et concludit Cardinalatum huius Generalis, reducendum esse ad annum 1381. ad tertiam Vrbani creationem. Celebrauit etiam hoc anno aliud Capitulum Leonardus Giffonensis, partes sequutus Clementis, qui cùm ab eo hoc item anno vti diximus crearetur Cardinalis, & institueretur Ordinis Vicarius, conuocauit Neapolim electores in dictis Comitijs ad primam Octobris, in quibus electus est Anti-Minister, Leonardi Successor, qui-

dam

dam Fr. Angelus ignoti prorsus mihi cognominis. Et subdit Wadin: ad annum 1379. n. 3. *Paruum hoc, & tumultuarium fuisse conuenticulum, aliundè mihi constat, neq; omnes, neq; præcipuos Ordinis Patres illuc confluxisse, partim retrahente eos conscientia, præsertim prohibente Vrbano, & Ludouico ab eo instituto Vicario, in Hungariam auocante, partim interclusis vijs à factionum partiarijs. Hinc origo Schismatis in ordine, quòd cum Pontificio ortum, & finem accepit.*

15. Hic Gen: maximè fouit exorientem, & iam radios suos diffundere incipientem, nouellam familiam Paulutianam: quæ tunc intra solam S. F. Prouinciam continebatur teste Wad: anno cit: n. 5. inquiente: *Quòd nouellum germen Regularis Obseruantiæ, adhuc hoc anno non se extenderit in Italia extra vmbriæ fines.* Proindè promouente dicto Ministro Gen: latiùs pullulare, & se extendere cæpit; ita vt tunc primùm sub isto Gen:, licet adhuc infans, & fasciata familia Obseruantina; nomine Congregationis audire inceperit, teste Wadin: ad annum 1380. n. 29. inquiente. *Non paruum hoc tempore suscepit incrementum, noua Fratris Paulutij Trincij congregatio, acquisitis duodecim Cænobiolis intra Prouinciæ S. Francisci limites, & altero Forani in Prouincia Marchiæ; quòd hoc anno Ludouicus Min: Gen: concessit. Plenam etiam accepit à Fratre Matthæo Amerino Ministro Prouinciali potestatem, loca ista regendi, & fratres quò placeret amandandi.* Etiam hoc eodem anno ex Roder: Obseru: Tom: 1. Q. 4. Art: 2., præfatus Paulutius à Min: Gen: Con: primus Vicarius & Prælatus exorientis, & procreatæ Congregationis Obser: fuit istitutus. Hic Gen: fuit creatus S. R. E. C. ab Vrbano VI: tandem cum Cardinali de Coturno, eiusdem Ord: Min: Con: ipsammet miseram sortem subijt, quàm explicat Wad: ad annum 1378. n. 4. & 8.

16. VIGESIMVS QVINTVS Min: Gen: Fr. Petrus de Cassana, alias de Conzano S. T. D. electus Ferariæ anno 1383. Præsidente Comitijs Generalibus Ludouico Cardinale, Ordinis Vicario. Tempore huius Gen: quotidiana suscipiebat incrementa nouella familia Obseruantinorum: multiplici fauore Principum, & Superiorum Ordinis patrocinio suffulta, quod lubenter præstabant, vt in solitarijs locis à se derelictis succederent: sicq; Matrix Reli-

gio Min: Con: hanc nouam prolem filialem, in ſinu ſuo fouebat, & teneræ ætati, in maturiorem prouehendæ, fomenta & fulcimenta miniſtrabat; vt euidenter confitetur Wad: Obſer: ad annũ 1384. n. 2. in hæc verba. *Eò faciliùs horum votis annuebant PP. Conuentuales, quò humiliùs agebant, omnia Superiorum ſubijciebant arbitrio, & domos nullas inuadebant; ſed vel ſpontè ab ipſis oblatas admittebant, vel nouas aliorum munificentia ædificabant, extra vrbes in locis remotis, in quibus offenſioni non poterant eſſe conſodalibus incolatu prioribus: dum neq; populum ab eorum templis retrahebant, neq; emolumenta minuebant. Duo deeſſe videbantur: vt liberè vbicunq; licebat domos ædificarent, absq; ſpeciali propter ſingula recurſu ad Miniſtros, & poſſent ipſi ad ſodalitium admittere, habituq; induere; mittebantur enim adoleſcentes, qui recipi poſcebant ad Miniſtros, in quorum libertate erat, vel huic congregationi adijcere, vel aliò mittere, aut penitùs reijcere. Conceſſit iſta lubenter hoc anno Guillelmus Aſtenſis, Miniſter Prouinciæ S. Franciſci, obtenta priùs circa domos multiplicandas facultate, à Ferdinando Hiſpano Patriarcha Ieroſolymitano, ab Vrbano ante biennium inſtituto Adminiſtratore Eccleſiæ Spoletanæ, & Pontificio Vicario, in Ducatu Spoletano.* Hic Gen: rexit Ordinem annum vnum & menſes aliquot: obijt anno 1385. in Cænobio Piſtorienſi, dum Prouinciam viſitaret Etruriæ: Sepultus ibidem apud Min: Con.

17. VIGESIMVS SEXTVS. Min: Gen: Fr. Martinus S. Georgius à Riparolo, electus Pataui anno 1385. iuxta Wad: qui cit: anno n. 4. fatetur propenſum affectum huius Gen: in nouam familiam Paulutianam inquiens. *Martinus Min: Gen: ſtatim à ſua inſtitutione Fratrem Paulutium Fulginatem, commiſſamq; ſibi Familiam, fauoribus multis proſecutus eſt, & auctoritatem conceſſit; quibus potuit Vrbibus, & Oppidis, noua domicilia extruendi; aut extructa admittendi.* Obijt tandem hic Min: Gen: in Cænobio Caſtri noui, cum Ordinem rexiſſet annis duobus. Inſtitutus eſt ab Vrbano VI. Vicarius Ordinis Henricus Alferius Aſtenſis.

18. VIGESIMVS SEPTIMVS Min: Gen: Fr. Henricus Alferius Aſtenſis electus Florentiæ anno 1387. Hic Gen: Min: Fratrem Paulutium Fulginatem Ordinis Obſer: Anteſignanum commiſſamq; ſibi familiam, vt refert Wad: ad annum 1388. n. 1. *Omnibus qui-*

bus quibus potuit modis excitauit, ad prosequendam & ampliandam Ordinis reformationem. Quatuor dedit hoc anno præsentes literas, quibus eum instituit suum peculiarem Commissarium, super quindecim loca, seu cænobiola; ex quibus tota coaluit familia intra limites Prouinciarum S. Francisci, & Marchiæ Anconitanæ. Multam insuper potestatem concessit, in Fratres sibi subiectos, & auctoritatem subdelegandi Commissarios. Magno itaq; incremento prosperabatur hæc noua reformatio in Italia, & hoc ipso cit: anno ad alias Regiones felicibus auspicijs est propagata: etenim cum propter schisma Pontificum, scissamq; in duas partes Religionem: res in deterius tenderent; tres Religiosi Minoritæ in Prouincia Turoniæ, huic nouellæ reformationi adaugendæ operam suam impendere proposuerunt: itaq; vt dicit Wadin: ad annum 1388. n. 5. *Hi vel suis, vel aliorum precibus, à suo illo Pseudo-Ministro Gen: Angelo: quem supra diximus (non ab Antonio Pyreto, vti habet Gonzaga qui nonnisi anno 1405. assumptus est ad supremum Ordinis regimen, sub obedientia Innocentij VII. veri Pontificis obtinuerunt, vt sibi concederetur cænobium aliquod solitarium, in quo a turbis remoti viuere possent, secundùm Regulæ puritatem.*

19. Igitur hæc noua familia Paulutiana in Italia multiplicata, in Gallia inchoata; diffundi etiam cæpit in Aragonia: & quia nouitate multa acceptabiliora eueniunt, & veteriora temporis lapsu exolescunt, nouitatis plausu impinguata & dilatata: hæc nouella congregatio, recalcitrare cæpit & illicò exordium prouectionis suæ auspicari tentauit, per separationem nonnullorum suorum alumnorum ab obedientia PP. suorum Minorum Con: proinde referente Wad: ad cit: annum n. 6. in Regno Aragoniæ ab Anti-Cardinale Petro de Luna Clementis VII. Anti-Papæ Legato, diploma obtinuerunt, vt per se solitariè viuere possent *In aliquo domicilio extra obedientiam PP. Conuentualium.* Verùm hæc inanis extra vtramq; legitimam Pontificiam, & Regularem Obedientiam, obtenta facultas, haud fixis radicibus coalescere potuit: donec per Concil: Constant: ad supplicationem aliquorum Conuentuum, infantem adhuc obseruantiam amplexantium, in tribus Prouincijs Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ; decreta fuisset à Conuentualibus, iam intentata nouellæ familiæ segregatio.

20. Præ-

20. Præter recensita beneficia, ab Henrico Min: Gen: assurgenti Congregationi Obser: exhibita; etiam ad annum 1390. Paterni affectus congratulatione: Paulutium huius congregationis auctorem, abundè cumulauit; dum tria loca Camerinum, Montis-sancti; Cæsæ Palumbæ, ac Muri in Prouincia Marchiæ pro crescente sua familia de nouo concessit, eaq; plenæ eiusdem iurisdictioni, acsi Prouincialis foret, subiecit: vt refert Wad: ad cit: annum n. 1. subdens n. 3. *Super hæc & alia Cænobiola tractus Piceni, Fr. Paulutius suum constituit Commissarium, & coadiutorem, Fratrem Franciscum alias Cibum Fabrianensem.* Et n. 4. idem Wad: adiungit alterum Paulutij socium Joannem Stronconium: hunc destinauit hoc ipso anno ad Tusciæ Prouinciam; cui datus est Socius Fr. Angelus de Monte Leonis S. T. L. qui vt Wad: n. 5. refert. *è Conuentualibus transiuit ad Fratris Pauli disciplinam; allectus summa Viri virtute & restaurandæ Religionis desiderio - - - Iecerunt illi in Tuscia prima semina Regularis Obseru: ædificato Fæsulis deuoto cænobio, obtentisq; mox alijs Catonij, Columbarij, & S. Processi à Tusciæ Ministro.*

21. Tandem Paulutius oculis orbatus viribus deficiens octogenarius, à suis consanguineis, & ciuibus Fulginatibus, Bruliano Fulgineum reuocatur; vt testatur Wad: ad annum 1390. n. 7. inquiens. *Pararunt illi comitatus Rhedam, & equitatum; sed horum nihil Vir Dei voluit admittere; solo Fratre Socio, & baculo contentus --- Dilapsus in cellulam à PP. Conuentualibus præparatam, dixit: Hæc requies mea dum vixero.* Et cùm languere cæpit: humi ad similitudinem S. Fran: decumbens, paupercula contentus lacerna: Manibus in crucis formam compositis, JESUM & MARIAM compellans; hilari vultu ridentis in modum, Sanctam animam efflauit cit: anno, siue veriùs sequenti.

22. Post eius mortem vbi fuerit sepultus de eius corpore ad cit: annum 1390. n. 10. hæc habet Wad: *Per dies aliquot manifestè patuit, omnibus absq; vllo mortis horrore, aut tetro odore: mox vt populi satisfactum est pietati; PP. Conuentuales noctu, secretò, & absq; testibus Sanctum corpus sepelierunt: timentes nè ab eius discipulis repetundarum insimularentur, aut Sacri pignoris iacturam furto, vel dolo pati contingeret. Ea de causa in hunc vsq; diem ignotum est omnibus sepulchrum,*

chrum,

chrum, neq; exhumatum aliquando fuisse vllus recenset. Quare admiror cur Petrus Rodul: dicat eius corpus quiescere extra vrbem Fulginei ---- Cùm reliqui scriptores constanter asserant, sepultum fuisse in Ecclesia S. Fran: neq; vllus sit qui translationis extra vrbem meminerit. Cubiculum B. Paulutij, & Sociorum, multis annis possederunt Obseruantes in eodem PP. Conuentualium Cœnobio, eisq; vtebantur pro hospitio quando Fulgineum veniebant, duobusq; designatis locis in Ecclesia, confessiones excipiebant sibi addictorum: donec sub Sixto V. vtroq; hoc Priuilegio sunt spoliati.

23. Si Wadingus hæc vltima verba *sub Sixto V. vtroquè hoc Priuilegio sunt spoliati* intelligat, quòd auctoritate Sixti V. (qui fuit Summus Potifex post diuisionem Leoninam, ex Conuentualibus assumptus) vtroq; hoc Priuilegio PP. Obseruantini fuerint spoliati, prout & de Sixto IV. loquitur infra Art: 15. n. 20. tunc in hac dicendi formula, coincidit cum Petro Marchan: qui in expos: Reg: pag: 53. contra Leonem X. ob collatas in suum Ordinem gratias sic referre non erubuit. *Donec tandem relaxati omnes, vt membra à corpore toto dissona, per Leonem X. rescinderentur in aliud corpus, & sub alio capite: quando nimirùm Priuilegiati Priuilegijs Regulam relaxantibus, in Conuentualitatis nomen, & formam redacti,* spoliati *Ministeriatu & alijs officijs Ordinis: Magistrum Generalem habuerunt, & sic à primo stipite separati sunt.* Reuera hic terminus spoliatoris feralis est, feritatis & contumeliæ plenus, reuerentiā Summo Pontifici debitam insigniter feriens: Summi enim Pontifices in Ecclesia Orthodoxa bonorum, beneficiorum, Officiorum, & omnium Ecclesiasticarum facultatū, non sunt violenti Spoliatores, sed fideles dispesatores, & dispositores, proinde nulli ab eis fideles & præcipuè Religiosi, à quocunq; sanæ mentis: maximè a Minoritis in B. F. ad reuerentiam & obedientiam Domino Honorio, & Successoribus eius obligatis, possunt dici, hoc impio vocabulo *Spoliati*: eò vel maximè cum ipsa Ecclesia seu ipsimet Summi Pontifices, per Sacros Canones, spoliationem tanquam violentam & iniustam prohibeant; indè erroneum & temerarium est asserere, quòd spoliationem exerceant, quam per omnia iura execrantur, & nè

& nè sint inuitè *Spoliati*, multis prohibitionibus in iure Canonico cauent. vt *Causa* 24. Q. 3. cap: *Si quis*. de potentibus & cap: *Quisquis* determinatur *Spolians pauperem Clericum vel Religiosum excommunicatur*. Et Causa 25. Q. 9. cap: *Gregorius*. & cap: *Veniam*. Statuitur. *Spoliati à prædecessore, debent restitui à Successore*. Et de accusati: cap. *si constiterit* habetur. *Spoliari nullus potest de Ecclesia, aut beneficio sine crimine*. Et Concil: Later: IV. cap: 39. Statuit. *Spoliato facienda est restitutio, etiamsi res in alium sit translata*. Et de Restit: Spoliat: cap: 1. & cap: *conquerente*. Ordinatur. *Spoliatus ante omnia etiam prætermisso iuris Ordine, est restituendus*. Ad reliqua præcipuè Marchantij ampullosa & mendaciorum sesquipedalia verba, respondebimus suo loco, dùm nugalia Marchantina refutabimus.

24. Sed concedamus Wad: Patres Obser: illo duplici Priuilegio, in Conuentu Fulginate, ex fraterna charitate, à Patribus Conuentualibus sibi concesso, auctoritate Sixti V. fuisse spoliatos; tamen vt decernit Decretalis supra cit: de accusat: cap: *si constiterit*. *Conuictus de præcedenti crimine, propter quod de iure debet spoliari, dum spoliatur, iustè & de iure censeri debet spoliatus*. cùm autem Sixtus V. ex Min: Con: ad apicem Apostolatus assumptus, benè notum & per experientiam expertum habuerit, quòd Ordo filialis PP. Obseruantinorum, multos Conuentus à PP. suis Conuentualibus, per vim & sæcularium potestatum subordinatam violentiam abstraxerit, & obliquè occupauerit: de quo multæ plurimorum Sūmorum Pontificum prodiêre Bullæ, hanc violentam domorum seu Conuentuum & locorum occupationem, PP. Obseruantinis, sub pœna excommunicationis & interdicti prohibentes; Et primùm cautum fuit à Calisto III. vt Rodul: refert pag: 191. b. *Nè fratres de familia surriperent Conuentualium loca*. Et Bullam subijcit Calisti quæ incipit. *Regimini*. hæc habentem verba: *Nicolaus Papa V. prædecessor noster attentè considerans: quòd ex captionibus domorum, locorum, & demum Fratrum huiusmodi, ac Monasteriorum Monialium S. Claræ sub eorundem fratrum cura, & administratione degentiū; quæ per nonnullos alios fratres prædicti Ordinis de Obseruantia nuncupatos, crebrò fiebant, atq; per plurima scandala, in diuersis mundi Regionibus, & Prouincijs exorta erant &c. ad præcludendam viam scandalis*

eiusmo-

eiusmodi, nonnullas inhibitiones & mandata, eisdem fratribus de Obseruantia nuncupatis, sub varijs censuris & pœnis fecit.

25. Nicolai autem V. Bulla incipit. *Cum ad Sacrum.* edita ad petitionem Jacobi Sarzuela, tunc Ministri Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ, & postea Generalis Ministri hæc continet verba. *Quòd licet olim super diuersis quæstionibus, controuersijs, & dissensionibus, quæ inter Conuentuales & de Obseruantia nuncupatos eiusdem Ordinis fratres, tàm super captionem domorum dictorum fratrum Conuentualium, quàm etiam Monasteriorum & aliorum Religiosorum locorum Ordinis S. Claræ, quorum Moniales sub ipsorum fratrum Conuentualium cura viuere consueuerunt, per dictos fratres de Obseruantia securiùs attentatæ, in plerisq; mundi partibus retrò fluxis temporibus pluribusq; vicibus successiuè, subortæ fuere.* Et concludit. *Nos igitur &c. viam præcludere ac quæstionibus controuersijs & dissensionibus inter Conuentuales & de Obseruantia fratres obuiare vbilibet cupientes, omnibus & singulis de Obseruantia fratrum huiusmodi: etiam in quibuscunq; gradibus, officijs, & administrationibus, ac tàm in prædicta, quàm in quibusuis mundi Prouincijs constitutis: auctoritate Apostolica ex certa scientia districtiùs inhibemus: nè per se vel alium, seu alios quouis quæsito colore, vel ingenio, de cætero aliquid, siue aliquam domum, Monasterium, siue locum, fratrū Conuentualium aut Monialium prædictorum, de nouo accipere, nec recipere, seu de illa, vel illo se intromittere quomodo præsumant: alioquin contrafacientes, aut inhibitionis nostræ huiusmodi transgressores, eisq; in præmissis quomodolibet dantes auxilium, consilium, vel fauorem, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè: aut cuiuscunq; etiam dignitatis fuerint, etiamsi Pontificali, vel quauis alia Ecclesiastica, vel mundana dignitate præfulgeant; excommunicationis, & in domos fratrum transgressorum huiusmodi, interdicti ecclesiastici sententias, tenore præsentium facimus, & etiam promulgamus.*

26. Videre etiam est in firm: 3. Ord: 2. par: tract: 1. Multas Pontificias Bullas, has captiones & surreptiones Conuentuum & locorum prohibentes: vt Pij II. Pauli II. Sixti IV. Hæc omnia circumspecta prospiciens sagacitate Sixtus V. præcedentibus sui Ordinis edoctus detrimentis, metuens nè sub specie fraterni consortij, Conuentus Fulginatensis vt olim alij, per vim inuaderetur, & occu-

occuparetur: eos vtroq; illo priuilegio priuauit, & si placet Wadingo, ob præcedentis scandala, iustè & de iure spoliauit. Multos ipsemet Wad: sub diuersis annis conuentus immò centurias & chiliades si non Myriades Conuentuum, à Matrice Relig: Min: Con: in filialem Ord: Obser: translatorum recenset, siue spontè à nostratibus, pro dote oblatorum, vt ad annum 1406. n. 103. de Conuentu Fulginatense S. Bartholomæi extra vrbem liberè fatetur. *Primam hanc domum ædificarûnt Fratres ipsi Regularis Obseruantiæ in Italia: quas antea incolebant, receperunt iam factas à Patribus Conuentualibus.* Siue imperio Pontificio pro nouello sodalitio Obser: dilatando assignatorum; de quibus non conquerebantur Cõuentuales, quòd ipsis fuerint a Pontificibus spoliati: quià originariam S. F. humilitatem & reuerentiam, ac obedientiam Dño Papæ Honorio, ac Successoribus eius ex Regula professi; fatebantur non fuisse violentum spolium, quod Summis Pontificibus fuit complacitum.

27. Hic Minister Gen: Henricus præcipuus exorientis Sodalitij Obser: Benefactor, & singularis Obseruantiæ strictioris studiosis Mecænas, mortuus est Rauennæ anno 1405. postquam Ordinem rexisset annis fermè 18 sepultus ibidem in Ecclesia Min: Con: vt Rodul: pag: 189. b. & Wadin: ad cit: annum testantur. Tempore huius, Gen: Bartholomæus Pisanus opus suum de Conformitatibus; in quo magno labore ostendit, S. Franciscum per vniuersum vitæ suæ curriculum, Christo nostro Redemptori fuisse conformem, exhibuit & obtulit, Capitulo Generali examinandum, & discutiendum; quod Patres probarunt, & gratum habuerunt in illo Capitulo, Assisij congregati, anno 1399: vt Wadin: habet ad eundem annum n. 7. Ex cuius testimonio eiusdem anni n. 65, constat vniuersam familiam Obseruantinam, tantùm viginti tres habuisse Conuentus in hoc anno 1399. à sua origine & inchoationis exordio trigesimo primo. Sub eiusdem Generalatu initiatus est Sacro Minorum instituto D. Bernardinus Senensis anno 1402. Huius Gen: tempore fuit ex Ordine Min: Con: ab Vrbano VI. creatus S. R. E. C., Fr. Bartholomæus Vliarius Patauinus; Episcopus Florentinus anno 1389; vt asserit Wad: n. 2.

Obijt

Obijt Caietæ anno 1396, Sepultus in Ecclesia Min: Con:, vt Rodulphus cum Wad: concordant.

ARTICVLVS XIII.

In quo Min: Gen: XXVIII, XXIX, XXX, recensentur: & per Beneficia Min: Con:, incrementa recentis Ord: Obser: memorantur. Eiusq; prima diuisio à Matrice Relig: Min: Con: explicatur.

1. VIGESIMUS OCTAVVS Min: Gen: Fr. Antonius Angelus a Pireto S. T. D. electus est Argentinæ, anno 1405, quem Græcum & Prouinciæ Romaniæ facit Rodul: pag. 190: Latinum verò & Prouinciæ Romanæ Marianus. Hic asserente Wad: ad cit: annum n. 2. *Non minori prosecutus est affectu nouellam congregationem Regularis Obseruantiæ: quam prædecessor fecerat Henricus: Frēm. Ioannem de Stronconio huius tenellæ familiæ Commissarium, in Officio confirmauit, & suum nuncupauit Vicarium. Paulò post multiplicatis domicilijs, præfecit eis quæ accreuerant in Prouincia S. Angeli, Frēm. Nicolaum Auximanum; & in Prouincia Tusciæ Frēm. Nicolaum de Vzono.* Sub hoc Gen: pauca se offerunt monumenta, ex quibus depromi possint Acta Ordinis Nostri, & nouelli germinis Obseru: incrementa ac progressus: distracta enim Repub: Christiana diro Schismate: dum referente Rodul: pag: 190. eodem tempore tres extiterint Summi Pontifices, Benedictus XIII. Gregorius XII. & Ioannes XXIII. quâ Pontificum collusione, factum est vt in Religione Nostra quoq; fuerint plures Gen: præfecti: Quapropter hæc tempora, turbido obscurante nubilo, etiam tenebrosa caligo seriem in Ordine transactorum luctuosè obnubilauit; & nè cognitioni subessent, inuolucro obtendit. De hoc Ministro Gen: habetur ex Wadin: quòd rexerit Ordinem annis 16, in quibus de eodem hæc tantùm ad notitiam nostram deferuntur, quòd functus fuerit munere Nuntij Apostolici in Anglia; & quòd in Concil: Constant: fuerit à Sacro Collegio destinatus, cum alijs Examinator Joannis

Hus, & eius peruersorum dogmatum; & quòd mortuus fuerit anno 1421. vel proximè elapso, vt Wadin: ad eundem annum n. 9. astruit.

2. Tempore huius Min: Gen: eodem anno quò fuit electus, ex Ord: Min: Con: fuit creatus ab Innocentio VII. S. R. E. C. tit: SS. XII. Apost: Fr. Petrus Philargius seu Philaretus Cretensis, deinde Alexander V. Summus Pontifex inauguratus. Ex assumptis de Ordine Min: Con: secundus: & tam primus Nicolaus IV, quàm hic secundus Alexander V, vterq; fuêre ex Ord: Min: Con: & nō ex Ordine Obseru:, quod euidenter patet, nam primus, non potuit esse ex Ordine Obser: nupero, à Paulutio hoc sæculo instituto, quia illo sæculo in anno 1288. currente, quo fuit Nicolaus IV. Summus Pontifex renunciatus; nedum Ordo Obser: fuit inchoatus, sed neq; Paulutius eius Fundator & proauctor lucis vsuræ expositus, & natus. Nec etiam hic secundus Alexander V. potuit esse de Ordine Obser:, quia tunc nouellum germen exurgentis Ordinis Obser: adhuc in cunabulis fasciatum, & vagiens reclusum extitit, nec habuit in paucis ijsq; simplicibus & indoctis suis Alumnis, Viros Summo Pontificatu dignos, qualis fuit Petrus Philaretus S. T. D. Parisijs laureatus, Græcis & Latinis benè instructus literis, vt Wad: testatur ad annum 1405. n. 14. quo anno Ordo Obseru: adhuc tenellus nondùm literarum apertas habuit Scholas; quas primùm aperiri fecit S. Bernardinus, tunc quando ex Conuentualibus viri docti, ad suum sodalitium commigrarunt, vt fusius demonstrabitur inferius.

3. Multæ hoc tempore per occasionem Schismatis, diuersorum Pontificum in Ecclesia, in diuersas quoq; Religiones irrepserunt scissuræ, cùm earum Patres in diuersas similiter abijssent partes, & ferè vnaquæq; duos supremos Magistros, seu Præfectos habuisset. Hanc tristem faciem etiam in Religione Nostra, palam erat videre: maximè per nouellam Reformationem Paulutianam conturbatam; Hæc in Schismate communi, Schismatis in Ordine materia fuit; vt refert Wadin: ad annum 1415. n. 6. *Sub hoc tempus erant contentiones & schismata, inter Fratres in Gallia, ægrè ferentibus Ministris Prouincialibus, vt per nouam illam reformationem*

subtra-

subtraherentur; eorum iurisdictioni, aliquot Conuentus, in Prouincijs Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ: quibus Benedictus XIII. dum auctoritate fungebatur in Gallia Fr: Angelus: deinde Ioannes Bardolinus Pseudo-Ministri Gen: exemptionem concesserunt, vt secundùm sua peculiaria statuta viuerent: prout eodem teste Wadin: sub Superioribus ab illis Pseudo-Ministris Gen: sibi institutis viuebant. Tandem in vnum coalescente Ecclesia sub Alexandro V., etiam Religiosæ sodalitates, ad vnitatem pristinam, sub vnius Præsidis fastigio, prono animo adunabantur; quod vt tanto faciliùs etiam in Nostro Ord: Min: Con: eueniret, ad instantiam Min: Gen: Antonij a Pireto: Alexander V. edito diplomate, quod incipit. *Ordinem Fratrum Min:* omnes scissuras tolli imperat, & vniuersos fratres sub vnius Gen: Min: Con: obedientia reducit.

4. Hoc totum clarè enucleat Wad: loco cit: in hæc verba: *Vt morem gereret Ministris Antonius à Pireto, Ordinis Primicerius vt maiori præcaueret schismati in Religione: etsi alias huic reformationi faueret: egit cum Alexandro V., vt reuocarentur indulta Benedicti, & Bardolini: submitterentur in omnibus hi Fratres strictioris Obseruantiæ, Ministris Prouincialibus; neq; vllum ad suum sodalitium, absq; eorum licentia admitterent, & omne vestis discrimen ablegarent. Concessit hæc vti retulimus Alexander; quippè sub laxiori disciplina educatus: & diploma partim confirmauit Ioannes successor. Hinc turbæ & scandala; Ministris dissipantibus nouellum hoc vitæ genus, inceptoribus, & sectatoribus conseruare cupientibus. Re delata ad Ioan: XXIII. ex consilio Iordani Protectoris, & partium consensu: dedit Fratribus Obseruantibus secundum Vicarium N. de Britannia; sed Prouinciales Ministri varijs artibus, demum obtinuerunt etiam hunc reuocari, & Fratres Obseruantes à prædicatione suspendi. Tandem deductis tumultibus, ad Patres Concilij Constantiensis, & propositis multis querelis, quæ habentur in monumentis Ordinis: commissa fuit causa prædicto Iordano Cardinali Protectori, Episcopo Albanensi, & Petro Aliaco Cardinali Cameracensi; alijsq; doctis & probis viris, qui valdè propenderunt in partem strictioris vitæ professorũ.*

5. Decreto huius Concilij Constant: (quod Wadin: inchoatum anno 1414. asserit & finitum anno 1418.) tres Prouinciæ Gallicanæ: Scilicet Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ fuerunt à cor-

pore

pore Ordinis separatæ, nouellam reformationem Paulutianam amplexantes: cuius nouitatem Concil: Conſt: in hæc promit verba. *Temporibus his nouissimis, Regularis Obſeruantia veſtri iam dicti Ordinis, in præfatis Conuentibus inceperat vigere.* Separationem autem à Corpore Ordinis, dictarum Prouinciarum circumſcribens; concedit vnicuiq; Prouinciæ, à ſuis Reformatis poſſe eligi Vicarium Prouincialem: intra triduum à Miniſtro Prouinciali communitatis confirmandum, ad ipſos Fratres Reformatos regendum; qui loco & vice Miniſtri Prouincialis eos regere, & illis prouidere poſſit, addens. *Ita quòd de ipſorum Fratrum regimine, in nullo poſſint ſe intromittere dicti Prouinciales, vel Cuſtodes: ſed ad ipſos Vicarios, cura & correctio eorum omnino pertineat.* Hinc loco Generalis Min: huic portioni ſeparatæ, conſtituit Vicarium Gen: Fratrem Nicolaum Rudolphi: Nihilominùs hanc partitionem inter Fratres, huius nouiter inductæ Obſeruantiæ, & Fratres Communitatis, ſartam tectamq; haberi voluit his ſequentibus. *Quod quando Fratres huiusmodi Obſeruantiæ peregrinationis ſtudio, vel aliàs per mundum proficiſcuntur; ad loca Conuentûs Communitatis Ordinis declinent; ſi voluerint; ad alia verò loca Fratrum in Obſeruantia ſibi ſimilium, ſemper declinare teneantur.* Et præcepit quòd Fratres Communitatis non moleſtarent, nec inquietarent Fratres Obſeruantes; nec etiam Fratres dictæ Obſeruantiæ, alios Fratres Communitatis Ordinis infamare, & eleemoſynas impedire præſumerent.

6. Ab hoc Concil: Conſtan: initium & fundamentum habuiſſe, nomen Regularis Obſeruantiæ, aſſerit Wad: ad eundem annum 1415. n. 8. inquiens. *Quintum non minùs hallucinari eos, qui conſtitutionem hanc, ad Vniuerſum Ordinem extendunt, & pro omnibus Prouincijs editam affirmant; cùm pro tribus dumtaxat ſupra nominatis fuerit promulgata. Vltimum demùm, ab hoc decreto initium & fundamentum habuiſſe, nomen Regularis Obſeruantiæ.* Porrò idem Wad: anno 1375. n. 44. aſtruit. Obſeruantinos priùs vocatos fuiſſe Fratres Eremitoriorum, poſtea Fratres Familiæ, & non ſtatim ab initio, FF. Regularis Obſeruantiæ fuiſſe nuncupatos. *Sed longè poſt & vocabulum auctoritatem ſumpſit, à Decreto Concil: Conſtant: in quo ſub hoc nomine, iſtud vitæ genus maiorem ſumpſit firmitatem, & ad omnes diffu-*

diffusum est nationes; atq; ita passim vbiq; huius Instituti Fratres nuncupantur. Idem censet errare nostros codices in anno, quo editum fuit præfatum Decret: Concil: Const: quem communiter inscribunt 1414, cùm potius per dictum decret: facta separatio in Ordine reducenda sit, ad annum 1415: in quo consentit Brancatus S. R. E. C. in suo Epitome Canonum, V. FF. Minores S. F. de Obseru: *Fratres Minores obseruantes, inceperunt sic dici, ex tempore Concilij Constant: de anno 1415.*

7. Ratione huius Decret: Concil: Const: nouellus Ordo Obseru: maiores sumpsit vires in Italia: attestante Wad: ad cit: annum 1415. n. 23. *Regularis Obseruantia in Italia hoc anno maiores vires suscepit, firmioremq; spem conceperunt Patres stabiliendi instituti, ex Decreto Constant: supra relato, pro domibus Gallicanis concesso. Triginta quatuor erant humiles ædiculæ in Italia; quibus hoc anno accessit totius Ordinis, primæua à S. F. commendatissima, Domus S. M. Angelorum, in agro Assisiate, Portiuncula nuncupata. Concessit hanc Min: Gen: annuentibus Patribus Prouinciæ S. F. maximè ijs qui habitabant ad Sacrum Conuentum Assisij, vbi S. Patriarchæ corpus honorificè colitur: reseruatis tamen sibi quotidianis & amplis oblationibus, & pecuniarijs eleemosynis: quæ in ædicula multis miraculis Gloriosæ Virginis, apparitionibus & diuturno S. Francisci incolatu celeberrima, à numeroso concurrente populo fiebant.*

8. Hæc omnia quæ deprædicat Wadin: suæ nouellæ Obseruantiæ, in Italia incrementa, ipsomet teste sub eodem anno n. 24. claudebantur in ducentis circiter fratribus: inter quos vt ait. *Paucissimi erant Sacerdotes, ita vt in ædiculis Reatinis, alternis vicibus vnus Sacra peragebat; & in nocte Natiuitatis Dominicæ, primam Missam Græcij, Secundam ad fontem columbæ; Tertiam in Podio celebraret. Pauci etiam erant docti, ante aduentum quatuor cælestium præconum. Bernardini Senensis. Joannis Capistranensis. Alberti à Sartiano, & Jacobi Piceni. Hi cultum regiminis, normam & literarum studium inuexerunt.* Porrò Bernardinum Religioni Francifcanæ nomen dedisse, diximus Art: 12. n. 27. anno 1402. ætatis suæ 22. Joannes Capistranus initiatus est anno 1414. ætatis 30. secundùm Wadin: Albertus Sartianus anno 1415. qui vt refert Wadin: n. 22. *Ad obseruantes*

uantes à PP. Conuentualibus transiuit annos natus 30. latinè egregiè doctus. Jacobus Picenus anno 1416. His ergo quatuor viris velut quatuor columnis, fulciri & propagari cœpit nouella familia: quæ paulò ante hæc tempora per Paulutium & Joannem Stronconium eius Successorem, benè principiata & stabilita, ac beneficentiâ Ministrorum Gen: Vniuersæq; communitatis adiutorio cõmunita, firmiter suis radicibus persistebat innixa: vt fatetur Wad: anno 1415. n. 25. in hæc verba.

9. *Diu duratura lentè crescunt, & occulto stabiliuntur incremento. Id sua mansuetudine & humilitate obtinuerant Paulutius Fulginas, & Ioannes iste Successor, vt Ministri Gen: & Proales quidquid opus erat, huic augendæ congregationi, spontè concesserint: vt congregationes seu Comitia particularia celebrarent, Vicarium sibi eligerent, priuatis legibus regerentur, domos erigerent, Fratres quò vellent destinarent; vel à sæculo vel à Communitate Ordinis admitterent. Poterant Ministri per se cænobiola visitare, sed faciebant eo suæ potestatis temperamento, vt maiora pietatis incrementa non vetare, sed promouere viderentur; quis enim virtutem etsi occultè odiat, publicè condemnet? nullum ad se reuocarent, omnes pacificè arctiori committerent Regulæ Obseruantiæ.* Seriem Vicariorum post Paulutium nouæ familiæ Fundatorem, sibi succedentium describit Wad: sub diuersis annis vt ad annum 1403. n. 1. inquiens. *Fratrem Ioannem Stronconium B. Paulutij Fulginatis discipulum, & in Vicariatu super cænobiola paupercula, & humilia, inchoatæ nouæ congregationis de Obseruantia Successorem, primùm à Nicolao Perusino Ministro Prouinciæ S. F; deinde ab Henrico Gen: Ministro deputatum.* Et ad annum 1418. n. 10. inquit. *Successit Stronconio in regimine, per Prouincias S. Angeli, & Calabriæ. Fr. Thomas Florentinus laicus, Vir pius & prudens.*

10. Hic Gen: Antonius à Pireto præter insignem S. M. Angelorum Ædem, vt diximus supra n. 7. Alteram etiam ad Sacrũ Montem Aluernæ, donauit filiali Ordini Obser: iam tunc florere incipienti: vt ex Wad: colligi potest ad annum 1420. n. 16. inquiente. *Hoc anno vel anteriori deuenisse, in potestatem Obseruantum Sacrum Conuentum Montis Aluernæ.* Quod deducit ex Diplomate Martini V. confirmante donationem certæ Ecclesiæ Parochialis:

cuius

cuius primam donationem primitiuis Patribus Min: Con: datam, fuisse memorans infra subdit. *Donatio hæc facta est PP. Conuentualibus sub Alexandro V. ratamq́; habuit Ioannes XXIII. Successor, cui nouum robur adijci curarunt hoc anno Obseruantes.*

11. Huius Min: Gen: tempore fuit S. R. E. C. tit: SS. XII. Apost: ab Innocentio VII. creatus Petrus Philaretus Cretensis, postea Summus Pontifex Alexander V. dictus in anno 1409. quo alterum Minoritam S. R. E. C. creauit Petrum Comitem de Fuxo, cui etiam Benedictus XIII. Anti-Papa hanc dignitatem Cardinalitiam contulerat; ex Wad: anno cit: n. 17. hic obijt Auinione sepultus apud Min: Con: & Alexander V. Bononiæ etiam apud Min: Con: vt patet ex Rodulph.

12. VIGESIMUS NONUS Min: Gen: Fr. Angelus Saluettus S. T. D. Minister Etruriæ: electus est Foroliuij, anno 1421. iuxta fidem Wad: n. 9. Tempore huius Gen: insigniter promota fuit noua congregatio Obser: præsertim in Hispania, per ingressum Doctorum & Illustrium Virorum, ex primicerio Ord: Min: Con: ad nouellam Obseruantiam transeuntium: vt Wad: ad cit: annum non obscurè edisserit: recolens Fratrem Joannem de Toleto, in Decretis Baccalaureum his verbis. *Qui per annos decem laudabiliter inter PP. Conuentuales vixit.* A Martino V. obtinuerat diploma, vt cum quinq; Religiosis Regularis Obser: in Eremitorio commorari posset: tum Alphonsum Boroxium S. T. D. qui vt Wad: cit: asserit. *Vir doctus & egregius Concionator, inter PP. Conuentuales olim Prouinciæ Castellæ Minister: cuius insigni doctrina, asperum vitæ genus tantam conciliauit fidem, vt vndiq; ad eum concurrerent omnis generis homines, & Principes: tanquam ad diuinum oraculum. Mirum in modum auxit hic nouam hanc Regularis Obseruantiæ familiam, Vicarij Prouincialis munere annis quindecim perfunctus.*

13. Hic Gen: Angelus Saluettus rexit Ordinem annis duobus, Mensibus quinq; : obijt Senis, anno 1423. ibidem sepultus apud Min: Con: eius loco substituit Pontifex Martinus V. Fratrẽ Antonium de Massa S. T. D. Virum doctissimum, & insignem Verbi D. Concionatorem.

14. TRIGESIMUS Min: Gen: Fr. Antonius de Massa S.T.D. electus Ferrariæ, anno 1424. Pontifici Martino V. ob eminentem doctrinam, & singularem in declamando facundiam gratissimus; ob quam causam omnia in eum facilè coierunt Capitularium suffragia, vt testatur Wad: eodem anno n. 7. Sub hoc Gen: inclaruerunt multi Viri graues, virtute & pietate illustres, qui vt dicit Wad: ad annum 1426. n. 10. *Regularis Obseruantiæ infantiam multipliciter fouerunt, & ad prouectiorem statum prouexerunt.* Inter hos singulare erat tunc Bernardini Senensis nomen: cuius aucta peruagataq; latiùs fama, tantam ei per vitæ sanctitatem, perpetuam prædicationem, & prodigiorum patrationem, apud omnes præcipuè Principes conciliauit æstimationem; vt ei facilè fuerit longè latèq; vbicunq; ei placeret, recentis & nouellæ familiæ diffundere institutum: vt non immeritò formam & Ordinem eidem, post Paulutianam dedisse, ab omnibus existimetur; & in Poloniarum Regno, à nomine Bernardini nuncupetur.

15. Hinc absq; veritatis iactura subsistere potest, illa communis Auctorum censura asserentium; Franciscanos Conuentuales à S. Francisco, & Obseruantinos in Polonia Bernardinos à S. Bernardino ortum, & institutum suum deriuasse. Hunc sensum ab ipso veritatis fonte pullulantem multi insignes acceptant Auctores. Ricciolius Ferrariensis Scriptor insignis è Societate Jesu, in sua Chronologia reformata Tom: 3. par: 3. catalog: 6. de fundationibus Ordinum militarium, & Claustralium, ita scripsit: *Franciscanorum Conuentualium Ordo à S. Francisco Assisinate institutus anno 1207. vel vt habet Genebrandus 1209. confirmatus est anno 1212. ab Innocentio III, & ab Honorio III. anno 1223.* Et procedendo Ordine temporum, deueniens ad suum annum ait: *Minorum Obseruantiæ Ordo dictus Lignipedum, seu Soccolantium institutus, à S. Bernardino Senensi circa annum 1400. reformante Ordinem S. Francisci.* Item Spondanus Annalista Ecclesiasticus, eundem ortum tradidit sub temporibus S. Bernardini: nam anno 1419. n. 5. sic ait: *Hic autem est à S. Bernardino, qui Monasteria Fratrum Minorum, quos ab antiqua S. Francisci seueritate sensim recessisse videbat, ad veterem disciplinam reuocandam adduxit, vnde diuisio facta dicitur Conuentualium, & Obseruantinorum, qui Bernardini reformationi adhæserunt.*

16. Aduertendum tamen est dùm communiter Auctores, S. Bernardinum Ord: Obser: vocant inceptorem, Institutorem, & Fundatorem; hoc non est intelligendum de prima omninò inceptione, seu temporanea inchoatione fundationis; sed de inceptione multiplicationis, & propagationis; formaq; & Ordinis initio attributionis: Clarum enim est ex præcedentibus a Paulutio laico, principium ortus Ord: Obser: deriuatum fuisse, quantum ad primam in tempore inchoationem; à S. autem Bernardino, quantum ad multiplicationem & propagationem; ampliorémq; Reformationem, & ad eum modum, quo diximus Art: 2. n. 8. Ecclesiam S. M. Angelorum esse principium, Matrem, & Caput, inchoationis instituti Franciscani. exinde desumendam inchoationis moralem appellationem; vt enim B. Joannes Capistranus Bernardini contemporaneus, eiusq; strenuus canonizationis Promotor, ac vitæ Scriptor, apud Sedulium Obser: cap: 19. Comment: inquit: *Tempore quo S. Bernardinus Religionem ingressus est, erant in Italia vix centum triginta Fratres Ordinis de Obser: nuncupati, tempore sui transitus multiplicati fuerunt ad ampliùs quatuor millia.* Vndè rectè Wad: de exordio Ord: Obser: ad annum 1456. n. 107. protulit hæc verba. *Verum est humilem hanc plantulam primitùs à Paulutio Fulginate satam, à Bernardino Senensi, alijsq; coadiutoribus rigatam, multipliciter germinasse.*

17. Auxerant etiam hoc tempore non mediocri incremento adolescentem familiam Obser: nonnulli Conuentualium Alumni, de senescentis instituti communitate transuolantes, & adolescentulæ familiæ Obser: nomina sua subscribentes. Ex his fuere Viri doctissimi Prædicatores celeberrimi, in S. Theologia Magistri, quos Wad: recenset ad annum 1427. n. 16. Et tanta fuit Conuentualium multitudo, nouum amplectentium institutum, & controuersiæ locum dederit ad quem Conuentum spectarent libri, ornamenta & alia mobilia Fratrum, qui vt dicit Wad: ad cit: annum n. 43. *Ex Conuentualibus ad Obseruantes transibant: an scilicet ad Conuentus à quibus discedebant, an verò ad illos, in quibus degebant?* Et opus erat Pontificia resolutione, quam dedit Martinus V. in diplomate quod incipit *Ad hoc cura* Dato 3. Idus Maij.

 18. His

18. His initijs via & forma nouella familia posthumo nouæ prolis fetu multiplicata, breui excreuit suis sub Vicarijs, à Ministris Gen: Con: sibi concessis; sub quibus vt maiora Obseruantiæ incrementa non vetare, sed potiùs promouere viderentur; totum regimen tenellæ familiæ commiserunt, vt diximus supra n. 9. Sed mox huius indulgentiæ eos pænituit, aduertentes proprios eorum Vicarios, à Corpore Religionis auelli; & in multis locis ad modum sui instituti seorsiui separari, vt ad annum 1429. n. 8. liberè fatetur Wad: in hæc verba. *Insurrexerunt hoc anno, aliqui ex Patribus Ordinis in familiam Obseruantium, ægrè ferentes in multis locis eos à Corpore Religionis paulatim auelli; institutis proprijs Vicarijs.* Quamobrem anno sequenti 1430. in Capitulo Assisij Præsidente Joanne Cardinale celebrato: quod vt ait Rodul: pag: 243. *Fuit primum Capitulum Generalissimum, in quo Conuentuales & Obseruantes simul conuenere, vocemq; tum actiuam tum quoq; passiuam, & isti & illi habuerunt.* Omnes Vicarij Obser: suppressi fuerunt, & tota familia Obseru: immediatè Ministro Gen: Con: (non obstante etiam Decreto Constant.) auctoritate Martini V. remansit subiecta, vt Wad: refert ad cit: annum n. 5.

19. Tempore huius Gen: asserit Wad: ad annum 1426. n. 7. creatum fuisse ex Minoribus à Martino V. S. R. E. C. Antonium Auenionensem S. T. M. Tandem hic Gen: ob suam facundiam à Martino V. Prædicator Apostolicus institutus; ostendit facto quàm sint diuersæ artes è rostris declamare, & ex alto regere: Variæ namq; corruptelæ & abusus, sub regimine eius irrepserant: Vir placidus & vltra modum benignæ naturæ fuit; omnibus cóniuebat, nec quidquam magis ei placebat, quàm nemini displicere, vt non immeritò vocaretur de Massa, tanquam farina aqua subacta. Et ideò dicit Rodul: pag: 196. b. quòd fuerit munere Generalatus priuatus; & Wad: ad annum 1424. n. 7. quòd fuerit è Ministerio reuocatus. Et anno 1430. n. 5. quòd fuerit ab officio amotus; Sed hæc sana mente sunt intelligenda, non quòd fuerit priuatus, & ante completum suum officium, ab eo in pænam amotus (ipse enim integro sexennio rexit Ordinem) sed quia fuit clementiæ emollientis, & pietatis plusquàm expediebat condescen-

scendentis, & dissimulantis; quo regendi modo habenas obseruantiæ remittebat, ideoq; non priuatus, sed in eo capitulo non reelectus fuit; pro honore tamen & suæ doctrinæ dignitate, factus fuit in Patria sua Episcopus Massanus, & ad Imperatorem Constantinopolitanum de Vnione Ecclesiæ Græcæ cum Latina Prænuntius Pontificius, ante Generalatum ad quem a Pontifice per dispensationem fuit commendatus ita Wad: anno 1424. n. 6. & 7.

ARTICVLVS XIV.

In quo XXXI, XXXII, XXXIII, Min: Gen: exscribuntur. Priuilegia Apostolica, antiquis Conuentualibus paupertatem temperantia recensentur. Vniuersalis separatio filialis Ord: Obser: à Matrice Relig. Min: Con: deducitur.

1. TRIGESIMVS PRIMVS Min: Gen: Fr. Gulielmus de Casali S. T. D. electus est Assisij anno 1430. Hic ex Wad: ad cit: annum n. 5. fuit vir doctus, facundus & tantus. *Quòd Obseruantium familiam valde semper dilexerit, & frequenti beneficiorum obsequio sibi deuinxerit.* In his comitijs Assisij celebratis facta fuit vnio inter Conuentuales & Obseru:, quæ vt firmius subsisteret, auctoritate Pontificia sublati fuerunt omnes Vicarij Obser: & omnes eiusdē familiæ Obser: fratres fuerunt subditi & submissi immediatæ obedientiæ Ministrorum Conuentualium. Conscriptæ etiam erant Auctore Joanne Capistrano, variæ obseruationes in 12. Regulæ partitiones: quibus vtraq; tam vetus, quàm recens familia assenserunt: quorum singulos, ad eas seruandas, iurejurando Card: Legatus Capituli præses adstrinxit: ampliùs Gen: Min: Gulielmum induxit, vt Sacramentum diceret, se à pactis Sacro S. stabilitis, nullo tempore absolui petiturum. Sed non priùs dissoluta comitia, quàm maturiùs expensis statutis, cæperint plurimi ex Capitularibus pænitere, ita vt interpellarent Capituli Præsidem, se omninò teneri nè laquearet eorum animas, à præstito Sacramento absoluere; iusjurandum ergo relaxauit Præses, pro firmiori tamen Decretorum executione, ipsum Conditorem Capistranum, Mini-

stro

ſtro Gen: Socium adiunxit, vt eius impulſu & conſilio, ſecundũ ſancita vniuerſus reformaretur Ordo.

2. Ita terminato Capitulo, & dimiſſis electoribus; Gen: Min: cum ſuo collaterali Capiſtrano, cæperunt multa corrigere, abuſus & corruptelas præſcindere, proprietatem reſecare: ſed quia aduertit Min: Gen: Gulielmus Joannis Capiſtr: principalem ſcopum & intentum fuiſſe, vniuerſum Ordinem, ad eandem reformationis paritatem & æqualitatem reducere, in qua Conuentuales renunciatis ſuis Priuilegijs Apoſtolicis, abdicatis bonis immobilibus poſſeſſionibus, & annuis redditibus, in accidentalibus paupertatem Regulæ S. F. modificantibus, quaſi poſtliminio primæuam reaſſumerent Obſeruantiam, & cum nouis Reformatis eandem ſubirent Reformationem: à tali Reformatione deſtitit Gulielmus, & de antiquo ſtatu, veterem Conuentualium noluit deturbare Communitatem; quòd agnoſcens Wad: ad annum 1430 n. 13. hæc de Gulielmo protuli verba.

3. *At citò deferbuit in Miniſtro zelus, & feruor: perfunctoriè agebat, quæ ſimulare non poterat, modò Conuentualibus, modò alijs obſecundans: palam præferens reformationis conatum, clam prætermittens neceſſaria. Diligebat porrò ſtrictioris vitæ Sectatores, ſed laxiores contriſtare nolebat, vndè noui Schiſmatis origo, perſeuerantibus veteris diſcordiæ ſeminarijs. Commouit ampliùs Obſeruantes, quòd ex decretis aliqua irritari, alia mitigari ſeq; à præſtiti iuramenti nexu ſolui, Gulielmus curauerit, atq; vltra hæc Diploma impetrauerit, quò Pontifex indulſit, vt Fratres recipere & poſſidere poſſint bona mobilia, & immobilia, legata quæcunq; vltimis tabulis conſcripta, admittere fructus, redditus, prouentus, per procuratores petere & exigere.*

4. Huius autem diplomatis à Martino V. pro primitiuo Ord: Min: Con: ad inſtantiam huius Gen: editi, atq; ad ipſum Min: Gen: directi, quod incipit. *Ad ſtatum Ord: Min* fragmentum ex Wad: ad cit: annum n. 26. ſubijcio in hæc verba. *Nos volentes Conuentuum, locorum, & Fratrum huiuſmodi opportunitatibus prouidere; tibi, donec aliud à Sede Apoſtolica fuerit Ordinatum, concedendi procuratoribus Conuentuum & locorum dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus,*

vt possessiones & bona quæcunq; mobilia & immobilia, ac annuos prouentus, hactenus præfato Ordini & eius Conuentibus relicta, & in posterum relinquenda, aut alijs Nominibus acquisita, vice, & nomine Romanæ Ecclesiæ, ad quam omnium rerum mobilium, & immobilium huiusmodi ius, proprietas, & dominium nullo medio spectat, recipere, capere, tenere, & possidere ; ac ipsorum fructus, redditus, & prouentus petere, & exigere, & percipere ; illosq; in commodum & vtilitatem Fratrum ipsorum, Conuentuum, ac locorum, & alias in eorum vsus, quibus relicta & deputata fuerunt dumtaxat, & de ipsorum Fratrum consilio, requisitione, & assensu, conuertere, & exponere possint, & debeant. Constitutionibus Apostolicis ac Statutis, declarationibus, & ordinationibus tàm Generalium, quàm Prouincialium Capitulorum, consuetudinibus quoq; Ordinis prædicti, & alijs in Contrarium editis non obstantibus quibuscunque, plenam & liberam auctoritate Apostolica concedimus, tenore præsentium facultatem, ac etiam potestatem. Datum Romæ apud SS. Apostolos X. Kal. Septemb. Pontificatus Nostri anno XIII.

5. Profectò ex his immediatè dictis, tum Art: 9. n. 27. relatis erubescere deberet, si haberet frontem Petrus Marchan:, nisi in stylo expos. Reg. potiùs exspoliationis, honoris fraterni Virtutem, fidem, existimationem amisisset vbi hanc vnicam veritatem in propatulo euidentem. (Quòd primitiui Conuentuales habuerint Priuilegia Apostolica, eis votum paupertatis in accidentibus: illam accidentaliter modificantibus, temperantia & mitigantia) in multis locis sine ratione & probatione falsauit, ita vt ei non fuerit difficilè, effictis fabulosis principijs mendaces statuere Conclusiones vt pag: 24. conclus: 1. inquit. *Nulla vnquam Priuilegia Regulæ relaxatiua fuerunt recepta, à Corpore toto Ordinis.* Et pag: 52. *Corpus tamen Ordinis cum Capitibus, semper pro Regula Obseruantia stetisse: nec Priuilegia manifesta contra Regulam agnouisse, aut recepisse.* & pag: 498. *Ministri Gen: à tempore S. F. in officio tolerati, nec redditus, nec Priuilegia contra Regulæ puritatem admiserunt, aut permiserunt.* & pag: 514. *ex dictis constat.* 1mò *Omnes Gen: à S. Francisco vsq; ad Leonem X. ex Viris perfectissimis & Regulam ad literam profitentibus, esse assumptos.* 2dò. *Omnes manutentioni Obseruationis Regulæ, ad literam operam diligenter nauasse, præter F. Heliam & F. An-*

tonium de Maſſa: quos quia Relaxationes inducebant, Ordo non tolerauit, ſed abiecit, ac Officio priuauit. 3tiò. *Nullum ex ipſis (præter duos illos) Priuilegia contra paupertatem, ſiue in redditibus, ſiue in pecunijs approbaſſe, aut admiſiſſe.* & pag: 516. *Communitas Ordinis nunquam redditus aut Priuilegia, contra paupertatem & Regulæ puritatem admiſit.*

6. Hæc licet ſint Moyſaico ſtylo relata, id eſt dicta non probata, non tamen Moyſaico ſpiritu nobis reuelata, ſed à ſpiritu mendacij palàm mutuata. Jam clarè demonſtrauimus in Art: 9. & clariùs Art: 32. primitiuos Min: Con: Priuilegia Apoſtolica, ſeueritatem accidentalem paupertatis Regularis temperantia, à multis Pontificibus conceſſa admiſiſſe, & ideò Reformationes in Ord: pullulaſſe, quæ fruſtraneæ eſſent Priuilegijs non admiſſis. vt ex dictis ſatis conſtat. Et Laertius Cherubinus collector & ſummator Bullarij magni Tom: 1. pag: 46. Summando Bullam V. Honorij III. quæ incipit. *Solet annuere.* Dat: Laterani 3. Kal: Decem: Pontif: anno VIII. qui fuit annus 1223. his teſtatur verbis. *Primus Ordo eſt horum Fratrum Minorum, qui huius Regulæ ſtricta obſeruantia omiſſa, vixerunt iuxta priuilegia obtenta à Sede Apoſtolica, & nomen Conuentualium ſortiti tempore Innocentij IV.* Sed non ſolùm hac in re Marchantius palàm falſus eſt ſed etiam in modo rei & dicendi, decipiendo feraliter fallax; dùm aſſerit Priuilegia Apoſtolica Regulæ relaxatiua, & eſſe contra Regulam, & contra Regulæ puritatem, & contra Regularem paupertatem fuiſſe conceſſa: cum conſtet Priuilegia Apoſtolica non relaxare Regulæ ſubſtantiam, neq; eſſe contra ſubſtantiam Regularem, neq; contra puritatem, & paupertatem Regulæ ſubſtantialem, ſed dumtaxat contra modificantem ſeueritatem, paupertati accidentalem, quàm laxant, temperant, & reſoluunt inuariata Regulæ, & vototum Regularium perſeuerante ſubſtantia. Eccleſia namq; per Priuilegia Apoſtolica Votorum Regularium ſubſtantiam, in eſſentialibus non minuit, neq; contra Subſtantiam Regulæ, & eſſentialem Statum Religioſum Priuilegia concedere ſolet; alias hoc ſuppoſito quod Marchantius ſiue ex ignorantia, ſiue ex malitia effutit: exindè ſequi neceſſe eſſet, omnes Religioſos Ordines: per Concil: Trid: à modificantibus accidentaliter paupertatem, abſolutos, & diſpen-

dispensatos (cùm substantiam essentialis voti paupertatis non seruarent) non esse veros Regulares, & Religiosos: & sic in Ecclesia Dei nullus esset Ordo, absolutè & essentialiter Regularis & Religiosus; exceptis domibus Capucinorum, & eorum qui de Obseruantia vocantur; quod non solum est ridiculum sed & blasphemum; quia ipsamet Ecclesia per Priuilegia Apostolica deformaret Ordines Regulares, & in suo essentiali statu non conseruaret; & sic per Ecclesiam dicerentur Ordines Regulares deformati, & deflorati, non conseruati & confortati, potiùs deturpati, & diminuti; quod est impium, nedum asseuerare, verùm & cogitare.

7. Et quia fictum in nulla parte sui potest esse verum, & reale; ideò præcedentibus falsis Marchantius sequentia addit cōmenta: asserens ex dictis, & ab eo recensitis Gen: constare omnes à S. F. Obseruationi Regulæ ad literam diligenter incubuisse, præter Heliam & Antonium de Massa; qui Priuilegia contra paupertatem, in redditibus siue in pecunijs approbarunt, & admiserunt. Sed suus Generalium recensus, præter eorum nuda nomina, & confusam ac genericam relationem, nihil in specie, & indiuiduo, eorum quæ dicit probat, vel ostendit, licet enim omnes Gen: à S. F. ita Regulæ eius studuerint, vt abusus & malas corruptelas, ab Ordine Franciscano, ac zizania ab agro Dominico resecare, & eradicare, diligenter non dubitauerint: tamen Priuilegia Apostolica, bona stabilia, & redditus annuos concernentia, nunquam repudiare curarunt, excepto vno Gondisaluo Min: Gen: XIV. cui an successerit intentum & ob quam rationem id fecerit. Videndus est integer Art: IX. Falsum etiam est quòd nullus Min: Gen: Priuilegia Apostolica procurauerit vel probauerit, vt hucusq; vidimus a S. Bonau: incipiendo, vsq; ad modernum Gulielmum de Casali: qui non solum præcedentia Priuilegia acceptauit, probauit, verum etiam a Martino V. vlteriora procurauit, vt probauimus manifestè. Deinde falsum est quòd Antonius de Massa pari via, & modo, procurauerit Priuilegia sicut Helias; vt enim verum est Heliam subreptitia Priuilegia procurasse vt cit: Art: concessimus, ita falsum Antonium de Massa aliqua Priuilegia Apostolica de nouo impetrasse, vel probasse, vt nugatur Mar-

chan:, nullam probationem horum Priuilegiorum à Massa impetratorum, vel approbatorum adducere valens: sed vt sui moris est nudè ementita proferens. Qualis autem Vir fuerit Antonius de Massa, quem tam iniquè & falsò sugillat March: dicet Wadin: ad annum 1424. n. 7. in hæc verba. *Ea fuit Pontificis* (Martini V.) *de homine opinio, vt cùm Imperator Constantinopolitanus Legatum misisset de vnione Ecclesiæ Græcæ, cum Latina acturum, ille ad eundem non alium quam Antonium hunc remiserit, sententiam illius circa postulata exploraturum.*

8. Tandem decedente Martino V. & succedente Eugenio IV. cuius summa beneuolentia, magnopere creuit vt Wad: ad annum 1431. asserit. *Obseruantiæ germen nouellum*, a quo multa eaq; suum Ordinem Obser: in statu proprio, & seorsiuo collocantia, obtinuit Priuilegia; Et imprimis ei indulsit vt Rodul: pag: 243. refert & Wad: ad annum cit: n. 5. in hæc verba. *Facultatem indulsit, comitia Generalia separatim à PP. Conuentualibus Bononiæ, circa festa Pentecosten ad S. Paulum celebrandi; & constituendi, sibi sui instituti Vicarios, quales ante Capitulum Assisij deligebant.* Ea Religionis partitio, multum concussit animos primiceriorum PP. Min: Conuentualium. Quapropter in Capitulo Gen: anno 1433. Bononiæ celebrato disceptatum est, vt huiusmodi dispartiti regiminis alueus, & in profluentem assurgens, ad proprium fontem, è quo effluxerat conuerteretur. Et actum fuisset, nisi fauores Regum, & Principum, per nouam familiam eblanditi, sua interpellatione apud Sedem Apostolicam obstitissent: ingenuè fatente Wad: ad annum 1433. n. 11. *Actum est de modo regiminis Regularis Obser: enixè contendentibus PP. Conuentualibus, sibi per omnia debere subijci, iuxta Decreta Capituli Assisiatis Auctoritate Apostolica confirmata, neq; alias reuocata. Grauiùs hæc vrgebant contra Obseruantes Prouinciæ Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ tanquam diuisionis auctores, & Constitutionum sub Martino editarum (quæ propterea Martinianæ dictæ sunt) contemptores. Similiter contra Frēs Hungariæ & Bosnæ; & demum contra Hispanos qui Gallis adhæserunt processum est, per graues interminationes, vt Prouinciarum Ministris se in omnibus subijcerent. Sed Galli Carolum Regem multosq; proceres, & Hungari Sigismundum Imperatorem, Hispani*

Hispani

Spani Ioannem Regem, & Reginam Mariam habuerunt fautores, quorum ope & fauoribus annis sequentibus obtinuerunt illud, qualecunq; Concilij Basilien: Decretum, & alia Eugeniana: quibus confirmatum est Decretum Concil: Constant: & pristinum suum regimen restitutum est Obseruantibus.

9. Huiusmodi fauorum à familia Obseru: tunc eblanditorum, meminit Concil: Basil: anno 1435. celebratum, vt sub eodem anno n. 13. refert Wad: *Sanè nuper pro parte charissimi Ecclesiæ filij Caroli Regis Francorum, nec nonnullorum dilectorum Ecclesiæ filiorum, Guardianorum & Fratrum Conuentuum --- Ord: Frum Minorum intra Prouincias Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ, iuxta modum dicti Ordinis &c.* Ad horum igitur Principum & Dynastarum fauorosa vota, præfatum Concil: Statuta & ordinata in Capitulis Gen: Assisiensi, & Bononiensi, successiuè & nouissimè celebratis, laudata & sancita irritauit, & Statuta Concil: Constant: pro antedictis tribus Prouincijs in suo robore, pleno vigore & firmitate, persistere debere decreuit. Antecedenter etiam Eugenius IV. in fauorem Obseruantinorum vt refert Wad: ad annum 1431. n. 3. *Irritas esse declarauit omnes modificationes, & relaxationes: quas Martinus prædecessor adhibuit Constitutionibus Capituli Assisiatis, Gulielmum Gen: Ministrum, ad statutorum Obseruantiam obligari voluit, & iuramenti præstiti dispensationem reuocauit; graui hoc edito constituto* quod incipit *Vinea Domini.* Sed hæc omnia paulò post idem Pontifex sustulit cit: teste Wad: n. 4. inquiente. *At bonus Pontifex his non obstantibus: Ministri Gen:, & aliorum precibus victus, anno sequenti 4. Kal: Maij Bullam hanc reuocauit, modificationes approbauit, & eundem Generalem à iuramenti vinculo absoluit.*

10. Eugenius ergo IV. anno 1432. vt Wad: testatur n. 42. *Confirmauit literas eiusdem,* (id est Martini V.) *circa prouentus, redditus & bona immobilia habenda, propter quod diximus magnas exortas fuisse dissensiones in Religione.* Hoc autem diploma quo primicerio Ordini Min: Con: Eugenius IV. confirmauit bona stabilia, annuos redditus, & possessiones à Martino V. concessas, cæsim hic subiicio quod incipit *Apostolicæ Sedis prouidentia. Sanè dudum per fel: rec: Martinum Papam V. &c. Ministro Gen: dicti Ordinis pro tē-*

pore existenti &c. concedendi Procuratoribus Conuentuum &c. vt possessiones & bona quæcunq; mobilia & immobilia, ac annuos prouentus &c. possidere ac ipsorum fructus, redditus, &c. percipere &c, conuertere, & exponere &c. liberam per quasdam suas literas concessit facultatem &c. Nos igitur &c. factas declarationes, relaxationes, additiones, & modificationes &c. declaramus priores literas prædecessoris &c. illas tanquam per nos ratas, habitas &c. confirmamus &c. & in suo pleno robore &c. Volumus permanere. Datum Romæ apud S. Petrum Anno &c. 1432. 14. Kal: Maij.

11. Animaduertens autem Min: Gen: primicerij Ordinis Min: Con: Gulielmus de Casali recentem familiam, iam in multis Regnis per diuersas Prouincias diffusam, à Matrice & originaria Min: Con: Religione paulatim desciscere, eamq; alterius & distincti corporis, à primordiali Ordine non leuibus indicijs præsentiens speciem præseferre: tum Eugenium IV, Regum, Principum, Ducum, & Dynastarum, fauoribus stimulatum, vicarium caput pro absoluto regimine, & seorsiua ac exempta congregatione, eis subolfaciens præfecturum; hæc tanta præoccupans meditamenta: Bernardinum Senensem, qui vices suas summa obiret potestate, primum Vicarium & Commissarium, super omnes Regularis Obser: professores in Prouincijs Italiæ anno 1438. instituit suis authenticis talia scribens. *Quocirca discretioni tuæ, ad meritum obedientiæ salutaris districtè præcipio, & iniungo, quatenùs dictum Vicariatûs vt Commissariatûs Officium, per me tuis humeris impositum, sic prouidè, sic solicitè, sic vigilanter quò ad præmissa studeas exercere; quod nequaquam de negligentia argui, sed de diligentia merito valeas commendari.* Hæc Vicaria Bernardini præfectura grato nuntio animum Eugenij IV. exhilarauit, quam auctoritate Apostolica supplendo omnes & singulos defectus, si qui in eius institutione interuenerint, confirmauit, iuxta Wad: cit: anno n. 5. & 6.

12. Hic Bernardinus in ea forma & Ordine, quem dedit familiæ Paulutianæ, primus dici meretur, post præcedentes laicos Ordinis Obser: Vicarius; quem validè confirmauit, consolidauit, & auxit, vt diximus Art: 13. n. 16. Enimuerò eo auctore, studium literarium in Ordinem Obser: introductum est; hoc enim institutum

tutum vti à Paulutio laico Conuentuali cæptum; viro simplici, ac omnis literaturæ & eruditionis experte; plùs à principio studebat rebus cælestibus contemplandis, quàm Philosophicis, aut Theologicis disciplinis addiscendis. Humilitatem & sæculi fugam, quàm maximè meditabatur: timebat per inflantem scientiam posse profligari, ac sacrarum semina virtutum, propter inanem Bullam popularis auræ sterilescere. Bernardinus ergo Senensis congregationis primus moderator, animaduertens plurimos ex Obseruantinis, a Principibus ad conscientiæ arcana adsciscì, voluit idoneos reddere: instituto Theologiæ Moralis studio, in Conuentu Montis, extra Vrbem Perusij. Deinde ad aliorum instigationem, Eugenius Pontifex præcepit, vt Scholas aperirent Theologiæ Scholasticæ, & Juris Canonici. Hæc Wad. refert ad annum 1440. n. 28. sic incipiens. *In familia Obseruantum, pauci erant viri docti, præter eos qui è Conuentualibus transierant, aut in sæculo, ante susceptam hanc vitæ rationem, literis operam dederant.*

13. Tandem moritur Gulielmus à Casali Min: Gen: Florentiæ anno 1442. collachrymantibus qui aderant vt refert Wad: *Fratribus tum Conuentualibus tum Obseruantibus.* Sepultus est Florentiæ apud suos Fratres Min: Con: Eius in loco instituitur à Pontifice Vicarius Gen: Albertus Sartianus Ex-Conuentualis: qui à Conuentualibus transierat ad Obseru: Hac autem ratione in Vicarium totius Ordinis Gen: eum substituit Pontifex: Mortuo Ministro Prouinciali Prouinciæ S. Antonij: Albertum in Comitijs Prouincialibus; miro omnium consensu Conuentuales in Ministrum Prouincialem illius Prouinciæ elegerunt: Eo nuntio vt Wad: ad annum 1442 n. 3. inquit. *Nihil gratius renuntiari potuit Pontifici, qui exploratas habuit hominis virtutes, & prudentiam: atq; hinc agnoscens omnium, tum Obseruantum, tum Conuentualium erga eũ propensionem, Vicarium Gen: totius Ordinis instituit; ita sperans animorum concordiam, & perfectam Religionis vnionem, quam valdè cupiebat, secuturam.* Bernardinus etiam Senensis vt ad eundem annum n. 2. inquit Wad: *Pertæsus Vicariæ potestatis, quam annis quinq; in Obseruantes inuitus exercuit, & ægerrimè admisit, summis precibus rogauit Pontificem, vt exonerari permitteret; causas exponens grauis senectutis,*

ctutis, liberæ prædicationis, & mortis propinquæ. Quod aliàs negauit, conceſſit Eugenius, Viro Sanctiſſimo complaciturus. Alteri noluit Officium committi, donec eſſet qui vniuerſum Ordinem gubernaret. Quod autem dicit Wad: anno 1441. n. 39. S. Bernardinum curis oppreſſum, & ſenectâ grauatum, diplomate fultum Pontificio: Joannem Capis: in partem laborum adſciuiſſe; & Viſitatorem ac Commiſſarium Fratrum Regularis Obſer: inſtituiſſe: ei Rodul: pag: 200. contradicere videtur, dum eodem anno à Miniſtro Gen: Gulielmo à Caſali, Capiſtranum in tota Italia, ſuper Fratres de familia Vicarium aſſerit fuiſſe inſtitutum, & non à S. Bernardino.

14. TRIGESIMUS SECVNDVS Min: Gen: Antonius à Ruſconibus S. T. D. electus Patauij anno 1443. vt refert Wad: ſub eodem anno n. 3. inquiens. *Habita ſunt hoc anno Comitia Gen: bis mille Fratrum, vtriusq; familiæ Conuentualium, & Obſeruantum: in Vrbe Patauij; Præſidente Alberto Sartianenſi Ordinis Vicario Generali. Hunc cupiebat valde Pontifex Eugenius in Miniſtrum Gen: aſſumi; iudicans neminem vtriq; parti prudentiùs & amabiliùs imperaturum quàm qui inter primos annis multis educatus, inter ſecundos, absq; querela ſit laudabiliter conuerſatus. Illi tamen non potuerunt adduci, vt ex his quemquam ſibi vellent præficere; indecorum putantes ex nupera familia, ſibi Superiorem adſciſcere, & aſſuetæ licentiæ, noxium rigidioris diſciplinæ zelotem, præfectura donare.* Frequentes hæ ſunt apud Wad: in Conuentuales arietandi artes, conſuetam licentiam & laxiorem vitam eis obijcientem; ſed nullus tenetur vltra promiſſa altiora ſe quærere, & ſecuriores ſunt Conuentuales laxiorem vitam, iuxta promiſſa ſeruantes, quam illi qui multa promittunt vt Medici; ſed promiſſorum dumtaxat ſunt in verbo ſolo nomine Obſeruantes. Pergit vltra cit: Wad: *Tumultuantes cohibuit Bernardinus Senenſis, conſtanter aſſerens neq; Albertum dignitatem ambire, neq; ex ſua familia alterum aſſumendum.* Coincidit in idipſo Rodul: extra puncturam referens pag: 24. *Capitulum anno 1443. die 14. Aprilis perficitur Paduæ, quo tempore periculoſum fuit Schiſma, & graues inimicitiæ vndiq; ſuccreuêre; Siquidem fuerunt duo Pontifices, duo Concilia, duo Generales, duo Capitula Gen: & duo Prouinciales Miniſtri in*

Boe-

Boemia. In hoc Capitulo interfuit B. Bernardinus Senensis, cuius consilio facta est tranquillitas magna. Volebat siquidem Eugenius Pontifex Max: quòd Fr. Albertus de Sartiano esset Generalis totius Ordinis: cui se opposuerunt Conuentuales. D. Bernardinus obtinuit quòd nullus ex Fratribus, de familia haberet vocem passiuam, in promotione Generalis, vnde Fr. Albertus fuit exclusus. Hoc idem confirmatur in firm: 3. Ord: fol: 4. ante Calcem in Epist: Chambonis in primo malo his verbis. *Nec S. Bernardinus Officium Vicarij Gen: voluit exercere, nisi de mandato Generalis, & non vi Bullæ. In electione Generalis, dum locum teneret cuiusdam Ministri absentis: non elegit Frēm Albertum de Sartiano, qui erat de Bulla, sed alium de Ordinis gremio, & communitate, propter quod dicti de prouisione, S. Bernardinum reputabant Conuentualem.*

15. Adeò Vir S. Bernardinus primicerio & originario Ordini S. F. Min: Con: fuit addictus; vt nunquam toto vitæ suæ tempore, ab eius obedientia & Communitatis vnitate, voluerit esse auulsus: optimè callens ex August: Obedientiam esse Matrem Custodemq; omnium, ac singularum virtutum: proinde nè Bernardini sequaces, maioris specie Obseruantiæ, vel arctioris paupertatis prætextu, ab obedientia primitiua & Regulari, vllo vsquam tempore recederent (obedientia enim ex Joanne XXII. in Extrau: *Quorundam exigit.* de Verb: sig; paupertati, & castitati præstat) heroicum Antesignani in suo Ord: Obser: eis prætulit exemplum, dum Superioribus primitiui Ord: Min: Con:, iam tunc in paupertate per Priuilegia Apostolica modificati, vsq; ad mortem voluit esse subiectus; vt testatur firm: 3. Ord: part: 4. fol. mihi 167. b. de S Bernardino hæc verba depromens. *Qualiter idem S. ipsam exemptionem (iam tempore suo in partibus citra-Montanis dumtaxat inchoatam) semper exosam habuerit, & aliquando talium impetratores acriter redarguerit, dicens; eos Schisma in Ordine tanto gratis posuisse. Qui & suos vltra-Montanos nullatenus vita sua comite eximi permisit; sed in obedientia Regulari viuendo, & ad Capitula Conuentualium humiliter iuxta Regulæ formam conueniendo, ipsisq; in electionibus & alijs licitis assistendo, per omnia parebat, seipsum & suos, locis, &* Regu-

Regulari vita, ac strictiori Regulæ Obseruantia: necnon Obedientia & cura Ministrorum: à deformatis solùm, iuxta Regulæ intentionem congruè separando. Proinde & sermonem de obedientia conscripsit, quem propria manu scriptum, se vidisse dictus Auctor ibidem testatur: quem inseruit eadem 4. part: fol: 74.

16. Huius Obedientiæ perpetuæ, & reuerentiæ filialis S. Bernardini, erga originarium Ordinem Min: Con: veluti fontem scaturientis familiæ Obseruantinæ; Petrus de Cruce Hispanus in Antiminorica, ad Grimanum S. R. E. C. Ordinis Protectorem; hoc notatu dignum affert testimonium, asserens S. Bernardinum Magistro Antonio de Rusconibus Ministro Gen: Ordinis Min: Con: etiam in morte, in signum perfectæ obedientiæ adhæsisse. *Cùm enim* inquit *Aquilæ infirmaretur, fecit se duci ad Conuentum S. F. qui erat sub obedientia Ministri Gen: Min: Con: vt ibi moreretur atq; sepeliretur, sed cùm post mortem eius fratres dicti de Obseruantia, vellent corpus eius transferre ad Conuentum suum: & de facto translatum fuisset, vbiq; terrarum cessauêre miracula.* Hinc subiungit præfatus Pater, quod ex illo Deus ostendit, quanta sit obedientiæ virtus; & quantùm inobedientiam abominetur Diuina Maiestas, & rebellionem, ad proprios Religionis Prælatos detestetur.

17. Delata ad Pontificem electio Antonij de Rusconibus, non minùs sanguine quàm doctrinâ celeberrimi; licet displicuerit Summo Pontifici, ex relatione supra citati Wad: confirmauit tamen electum, sed iussit vt familiam Obseruantum ipsismet cõmitteret regendam, & in duas partes diuisam, citra montes traderet Joanni Capistrano, vltra Joanni Mauberto. Congregatis in Conuentu Senensi, vtriusq; generis partibus: disceptatum est de mensura potestatis huiusmodi Vicarijs tradendæ; & ex decisione Cardinalium, ad hanc causam terminandam, auctoritate Pontificia deputatorum: Statutum fuit Rodul: referente pag: 200. b. *Vt Generales Vicarij eandem prorsus auctoritatem, atq; potestatem, in sibi subditos fratres haberent, quàm & Generales Ministri, ex officio in totum Ordinem obtinerent. Vt Gen: Minister neq; ex literis, neq; ex priuilegio quocunq; prædictorum Vicariorum Gen: officium impedire posset. Tum demùm, vt quicunq; Fratrum de Obser: contra Vicariorum*

Gen: voluntatem, ad PP. Conuentuales transiret, eo ipso excommunicationis pœnam incurreret, quam sententiam Summus Pontifex, latâ Bullâ comprobauit. Ad hanc nouitatem vt idem refert Rodul: pag: 191. *Subortus est maximus tumultus, vulgata enim deliberatio, quasi tonitru magnum, excussit somnum.*

18. Præclarissimam domum Aræ cæli in vertice Capitolij à Matrice Religione Min: Con: transtulit pro dote opima ad filialem Ord: Obser: Auctoritate Pontificia Eugenius IV. anno 1445. vt ad eundem annum n. 23. fatetur Wad: his verbis. *Commissa per vivæ vocis oraculum, Ioanni Episcopo Prænestino, nuncupato Tarentino, & Gulielmo, tituli S. Martini in montibus Presbytero, dicto Andegauensi S. R. R. E. Cardinalibus, auctoritate; vt inde Patres amouerent Conuentuales. His verò aggredi sæpè tentantibus, & nouis incolis molestias aduehentibus, præmissos Cardinales emisso diplomate, instituit Obseruantum ibidem degentium, conseruatores & defensores. Deinde nè per Cardinalium absentiam, aut mortem, deessent qui protegerent, & tuerentur; deputauit perpetuos Aduocatos, Protectores, & defensores eiusdem domus, Senatorem, Conseruatores, & capita Regionum Almæ Vrbis, eisq; commendauit; vt quibus possent modis, commodum, vtilitatem, Conseruationem, & augmentum domus, fratrumq; prædictorum promouerent.* Et quia tunc Matrix Religio Min: Con: exdotati filialis Ordinis impendio, in Vrbe Roma destitueretur (vbi caput reclinaret) suo domicilio, subiungit cit: Wad: n. 25. *PP. verò Conuentualibus destitutis domo in vrbe, & dum non haberent vbi Ordinis Procurator posset Religionis negotia in Curia procurare; Pontifex concessit Fri. Angelo Perusino, tunc Procuratori Generali eiusq; in eodem munere Successoribus, Ecclesiam parochialem S. Saluatoris in vnda nuncupatam, propè Pontemruptum, postea Sixti, à restauratore Sixto IV. appellatam. Habitabant ibidem Religiosi Viri Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, sed certis de causis inde recesserunt, relictis omnibus liberæ Pontificis dispositioni - - - Pertinet ad hanc Ecclesiam ius Abbatiæ S. Iacobi vrbis Cornetanæ - - - & huius loci fratribus applicatum est:* inter bona immobilia possidendum.

19. His ergo tanquam præludijs excepta fœcunda tantorum

filiorũm Mater Religio Min: Con: ex his quæ pertulit palam didicit esse verum. Non semper iuuat multùm fuisse feracem. illudque verificari. *fructus obest peperisse nocet, nocet esse feracem.* Tantoq; magis & plura experta est anno 1446, quo vniuersalis illa PP. Obseruantinorum a Matrice Religione Min: Con: auctoritate Eugenij Papæ stetit diuisio. Hoc enim anno, & vt Wad: loquitur. *In ipso anni limine Eugenius Pontifex, secum firmiter constituit, Fratres Obseruantes à Conuentualium separare consortio, & proprio committere regimini.* Quod factum est dum prodijt illa Eugeniana quæ incipit. *Vt Sacra Ordinis.* Per quam ab eo tempore familia Obseruantina toties prætentatum, & à multis concupitum in distincto suo corpore absolutum, consecuta est imperium. Hæc diuisio filiæ à Matre; pro efficacissimo pacis & vnitatis ab vtrinq; stabiliendæ, iudicio Pontificio reputata fuit remedio. Concessit ergo filiali nouiter tunc, & vniuersaliter separatæ familiæ Obser: libertatem (quam antea Concilium Const: tribus Gallicanis concesserat Prouincijs) vt posset conuocare Vicarios & Discretos, ad Capitulum Gen: illudq; celebrare, & vnum de gremio sui eligere in Vicarium Gen:, cui plenariè Vices Generalis Ministri Conuentualium, absolutam auctoritatem, potestatem, ac omnimodam facultatem: super omnes & singulos fratres de Obseruantia attribui mandauit. Omnia ab eo facienda, acsi ab ipsius Gen: Min: Con: persona fierent, esse voluit facta. Concessit insuper facultatem Conuentuales (dummodo suis Ministris non fuerint rebelles; & ab eis licentiam petierint; & pænitentiam non effugerint delictorum, sed ad meliorem frugem se transferre, & Regulariter viuere veraciter cupientes) in familiam Obseruantinam recipiendi.

20. Et vt hæc separatio saltem vnitatis adumbraretur nomine, cùm non coalesceret facto; demùm vt in separato corpore constituta familia Obseruantina, non videretur vt cit: Wad: aduertit. Ab Ordine Min: Con: recessisse. *& S. Francisci Successorem despexisse, eiusq; obedientiæ se subtraxisse.* his duobus est consarta inuentis. Primò vt Vicarij electi Generales, & Prouinciales, à Ministris Conuentualium, Generali & Prouincialibus, respectiuè pe-

uè pe-

uè peterent confirmationem : quâ triduo elapso non obtenta, censerentur electi, Apostolica auctoritate confirmati. Secundò Minister Gen: Con: per se dumtaxat personaliter visitare, & corrigere posset Vicarium Generalem Obser: & alios de Obseruantia Fratres, sed eum vel eos (si criminosi deprehenderentur) non posset per se punire, nisi de consilio & assensu maioris partis Vicariorum ; vel maioris & sanioris partis Fratrum ; & tam Minister Gen: quam quisq; Ministrorum, vel Custodum, seu Frater dicti Ordinis Min: Con: prædicto Vicario Gen: seu cæteris Vicarijs, vel cuipiam fratri eiusdem familiæ de Obseruantia nuncupatis, molestiam seu impedimentum aliquod inferre non auderet ; vel præsumeret ; nec de regimine fratrum prædictorum de Obseruantia Minister Gen: Con: se aliter intromitteret. Et hac exili atq; deartuata obedientia, potestatem S. F. veri Successoris, ex Regula in omnibus, quæ non sunt contra animam & Regulam sibi debitam restringente, familia Obseruantina separata, primitiuo Ordini Min: Con: fuit attexta ; atq; hoc vmbratili ænigmatico ac imaginario glutino affixa, & veluti filo araneo appensa & connexa. Ex quo liquido constat familiam Obser: ad eum statum ab Eugenio IV. fuisse euectam ; in quo Vicarij Obseruantini, parem Ministris Conuentualium potestatem substantialem habuerunt ; nonnisi in nomine Vicario accidentali, extra Regulam inuecto, & debita, non tamen secundùm Regulam exhibita, veri successoris S. F. recognitione, differentes.

21. Prodijt igitur prænominata Eugeniana vt Wad: testatur ad cit: annum 1446. n. 1. *Fremente & multa obijciente Ministro Gen:* qui tam supremam filialis familiæ à Matrice, & originario Ord: Min: Con: animaduertens diuisionem, & per aliud conflatum corpus, bipartitam instituti Minorum constitutionem : necnon illam, re vacuam, & solo nomine plenam, sibi per Bullam incumbentem iurisdictionem : ratus eo facto suæ potestatis diminutionem, imò totalem detractionem : proindè primum vicarium virtute dictæ Eugenianæ, Obseruantinorum suffragijs electum : Jacobum Primaditium confirmare noluit, asserendo ex Wad: cit: n. 4. *Comitia sua auctoritate indici, atq; ipso præsente celebrari debuisse;*

Ægrè contradictionem hanc tulit Pontifex, vetuitq; nè quam ipse speciali diplomate confirmauerat, reprobare auderet electionem. Durùm erat contra stimulum calcitrare, & supremæ potestati resistere. Honorificis itaq; literis Iacobum suum declarauit Vicarium. Cum aliter procedere non potuisset; vti nec sequentes Ministri, Matricis Religionis Min: Con: aliter facere potuerant.

22. Hoc anno 1446. in nobili Æde Aracælitana nuper à Conuentualibus translata, celebrata sunt prima comitia PP. Obseruantinorum, sub Festum Pentecosten: virtute Bullæ Eugenianæ, conuocata à Joanne Capist: Vicario Gen: teste Wad: cit: n. 3. subdente. *quo etiam eo tempore, Antonius de Rusconibus aliud celebrauit Capitulum generale, ad Montem Pessulanum, ad quod conuenerant PP. Conuentuales.* In his Comitijs Joannes Capis: Vicariatui renuntiauit, in manibus Eugenij Pontificis. Porrò eius Vicariatum firm: 3. Ord: par: 4. fol: 168. sic describit. *Insuper nec ipse Pater B. Ioannes de Capistrano; fuit Vicarius exemptus sub Eugeniana exemptoria, quam nunc tenent ipsi Patres de familia; nam licet narretur in principio dictæ Eugenianæ fuisse institutus Vicarius Gen:, Ministri Magistri Antonij de Rusconibus, suasione ipsius Eugenij IV, & nonnullas confirmationes habuerit, ab ipso Eugenio IV: tamen per eas nunquam quæsiuit, nec habuit aliquam exemptionem, à Regulari obedientia, & cura Ministrorum, nec sibi concessa fuit.* Vnde virtute Eugenianæ primus noluit esse Vicarius, eius officio renuntiato: in cuius locum fuit electus Primaditius. Sub huius regimine PP. Obseruantini aliam sui instituti prætulerunt speciem, vt asserit Wad: anno 1449. n. 18. in omnibus actionibus, forma, modo, & gestis, se a Matrice Religione Min: Con: separantes, virtute Bullæ Eugenianæ, huius separationis auctricis, quæ a Nicolao V. multum fuit infirmata à Calixto III. aliquatenus sublata; demum a Pio II. reposita, & reualidata, vt refert Auctor cit: firm: 3. Ord: ibidem recensens duos Obseru: huius diuisionis auctores, Nicolaum de Mahuberto & Primaditium, quos in morte pænituisse refert, & sibi ob eam causam conscientiam fecisse, & eidem diuisioni renuntiasse Plura ibidem Wadingo repugnantia edisserit, ita vt nescierim, cui sit credendum; an auctori firm: 3. Ord: veterano, an Wad: huius sæculi, nupero & Neoterico.

23. Tan-

23. Tandem Min: Gen: de Rusconibus, decessit Florentiæ anno 1449. Sepultus in Ecclesia S. Crucis, ibidem apud Min:Con: vt Wad: refert eodem anno n. 26. In cuius locum Pontifex Nicolaus V. substituit Vicarium Ord: Angelum Serpetrum Perusinum, Ordinis tunc Procuratorem Gen.

24. TRIGESIMUS TERTIUS Min: Gen: Fr. Angelus Serpetri Perusinus S. T. D. electus Romæ anno 1450, solennissima Jubilæi & Canonizationis S. Bernardini Senensis celebritate Sacro. Hæc Comitia Gen: celebrata sunt in Conuentu Aracælitano, & vt refert Wad: ad cit: annum n. 10. *Conuenientibus ibidem etiam PP. Conuentualibus, qui nullam in Vrbe domum habebant, præter hospitium vel receptaculum Procuratoris Ordinis: ad Ædem S. Saluatoris in vndis. Pontifex Nicolaus subsidium tulit bis mille aureorum, adhibitis alijs multis suæ beneuolentiæ indicijs. Ipso etiam Præsidente die 24. Maij, electus est in Ministrum Gen:, communibus omnium suffragijs Angelus Serpetri Perusinus, Procurator & Vicarius Gen: Ordinis.*

25. Tempore huius Gen: exorta fuit grauis & contentiosa controuersia, de valore & virtute Eugenianæ: ad eam terminandam, conuocauit Pontifex ex præcipuis Italiæ vniuersitatibus 36 Doctores, ex quibus 26 erant vtriusq; Juris periti; hi cum tulissent Sententiam Bullæ Eugenianæ fauentem, Pontifex vocato Angelo Ministro Gen: in Concilium, & Jacobo de Mozanica tunc Ministro Prouinciæ Mediolanensis, & mox Vicario Gen: Ord: & post tuturo Ministro Gen:, tum Vicario Gen: Ord: Obser: cum alijs: tantorum Virorum probauit iudicium, & fratres omnes tum Conuentuales tum Obser: ibidem præsentes ad pacem & fraternam concordiam affectuosè est cohortatus, quo non obstante multùm infirmauit Bullam Eugenianam, dum sublatis censuris ab ea rigidis: concessit vt Obseruantini si qui vellent, liberè possent ad Conuentuales transire, ne in hoc à suis impediri; illæso tamen persistente in suo statu Obser: instituto. Sermonibus Pontificijs interlocutus est Jacobus de Mozanica referente Wad: anno 1453. n. 21. *Ex Regulæ præscripto, Beatissime Pater, tenentur hi Fratres Ministris obedire, & in vnum corpus nobiscum coire: placidè respondit Pontifex. Abraham & Loth. propter substantiæ multiplicationem, & pacem*

conser-

conseruandam, ab inuicem diuisi sunt: vestra Religio in immensum creuit, diuersiq; succreuerunt affectus, expedit vt nouellum hoc germen, alio regimine gubernetur. Satis superq; vobis Ministris imminet curæ: haud parùm præstabitis, si vestro regimine commissos, dignè gubernetis.

26. Hic Gen: Angelus hoc eodem anno 1453, celebrauit Comitia Gen: Perusij; in quibus referente Wad: n. 25. *Præcipuè actum est, de reintegranda Religione, & tollenda scissura; decretumq; est, vt quo fieri possit modo ageretur, de reuniendis Obseruantibus totius Ordinis corpori: per derogationem Bullæ Eugenianæ. Perusio Romam profecti præcipui Patres, totum in hac re posuerunt conatum. Sed cum pro voto non successerit, & Angelus in patriam rediret, in morbum incidit: quo grauatus, cum ægrè Perusium adueniret, paulò post decessit è vita, die 20 Augusti.*

27. Hoc etiam anno 1453. primum locum & Ecclesiam, in Regno Poloniæ Cracouiæ adepti sunt PP. Obseruantini: vulgariter Bernardini nuncupati, promouente Joanne Capistrano: cuius doctrinâ & sanctitate multi Baccalaurei, & Artium Magistri Vniuersitatis Crac: allecti, se ipsius disciplinæ commiserunt, & ab eo Sacro instituto sunt initiati; quibus collocandis, cum nō haberet domicilium opportunum; licet Rex Casimirus anno præcedenti, huic sodalitio assignasset Ecclesiam S. Crucis, extra muros Crac: sitam: Sed Capistrano magis placuit locus, in suburbio Stradomiæ prope Arcem, à Cardinali Sbigneo Episc: Crac: sibi collatus, in quo Pius Antistes Ecclesiam ligneam, sub inuocatione S. Bernardini cursim & succissiuis operis erexit, cellas adiunxit; & in die Natiuitatis B. M. V. fratres in monasterium introduxit. Hæc ex relat: Wad: ad cit: annum: n. 4. Hoc ipso anno quo Joannes Capistranus Cracouiam venit, & suum Ordinem Obser: in Poloniam introduxit, Machumetes Turcarum Imperator sub Palæologo Græcorum Cæsare, Constantinopolim violentus possessor insedit: die ab obsidio cæpto 50; & ad eam suam, imperialem Sedem Adrianopoli transtulit, vt refert Bielscius lib: 4. pag: 396. & Miechouiensis lib: 4. cap: 59. Chronologi Poloni. Ex quibus conuincitur erroris Franciscus Dzielowski Obser: Polonus in suo cibo quotidiano, pag: 22. commissi (nisi error in Notas

tas

tas numerales irrepserit.) Capistranum venisse Cracouiam anno 1403, & Ecclesiam ligneam, sub titulo S. Bernardini, operâ Sbignei Cardinalis erexisse asserentis, & 50 annos prioris temporis, in Polonia imaginariè præexistenti, falsò attribuentis: cum dicto anno Joannes Capistranus, nedum habitum Franciscanum suscepisset, quem Rodul: pag: 111. b. adhuc sæcularem Perusij literis vacantem, & Wad: eodem anno initiatum dumtaxat asserant: Eo etiam anno 1403, non Sbigneus Olesnicius, sed Petrus Wisz cognomento Pius, Joannis Radlicij Successor, fuit Episc: Crac: vt testatur Christophorus Kancki, in Vitis Archiepiscoporum, & Episcoporum Crac:

ARTICVLVS XV.

In quo Min: Gen: XXXIV, XXXV, XXXVI, XXXVII, enarrantur. Vnio cum filiali Ord: Obser: ineunda intimatur. Disturbia exarantur. Priuilegia Conu: ampliantur.

1. TRIGESIMUS QUARTUS Min: Gen: Fr. Jacobus Buffolinus à Mozanica S. T. D. electus est Bononiæ anno 1454; Hic Wad: teste ad eundem annum n. 30. *Toto sui regiminis tempore summoperè contendit, in vnum Corpus vniuersos Franciscanos reducere, & suæ potestati Obseruantes subijcere. Nihil pro hac re assequenda, vt ex dicendis constabit, intactum reliquit, vbiq; vel in itinere, vel in quiete, apud Obseruantes declinans, siue vniendæ Religionis desiderio, siue ampliandæ potestatis affectu.* Eodem anno Obseruant: vltra-montani in Conuentu Basiliensi, generalem cætum habuerunt. Electus fuit in Vicarium Gen: Ordinis Obser: Joannes Quiesdeber; hic missis ad Ministrum Gen: literis, eum supplicabat suæ electionis acta confirmari. Verùm si Wad: est credendum ad cit: annum n. 31. *Longa mora, fictisq; coloribus ille confirmationem distulit, donec tandem à Pontifice monitus concessit. Eius causam iuuit Capistranus, ad quem Joannes binas dedit totius rei narratiuas. Nihil Ministri Gen: moræ, aut*

tergiuersationes, à regimine suscipiendo retardarunt: dum sibi licuit iuxta Eugenij Constitutionem, post triduum à præsentatis actis, etsi Minister Gen: confirmationem negaret, auctoritate Apostolica, regimen subire.

2. Hic idem Wad: sicut sub prioribus Reformatis abolitis & extinctis, communitati fuit parùm æquus vt supra vidimus, sic nunc Conuentualibus antiquam & directam communitatis originem deriuantibus, sub posterioribus suis (de quorum gremio est) modernis Reformatis, agnoscitur minùs propitius; ciuiliori tamen verborum nexu, & politiori facti relatu, longè præferendus Petro Marchan: Obseru:, qui in expos: lit: Montano ac Siluestri, potiùs Satyrico stylo, cuncta sua, contra statum Conuentualium ementita, oblinijt felle. Profert igitur ad annum 1455 n. 43. suum Wad: de Conuentualibus sensum. *Studium non deposuerunt Obseruantum aduersarij, eos omninò sub suam potestatem redigendi, immò maiori conatu sub nouo Pontifice Calixto instituerunt, sperantes hominem vniuerso Sodalitio addictum, pacis & vnitatis amatorem, faciliùs in suam sententiam attrahendum. Duo Pontifici suggerebant, haud tuta conscientia Obseruantes in eo statu versari, magnoq; Ordinis dispendio scissuram hanc, vtriusq; familiæ, quotidie ampliùs augeri. Vt hæc magis persuaderent, dicebant Bullam Eugenianam dictam, falsam & subreptitiam, ab Eugenio nequaquam emanasse. Sed à Ioanne Capistrano, Nicolao Auximano, & Iacobo Primaditio solùm excogitatam. Deindè familiam hanc adeò ab Ordinis corpore recessisse, vt omninò censeretur separata & diuisa, & deinceps non Minorum, aut Franciscanorum nomine, sed Fratrum de Bulla, aut Priuilegiatorum appellari debere ----- ita importunè Pontificem alij interpellabant, turbasq; in curia excitabant, vt decreuerit plenè vtramq; parte audire, & matura sententia litem odiosam dirimere.*

3. Iussit ergo Pontifex, vt sub Festum Omnium SS. Generalis cum Prouincialibus Ministris, & Vicarius Gen: Obseruantum, cum suis Vicarijs Assisij conuenirent; de concordiæ & vnionis modo efficaciter agerent, & controuersiam placidè terminarent: sin aliter, se omnes has turbas seuerè cohibiturum comminatus est. Blasium Ghilinum, Abbatem S. Ambrosij Mediolanensis Benedictinum; qui vniuerso cætui præsideret, vtriusq; partis rationes exciperet, & ad se scriptas afferet amandauit. Dicit ergo Wad: n. 48.

n. 48. ad eundem annum. *Conuenientes itaq; apud Assisium Conuentuales in S. Conuentu S. F. & Obseruantes ad S. M. Angelorum, discutere cœperunt, in quibus possent conuenire. Vbi aduenit Abbas suæ legationis instrumentum exposuit, ad pacem & charitatem fraternam exhortatus: cœpit compositionis articulos excipere. Multa & mirabilia, ad septemdecim capita redacta: asperulè obiecta sunt, contra Bullam Eugenianam: quibus diffusè, productis etiam multorum Doctorum Iurisconsultorum, ex præcipuis Italiæ Academijs consultationibus, Obseruantes responderunt, sed demum eò peruentum est, vt ea admissa probataq;, ageretur de modo concordiæ: etsi oporteret aliquas eiusdem constituti clausulas, explicare vel mitigare.* Et subijcit Wad: ab vtraq; parte pro concordia, & vnione adnotatos & porrectos præsidi Articulos.

4. Visis Articulis, statuit Pontifex rem omnem absq; tumultu placidè transigere; vocatumq; ad se Iacobum de Marchia: Constituit totius controuersiæ compositorem. Hic ordinauit & delegit Articulos, qui sibi visi sunt rationabiliores, sed vtriq; parti exhibiti, neutri placuêre, vt asserit Wad: ad annum 1455. n. 65. Re delata ad Pontificem, maturo vtriusq; partis respectu præmisso, insertis Jacobi Articulis edita, Bulla anno 1456. quæ incipit. *Illius cuius in pace.* grauem hanc controuersiam sedauit. Articulos principaliores a Jacobo de Marchia formatos & in Bullam redactos summatim referimus. *Quod tàm fratres omnes Conuentuales, quàm de Obseru: nuncupati, teneantur in omnibus secundùm Regulam obedire Gen: Min: Conu:* Hic displicuit Obseruantinis, quia per Eugenianam iam fuerant ab obedientia Ministri Gen: Conu: emancipati. *Quod Vicarius Vicariorum Ord: Obseru: eligatur à Vicarijs & Custodibus Obseru: Præsidente Min: Gen: Conu: aut aliquo ab eo deputato, & ex tribus nominatis à vocalibus; vnum Minister Gen: Con: instituat & confirmet:* Hic displicuit Conuentualibus, qui volebant Vicarium Vicariorum Ord: Obseru: dari ex pectore, & libera designatione, a suo Ministro Gen: & non per electionem. *Quod in Capitulis Gen: Conuentualium Fratres de Obser:, habeant tantum vocem actiuam, & non passiuam: Conuentuales verò & actiuam & passiuam:* Hic displicuit Obseruantinis, hoc sibi reputantibus pro infamia. *Quod nullus Fr. Conuentualium, absq; licentia Generalis, seu Prouincialis*

Ministri, ad loca Fratrum de Obser:, & è conuerso nullus Obseruantinorum ad loca Conuentualium recipi possit, sine speciali licentia Ministri Gen: seu Vicariorum. His statutis & pluribus apud Wad: videndis.

5. Vt ad concordiam tempestiuè conciliandam, Summus Pontifex partes faciliùs, & suauiùs disponeret, & alternis odijs viam præcluderet, anno præcedenti 145. vt refert Wad: n. 46. *Acceptis multis querelis Conuentualium, quod Obseruantes reformationis titulo, domos illorum inuaderent, aut à Principibus oblatas admitterent, rigoroso cauit edicto, nè deinceps quoquo modo facerent, suis literis aliàs Nicolai, de hac re editas inseruit, omesq; adhibuit cautiones, quas ad constituti Obseruantiam indicauit necessarias.* De his literis tum Nicolai, tum Calixti nos egimus supra Art: 12. n. 25.

6. Tandem vigore Calixtinæ, & compactorum Articulorum, ad Capitulum Gen: Mediolani celebrandum anno 1457. conuenerunt: tàm Conuentuales quam Obseru: per Calixtinam admissi, ad vocem actiuam, qui vt Wad: ad eundem annum n. 56. inquit. *Vt faciliùs conuenirent, circa acta Capitularia Obseruantes cum Conuentualibus, statuit Minister Gen:, vt omnes in domum vnam S. Fran: conuenirent, neq; quidquam ciborum prouideretur, pro Obseruantibus Capitularibus, in domo eorundem - - - - Quando ad acta peruentum est, Capitularia, exclusi sunt Obseruantes, contra Calixtinæ constitutionis dispositionem: de quo conquesti Vicarij, Cismontanus & vltramontanus, Notarij publici testimonio, repulsam voluerunt declaratam. Illis recedentibus in domum suam, Conuentuales prosecuti sunt comitia.* Paulo post absoluta comitia, eodem anno, & in eodem Conuentu Mediolani, decessit Jacobus de Mozanica, Minister Gen: ibidem sepultus apud Fratres Min: Con. In cuius locum à Pontifice, Vicarius Gen: institutus est Jacobus de Sarzuela: mox Min: Gen:

7. TRIGESIMVS QVINTVS Min: Gen: Fr. Jacobus de Sarzuela S. T. D. Electus est Romæ in Conuentu Aracælitano, anno 1458. locum Capitulo celebrando, ipso Summo Pontifice assignante: qui Præsidem Capituli instituit, Rodericum Card: de Borgia suum Nepotem S. R. E. C. Vice-Cancellarium, & Dominicum de Capranica Ord: Protectorem. Actum electionis ad eundem annum n. 5. Sic describit Wad: *Putauerunt Obseruantes, secundum*

iuxta tenorem Bullæ Calixtinæ conuocandos ad suffragia ferenda: sed in ipso electionis limine, lecto per Rodericum Cardinalem Breui Pontificio: significatum est quibusdam de causis placuisse SS. Domino, vt pro illa vice suffragia non ferrent, in Ministri Gen: electione, sed separatim vnaquæq; Obseruantia familia suos procrearet Vicarios; reliquis Bullæ Calixtinæ in suo robore permanentibus ---- Porrò Obseruantes in adyto seu Sacrario diuersis scrutinijs suos delegerunt Vicarios. quos Minister Gen: electus confirmauit.

8. Causam veram cur Pontifex, contra Bullam suam in eo Capitulo Gen: amouerit a voce actiua Obseruantinos: candidè edisserit ipsemet Gen: electus, apud Rodul: pag: 192. b. in hæc verba. *Dilectissimi fratres, post charam salutem in Christo* IESV, *breuissimam excusationem intendo præmittere; ne Communitati Ordinis videar contraire: in Mediolanensi Generali Capitulo à Reuerendiss. tunc Generali Magistro Iacobo de Mozanica, gratiam pro me obtinuerat Magister Ioannes de Segna, quòd possem Ministeriatus Officium resignare, quo fungebar tunc in Aragonia, vt Prouinciam meam relinquerem, in statu pacifico & quieto. Vndè inferri posse videtur, quòd non tantùm prælationem, & honores ambirem; Sed nouit Deus quomodo & vnde processit. Statim vocatus fui à Calixto, tunc Pont: Summo: cum mandato, & accepi literas, vt statim me præsentarem suæ Sanctitati, vt feci: reperi Ordinem in exterminio, propter Bullam destruentem Nobis Regulam, si illi qui Generali Ordinis non obediunt, haberent eligere, & corrigere Generalem: iniungebat Pontifex quod Romæ Gen: Capitulum celebraretur: cogitate quanto dolore vexabar, volebat Pontifex me esse Generalem, & ego volebam electionem iuxta morem Regulæ nostræ, cui petitioni contradicebat Pontif: per Bullam illam excogitatam à Fratre Iacobo de Marchia, quem velut alterum Paulum Pont: reputabat. Scit bene Magister Segnia, quot noctes insomnes transegimus, disputantes de meo infortunio: tandem misertus est Deus, & reuocauit Bullam Contrariam Regulæ, inspiciens lachrymas meas, volens tamen modis omnibus me habere Gen: Ministrum.* Ex hac proprij oris confessione, mera falsitas patet Wad: anno 1458. n. 5. hanc subtractionem vocis actiuæ, in vanam glo-

riam & impotentem animum Pontificis, erga suum Gentilem refundentis his verbis. *Securiori quem volebat, hominis Aragonij promotioni ita iudicauit expedire, neq; enim adeò facilè huc flectendos putabat obseruantes. His è conclaui exclusis,* (id est Obseruantinis) *omnium suffragijs Sarzuela creatus est Gen: Minister: applaudente Pontifice, qui cum suis conterraneis, feliciter actum dicebat: quippè ex eadem fermè gente, eodemq; tempore, prodierunt Pontifex Romanus, Rex Siciliæ, Ecclesiæ Vicecancellarius, eiusdem Capitaneus Generalis, & Ordinis Minorum Gen: Minister.* Illa veri confessio Sarzuelæ, non latuit Wad: quam ex Rodul: descripsit anno 1464. n. 10.

9. Sub hoc Gen: recruduit illa perennis æmulationis controuersia, inter Matricem & filialem Ordines Min: Vicarius Gen: PP. Obseruantinorum Summo Pontifici Pio II. exposuit vt Wad: refert ad annum 1458. n. 14. *Nouas inferri Obseruantibus molestias, volentibus Conuentualibus obseruare Bullam Calixti Pontificis, per quam reuocari curauerunt Eugenianam: se proinde suosq; miserè fluctuare & quam sibi præscribant normam viuendi, penitus ignorare, rogauitq; vt pro sua paterna solicitudine remedium adhiberet.* Pontifex causam discutiendam, S. R. E. CC. à se deputatis commisit, qui pro Tribunali sedentes, vtriusq; partis rationes voluerunt excipere; & primùm Minister Gen: associatus Procuratore, & socio Ordinis teste Wad: cit: n. 15. *Dixit se ante Capituli celebrationem in ipso Capitulo, & post peractum modis omnibus, conciliandæ & firmandæ paci studuisse, sed frustra: nullam enim fore concordiam, neq; vnionem in Religione iudicabat, persistentibus in suo robore siue Eugeniana, siue Bulla Calixtina; illa enim Ordinem scindit, hæc electionis tollit libertatem.* Vicarius autem Generalis Obser: aliquibus Vicarijs Prouincialibus comitatus, conatus est probare. *Omnem quam ambiebant pacem PP. Conuentuales, eò duntaxat tendere, vt eneruarentur Eugenij & Calixti diplomata, atq; ad liberum eorundem imperium reducerentur Obseruantes.*

10. Post multas altercationes, exactamq; ab vtrinq; Scriptorum extentorum discussionem, Pontifex vtriusq; partis capita ad se conuocauit, & graui indicto silentio coram Cardinalibus seuerè

uerè dixit: Se opportuniori tempore concordiæ leges, & vniformem viuendi modum omnibus præscripturum. Quæ autem tunc determinauit cit: Wad: refert n 16. *Interim nè Obseruantes incerto instabiliq; viuendi genere fluctuarent, constitutionem obseruarent Eugenianam. Circa transitum præcepit, nè quispiam ab Obseruantibus ad Conuentuales abiret. qui transeundi non obtineret facultatem, qui verò ab his ad illos vellet transmigrare, licentiam tantùm peteret, & si non impetraret, discriminisq; rationem adiunxit, à Conuentualibus discedentes ad arctiorem vitam transire. Prohibuit nè fratrum Conuentus, vel Sororum Monasteria Conuentualibus subiecta, Obseruantes admitterent, & nè circa id genus Obseruantium, qui Ministro parebant Gen:, aut Ministris suberant Prouincialibus, quidpiam præciperet Vicarius Gen: nec illorum se ingereret regimini.* Tandem edita fuit Bulla quæ incipit. *Pro nostra ad B. F.* Eugenianam reassumens & reualidans.

11. Videns Gen: Min: Pontificem renouasse gratias à prædecessoribus suis, filiali Ord: Obser: concessas: confestim adijt Pontificem: supplicaturus vt dignaretur etiam præcessorum suorum Priuilegia, primitiuo quoq; Ordini concessa, eodem Paterno affectu approbare, & renouare: præsertim Martini V, Et Eugenij IV. nimirum: vt primicerius Ordo Min: Con: licitè & tuta conscientia posset possidere bona stabilia, redditus, & census annuos: prout præfati Pontifices, de benignitate Apostolica, eam gratiam, ipsi fuerant impertiti. (De his supra egimus sub Gulielmo de Casali & Antonio de Rusconibus) Eo perculsus Wad: Obser: ad annum 1458. n. 21. Sic contra præfatum Gen: obmurmurat inquiens. *Quantùm verò in suæ Regulæ Obseruantia, & paupertate sectanda, discreparint Obseruantes à Conuentualibus, vel ab ipso disces capite, Ministro scilicet Gen: qui ipso eodem tempore quo abiectum humile, pauperculum genus hominum, suo subijci imperio contendit: tot sibi, socijsq; laxioris, & commodioris vitæ priuilegia his literis contenta procurauit.* Verùm quia S. F. Regula neminem adstringere potest, nisi quantùm est à Summis Pontificibus declarata, modificata, & approbata, Summus Pontifex Pius II. præfata omnia approbauit & renouauit per Bullam quæ incipit. *Ad exequendum.* ea

nè di-

nè diceretur ab aliquo subreptitiè obtenta, sic Pontifex in ipsa suã declarat informationem. *Nos igitur plenè informati, additiones, declarationes, & modificationes superiùs expressas, ac tandem posteriores insertas, literas dicto Ordini fuisse & fore plurimum proficuas, ac etiã fructuosas ipsas additiones declarationes, & modificationes ac superiùs insertas, dicti Eugenij prædecessoris literas, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium reualidamus, renouamus, confirmamus, & approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & in perpetuum vigere decernimus, per præsentes; supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem.*

12. Ex his turbis & altercationibus, inter partes ad inuicem sibi æmulas perstrepentibus, pullulauit pernitiosa in Ord: Min: Congregatio, quæ *Neutralium* nomine audiebat, ex eo quia hi Neutralistæ, neq; Ministro Conuentualium, neq; Vicario Obseruantum parebant, sed quasi medij inter Conuentuales & Obser: sub proprio intermedio capite; Vitam Minorum profitebantur, quod cum relatum fuisset Pontifici, vt testatur Wad: ad annum 1463. n. 25. *Iussi sunt omnes vel Ministro, vel Vicario parere Gen:*

13. Tempore huius Gen: Pius II. Sodalitio Minorum addictus, obtulit primicerio Ordini Min: Con: anno 1463. Romæ Basilicam XII. Apostolorum. Postquam enim imperio Eugenij IV. Conuentus Aracælitanus pro exdotando filiali Ordine Obser: fuisset translatus à Matrice Religione, iam ab eo tempore Minores Con: Romæ non habuerunt Domum, nisi pro Procuratore Ord: vt Wad: ad annum cit: n. 121 inquit. *Patres Conuentuales, nullum habebant hoc tempore in vrbe domicilium, præter vnum S. Saluatoris in vnda hospitium, Procuratoris Ministerio deputatum, uti aliàs non semel enarrauimus. Pius itaq; Pontifex hoc anno eis concessit Basilicam XII. Apostolorum à Constantino Imperatore conditam: à Pelagio primo integrè refectam, etsi opus Ioannes III. compleuerit. Translatis illac SS. Philippi & Iacobi Apostolorum corporibus, sub prædictorum Pontificum tempora: ab illis cæpit Ecclesia denominari, etsi in quibusdam Martyrologijs M. SS. simul cum horum festiuitate, quæ in illa Basilica solemniter*

muniter celebratur, adnotetur etiam celebritas omnium Apostolorum. Templum erat magnificum & frequens Canonicorum Collegium; ijs verò ad paruum numerum redactis, & redditibus imminutis, Ecclesiam contulit Pontifex Patribus prædictis. Gregorius primus Stationes hic multas instituit ---- Sixtus V. emptam Columnensis palatij partem, Monasterio adiecit: Nobile ibidem Collegium S. Bonauenturæ instituit, redditus auxit. Tandem Sarzuela his disturbijs oppressus, Magistratu se abdicauit; rexit Ord: annis VI.

14. TRIGESIMUS SEXTUS Min: Gen: Fr. Franciscus à Ruuere Sauonensis S. T. D., electus est Perusij anno 1464. Hic primò Vicarius Gen: post cessionem Sarzuelæ vt Rodul: pag: 143. asserit: nunc Minister Gen: mox Cardinalis, tandem ad Summi Pontificatus apicem euectus, vocatus est Sixtus IV. Eodem tempore celebrarunt duo Capitula PP. Obseruantini Vltra-montani Machliniæ in Prouincia Coloniæ, Cismontani Assisij ad S. M. Angelorum, vbi destinatus fuit Commissarius Romanæ Curiæ Fr. Gabriel Veronensis, qui vt inquit Wad:, cit: anno n. 13. *Postea ad Cardinalatum assumptus.* qui fuit primus Cardinalis ex nouello Ord: PP. Obseruantinorum. Eodem anno & n. refert Wad: *Pro pace & concordia inter Conuentuales & Obser: multa Statuta sunt, maximè circa Conuentuum translationem ad Obser: & fugitiuorum receptionem apud Conuentuales. Atq; hinc indè à Ministro & Vicario Generalibus, missæ literæ præceptoriæ ad subditos, vt quæ constituta erant, firmiùs obseruarentur.* Ibidem vt Wad: asserit Marcus Vicarius Gen: Obser: *Conuentualibus restituit Conuentum Nicoteræ in Calabria, nuper à suis occupatum. Regimen aliquorum Monasteriorum Clarissarum maximè Assisiatis noluerunt Obseruantes, nè ampliùs Conuentuales irritarent. Atq; his modis amicabilibus, alterisq; obsequijs pacem & concordiam redintegrarunt.*

15. Eodem anno n. 18. idem asserit Wad: tunc fuerunt inuenti multi *qui Obseruantibus obloquerentur, & suæ Regulæ transgressores nuncuparent: quippè qui non Ministris, vti instituti formula præscribit, sed Vicarijs, quorum neq; nomen quidem in Regula legebatur, obtemperarent.* Hæc passim omnibus inculcabant: & Gallorum Regi

suggesserunt, vt huic malo mederetur, Pontifici ea in causa scribendo. Pontifex Pius II. hac in re duas edidit Bullas, primam quam verbatim exscripsimus Art:3 n.5, secundam ad Regem Galliarum quæ sic incipit. *Fælicis recordationis Eugenius Papa IV, & alij subsequentes Romani Pontifices, non sine magna causa & rationabili, Fratribus Ordinis Min: qui sub Regulari Obseru: degunt, vt Superiores & Prælatos suos, alio nomine quàm in eorum Regula expressum sit, nuncupatos eligere possent, concesserunt: qui Prælati, quamuis non Ministri sed Vicarij nuncupantur*, in nomine tantum non autem re differunt à Ministris. *Neq; fuisset par, cùm & Prælati Fratrum Conuentualium appellentur Ministri, duos in eadem Prouincia Prælatos, alterum videlicet Conuentualium, alterum de Obseruantia Fratrum Ministros nuncupari, sed æquiùs fuit eos diuersis nominibus appellari.* Multa constituit interim Pius II. vt refert Wad: ad hunc annum 1464. n. 22. *Ad stabiliendam & conseruandam inter vtramq; familiam, Conuentualium & Obser: dilectionem fraternam, & animorum concordiam. At cùm hæc negligerentur, & inuicem se fratres præsertim in partibus Vltramontanis oppeterent: Ecclesiarum Prælatis scripsit, vt ad Obseruantiam à se statutorum compellerent vniuersos.* Hæc incipit. *Inter assiduas.*

16. Frequentes sub hoc Gen: ipsomet motore, recipiebat Paulus II. ex relatu Wad: ad annum 1467. n. 10. *Querelas circa Conuentus, à Conuentualibus ad Obseruantes translatos: & frequentia nimis audiebat inter vtrosq; dissidia; quibus vt mederetur, grauem hanc ex vtriusq; partis consensu edidit constitutionem.* Quæ incipit. *Cum Sacer Ordo.* Hæ surreptiones Conuentuum, seu violentæ fauore potestatum occupationes: quas Wadin: Specioso nomine cohonestans vocat (vt festorum) translationes: potissimè in partibus fiebant Vltramontanis, vbi præsertim se ad inuicem oppetebant fratres, ex supra cit: Wad: Nec mirùm, quia circa hæc tempora cæperunt Prouinciæ Ordinis Obser: multiplicari, vt cit: ann: 1467. Vnus Vicariatus, ex varijs diuersi moris, humoris, complexionis, nationibus, Austriæ, Poloniæ, & Boemiæ conflatus, diuisus est in tres Prouincias seu Vicariatus, Austriacum, Polonicum, & Boemicum; quo anno ea, quæ tunc erat in Polonia Conuentuum adunatio, primùm Prouinciæ Poloniæ Nomine audire cæpit, vt con-

stat-

stat ex Wad:Obser: ad eundem annum n. 6. Primus Vicarius Prouincialis Prouinciæ Poloniæ Obser: fuit Fr. Marianus de Jeziorko ex eodem n. 7. Hinc cum in istis nouiter multiplicatis Prouincijs; pauci erant Conuentus, vt ampliùs multiplicarentur, aut erant de nouo construendi, aut (quod erat faciliùs) à primitiuis Patribus Conuentualibus, prætextu reformationis violenter auferendi, & surripiendi. In Prouincia namq; Poloniæ PP. Obseruantinorum anno 1465. ex recensu eiusdem Wad: sub n. 5. tantùm nouem erant Conuentus scilicet. Cracouiensis, Tarnouiensis, Leopoliensis, Lublinensis, Varsauiensis, Posnaniensis, Costensis, Fraustanensis seu Schouensis, Cobilinensis: Calissiensis autem Conuentus eorundem PP. Obseruantinorum, paulò post eundem annum 1465. à Joanne Gruszczynio Archi-Episcopo Gnesnensi, fuit inchoatus; & nonnisi anno 1486. extitit completè finitus: vt idem Wad: refert ad annum 1465. n. 16. Proinde vbiq; terrarum instantibus Ministris Gen: Conuentualium; prohibebant Summi Pontifices nè filialis Ordo Obser: de paternis bonis Min: Con: optimè & opimè dotatus; ampliùs manum violentam paterno admoueret hæredio.

17. Ad annum 1468. n. 17. rem ridiculam refert Wad: sed affectu mordaci oblitam in hæc verba. *Multas molestias passi sunt Ierosolymis Fratres Obseru: ab eo tempore, quo possessionem adepti sunt, Sanctorum illius vrbis locorum. Assueti enim siue Turcæ, siue Christiani Patrum Conuentualium moribus, siue largiori modo viuendi: aliquantò duriores, & seueriores se exhibebant erga Obseruantes, multaq; inferebant grauamina. At hoc tempore prudenter agente Francisco Placentino, quem diximus designatum Guardianum Montis Syon; meliùs haberi cæperunt.* In qua dicendi formula Conuentuales suos Patres gratitudinis ergo sugillat de vita laxiori, & seipsum turpi contradictione coinquinat: vel affectata extollentia contaminat. Si enim laxior vita Conuentualium, cui erant Turcæ assueti, vel Christiani, placabat & leniebat ferociam Turcarum: & duriùs Obseruantum institutum, eis flauam bilem excitabat, ad multa grauamina eis inferenda; quare ergo dicit præfato Guardiano designato prudenter agente, Obseruantinos meliùs haberi cæpisse. Ergo consequenter

fateri tenetur quòd hæc prudentia, Guardiani instituti, vel fuerit identicè laxior vt Conuentualium præcedens vita, quâ Turcarum feritatem demulcebant, & ob quam nullum grauamen eis inferebant. quod est contradictorium Wadingi asserto: vel fuerit verâ Cardinalis virtutis prudentiâ, dictus Guardianus præditus, quâ Turcas deleniebat, & ferinam eorum molliebat rabiem; cur eandem prudentiam Conuentualibus ea loca SS. priùs possidentibus non adscripserit? & imprudentiæ suis Obseruantinis non attribuerit? potiùs quam Con: laxiori vitæ & moribus: maximè quòd nescierint tàm prudenter Turcarum sæuitiam, sicut Conuentuales moderari, & tàm prudenter fluctuosas mentes, vt Conuentuales antecessores sedare, & circumagere ignorauerint? Certè laxior & communior, vti durior & seuerior vita: dummodo sit vtraq; prudentiæ metis circumsepta, nè quidquam habet, vt quemquam etiam Turcas vel cicuret, vel in furias vertat. Ecclesia S. quæ nunc est in accidentalibus laxior, quàm fuerit primitiua: in qua erant omnia communia, nec in particulari quisquam proprium possidebat: nunc in particulari propriam possessionem admittens, censeri exindè non debet, vt contra eam Turca efferuescat, vel deferuescat, vt nugatur Wad: contra Conuentuales.

18. Minister Gen: Franciscus de Ruuere nec quidquam cogitans anno 1468, assumptus est ad Cardinalatus dignitatem à Paulo II. cuius Vaticinio Summo destinatus fuit Pontificio, eò enim die quo Generali Galerum dedit adstantibus dixit. *Hodie nobis destinauimus Successorem.* Vt testatur Wad: ad cit: annum n. 13. rexit tamen Ordinem de mandato Pontificis, factus Cardinalis, vsq; ad futura Comitia Generalia.

19. TRIGESIMUS SEPTIMUS Min: Gen: Ioannes Zanettus Vtinensis S. T. D. electus est Venetijs anno 1469. Huic Capitulo Præsidebat vt Wad: asserit cit: anno n. 1. dictus Gen: electus à Francisco de Ruuere Ex-Ministro Gen: tunc Cardinali (cui per Pontificem Ordinis regimen fuit commissum, sub Vicarij nomine) Præses Capituli institutus. Paulò post assumptionem Francisci de Ruuere ad Pontificatum Sixti IV. Statim reualidauit Bullam Concordiæ, inter Conuentuales & Obser: editam; ex consensu,

ipsius

ipsius Sixti, dum esset Min: Gen: & Marci Bononiensis dum esset Vicarius Gen: PP. Obseruantinorum. Rigorosè præcepit nè Fratres Obseruantiæ transirent ad Conuentuales: & vt Bullam Pauli II. exactè obseruarent, quâ prohibetur nè Obseruantes recipiant Conuentuales, neuê recipiantur ab illis sine licentia. Bulla Sixti IV. incipit. *Fecisti nos.*

20. Sub hoc Gen: præfatus Sixtus cogitauit Eugenianā reuocare, & alias exemptioni & libero regimini fauorabiles restringere, familiamq; Obseru: omnimodè statuit subijcere, iurisdictioni Ministri Gen: Con: & vt firmiùs perseueraret Constitutum asserente Wad: ad annum 1472. n. 3. *Coegit Cardinalium Consistorium, post quorum suffragia voluit audire, quæ Marcus Bononiensis Obseruantum Vicarius Gen: pro sui status defensione, & peculiari illo gubernio retinendo potuit allegare. Multa ille dixit vt Pontificem à proposito dimoueret; sed cùm frustra se laborasse perspiceret, & Cardinales etsi aliter apud se sentirent, minimè ausos manifestæ Pontificis determinationi contraire, extractam è manica S. F. Regulam, in medium proiecit, eleuatisq; in cælum oculis, alta voce magnoq; feruore dixit: Tu igitur SS. P. Francisce tuæ Regulæ Obseruantiam defende, ego nihil proficio, statimq; è conspectu recessit. Hominis sermone audentiaq; facto commotus Pontifex, rei conclusionem in aliud tempus protraxit.* Interea cum Marco Vicario Gen: vniuersus Obseru: Ordo, Regum & Principum, auxiliares implorare aggressus est suppetias; & mira celeritate fermè ab omnibus Principibus Christianis, literæ in vrbem fuerant transmissæ, vt cit: Wad: n. 4. loquitur: *Comminantes si quid acciperent Obseruantes molestiæ, se protinùs Conuentuales à suis dominijs procul facturos. Pontifici omnes simul in patina oblatæ, & deinde lectæ: eatenùs admiratione affecerunt, vt commotus dixerit: Ego putaui mihi rem esse cum mendicis, & pediculosis fratribus, non cum vniuersis Principibus.* Pauló post celebrarunt sua Comitia Gen: PP. Obseruantini in vrbe Aquilana, Præses Capituli destinatus est à Summo Pontifice, Ludouicus Vincentinus, & vt refert cit: Wad: n. 6. *Institutionis diplomá, sub honesta specie emissum, vt Marcum præfecturâ spoliaret.* Tandem peracta electione, missi sunt qui ab ipso Pontifice electum confirmari peterent, ex eodem Wad: n. 10. *Renuit Sixtus dicens, expedire magis;*

vt iuxtà consuetudinem, & Bullam Eugenianam, quam Obseruantes cupiebant, inuiolatam: à Ministro Gen: confirmatio peteretur. Hoc eodem anno 1472. ex Wad: n. 12. S. Bernardini Senensis. *Sacrum corpus ab Ecclesia S. Fran: PP. Conuentualium, in qua per annos 28. iacuerat, translatum est, ad nobile templum, eius Sacro nomine insignitum.* Sixto IV. annuente, & indulgentias impertiente.

21. Ad petitionem huius Gen: Zanetti Sixtus IV. amplissimè confirmauit literas Martini IV. & Martini V. tum Syndicos Apostolicos, tum possessiones & bona quæcunq; mobilia & immobilia, atq; annuos prouentus; licitè & tuta conscientia haberi posse, in primitiuo Ordine Min: Con: concedentes: adiecitq; facultatem succedendi in hæreditatibus, aliaq; admittendi, ac si Fratres forent in sæculo. Motiuum huius dispensationis in Bulla, quæ incipit. *Dùm fructus vberes.* exprimit Pontifex in hæc verba. *Cum autem sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filij Zanetti de Vtino, dicti Ordinis Gen: Ministri & Theologiæ professoris: petitio, continebat, nosq; etiam dum in minoribus constituti ipsius Ordinis Gen: Ministri fungeremur officio, experientia comprobauimus; quòd dicti Ordinis fratres Domino benedicente ita pullulauerint, quòd propter eorum multiplicationem frigescente nonnunquam, erga eos in nonnullis mundi partibus fidelium charitate, ex incerta mendicitate, & minutis eleemosynis se sustentare &c. non possunt.* Et hanc concessionem fauorabilem pro Conuentualibus solis, se edidisse declarauit: vt aduertit Wad: ad annum 1472. n. 110. & Roder: Obseru: Tom: 2 Q. 79. Art: 6. inquiens. *Quæ concessio, quo ad fratres Minores Regularis Obseruantiæ nõ habet locum, sed tantum quo ad fratres Min: Con:* quod ipsemet Sixtus IV. clarè edisserit in suis literis. *Licet nos dudùm.*

22. Et quia asserente Wad: ad annum 1473. n. 9. frequentes contentiones inter PP. Conuentuales, & Obseruantes oriebantur, propter transmigrationem Fratrum, ab vna congregatione ad aliam; repetentibus Superioribus suos subditos, qui absq; licentiâ, aut sufficienti causa eorum declinabant imperium. Hos igitur transitus gyrouagos Sixtus IV. per Bullam quæ incipit. *Regimini vniuersalis.* reassumendo Bullam sui prædecessoris Pauli II. iterum sustulit, & prohibuit, nè Obseruantes reciperent Conuentuales, nec

nec Conuentuales etiam auderent recipere Obſeruantes. Multa & magna Sixtus IV. conceſſit Priuilegia Minoribus: præcipuè primicerijs Conuentualibus, quibus prohibuit inferri grauamina per Bullam quæ incipit. *Dum ſingulos Regulares.* per quam conſultum voluit omnibus quatuor Ordinum Mendicantium Conuentualium: vt enim aſſerit Wad: ad annum 1474. n. 16 *Hæc ſciſſura ſeu differentia Conuentualium, & Obſeruantium, ſub hoc tempus ad alias ſe diffudit Religiones,* quæ Conuentuales appellantur ac ſi originariæ, fontales & matrices reſpectu filialium, quæ ab Obſeruantia nuncupātur: vt deduximus Art:25.n.2. His ergo Cōuentualibus ſeu primicerijs Ordinibus gratiam præſtitit, inhibendo laicis omnibus, nè domos ipſorum inuaderent, eis legata retinerent, lites, aut diſcordias contra eos excitarent, aut alia inferrent grauamina, vel in odium ipſorum, aut fauorem Obſeruantum.

23. Tandem decreuit Sixtus IV. labores, virtuteſq; Zanetti Vtinenſis, Miniſtri Gen: vt Wad: refert ad annum 1475. n. 7. Archiepiſcopatûs Thebanenſis titulo, & Epiſcopatûs Taruiſini honore compenſare, in quo honoris gradu cum multa præclarè facta reliquiſſet, ibidem Taruiſij mortuus eſt anno 1483.

ARTICVLVS XVI.

In quo Min: Gen: XXXVIII, XXXIX, XL, XLI, XLII, exprimuntur. Petri March: impoſtura apologeticè refutatur. Summi Pontifices omnes de Ord: Min: Con: prodiiſſe oſtenduntur. Leonis X. in noua forma filiatem Ord: inſtituentis, Bullarum Art: deſcribuntur.

1. TRIGESIMUS OCTAVUS Min: Gen: Franciſcus Nanis cognomento Samſon Brixienſis S. T. D. electus eſt Vrbini anno 1475. Hic teſtante Wad: ad eundem annum n. 7. *Octennis à Matre Deo ſub tutela S. Franciſci oblatus, in cænobio Senenſi Min: Con: auidiſſi-*

auidissimè literis incumbebat: & quia proprios neq; vndè emeret non habebat, aliorum libris dum dormirent, vtebatur ad dormitorij lucernam. In suprema hac præfectura omnibus fuit gratus: Obseruantum familiam suis legibus permisit à Vicarijs proprijs gubernari; nec eorum gubernium, vllo vnquam tempore interturbari, aut regimini immisceri voluit: quod dum aliqui ægrè ferrent, & ipse sui officij moneretur: inuidiam & odium declinans, iocosè respondebat, referente Wad: loco cit: *Vt quid me pediculosis fraterculis immisceam? neq; est cur Vos tanti illos faciatis, vt misellos ampliùs contristetis?*

2. Rodulphus pag: 244. lepidam vrbanamq; huius Generalis refert parænesim, qua fratres suos ad Obseruantiam Regulæ, & componendam vitam moresq; instituendos exhortabatur inquiens. *Fratres mei dilectissimi à primordio nostræ Religionis floruit conscientia, sed paulatim sublabente decore, ablata est prima syllaba, & remansit scientia. Nunc verò nostris culpis exigentibus, ablata etiam prima syllaba, remansimus pura entia, & stipites & statuæ.* Petrus Marchantius Obser: hæc parænetica à Samsone Gen: Ministro, pro profectu omnium fratrum, per Hyperbolem (cuius vsus plus exigit quàm satis est) profuso candore dicta; vertit in causam doloris, & in maiorem Min: Con: contumeliam detorquet; dum eandem parænesim Samsonianam amori innixam, in acerba inflectit odia: sic eam deprauato sensu à se excogitato, mythologicè detorquens pag: 511. *Cum enim videret fratres Conuentuales in dies magis relaxari, & à Regulæ puritate declinare, ingemiscens coram toto Capitulo dixit.* Repetens autem prædictam ex Rodul: relatam parenæsim; falsò sub nomine eiusdem Min: Gen: hoc commentum adiungit. *Quia fratres moderni tanquam lapides bestiales, & mali sine conscientia & scientia, remanent sicut entia bruta, & iuxta dictum Apostoli, facti sunt primum velut æs sonans, postea velut terra & lapides, se inuicem collidentes.* Huic parænesi ampliùs additamentum affingens subdit. *Hæc dicebat de Fratribus intra Conuentuales relaxatis.*

3. Imprimis hoc adiunctum commentum. *Fratres moderni tanquam lapides bestiales.* Vel ab ipso tirone, qui primùm in limine Dialecticæ principia salutauit, iudicabitur non Samsonis sensatum

dictum,

dictum, ſed ſcioli Marchantij friuolum deliramentum: de Samſone enim eruditiſſimo Wad: anno 1475. n. 7. hæc ſcribit. *Coram Sixto Pontifice in grauiſſima doctorum virorum diſputatione, eas partes ſuſtinuit eaq; dexteritate aduerſantium nodos, obiectiones diſſoluit, vt Samſon a Pontifice meruit audire, quia vincula quibus illi ligatum putabant facilè diſrupit.* Quare contra Dialectica principia vir eruditiſſimus non potuit vocare *Fratres lapides beſtiales.* In confeſſo namq; apud omnes eſt, etiam tirunculos in Dialectica elementarios non latens, beſtiam & beſtiale corpus, non rebus inſenſatis, ſed de animalibus brutis, tùm hominibus, brutorum actiones imitantibus, tantùm verificari poſſe. Cæterùm lapides, rupes, montes & colles, vocare beſtiales, beſtiale ſuperat ingenium: cum neq; ex genere proximo viuentis, idoneum huic enunciationi exhibere valeant ſubiectum: niſi ex genere remotò corporis: vel remotiſſimo ſubſtantiæ: ex quo pari ratione blaſphemare quis auderet, ſpiritus Angelicos, appellari poſſe lapides beſtiales, cum corporibus cæleſtibus.

4. Ad illud quod affinxit Marchantius. *Hæc dicebat de fratribus intra Conuentuales relaxatis.* Atttibutum Dei eſt quod ſpirituum ſit ponderator; nec quis hominum corda & fines perſcrutari poteſt, ſine Dei dono, quod diſcretio Spirituum ab Apoſtolo appellatur: Si id conceſſum Marchantio, exhibeat vrgentia probationum argumenta, ad extorquendam fidem, & ediſſerat an ei anima Samſonis apparuerit, cor ſuum denudauerit, & hæc de fratribus intra Conuentuales relaxatis, ſe dixiſſe reuelauerit, non verò de fratribus intra Obſeruantinos relaxatis; cùm in omni congregatione ſint boni permixti malis, ſicut in Eccleſia reprobi cum electis. Et dona Spiritus ad vtilitatem dentur, vt medela vulneribus apponatur, non vt relaxationes letales, contra Regulam, neq; ex genere, neq; ex ſpecie, aut indiuiduo probatæ; ad infamiam Status Ordinis ab Eccleſia approbati exprobrentur, vel cum nauſea publicentur.

5. Reuera ſi Marchantius fuiſſet vir pius, iuſtus, atq; perfectus, & ſuam Expoſitionem in ædificationem, non in deſtructionem, & petram ſcandali compilaſſet, profectò orditus fuiſſet hanc

telam à suo Ordine incipiens, iuxta Consilium sapientis, Prouerb: 18. *Iustus accusator est sui in principio sermonis.* & in alio loco. *Dic tu peccata vt iustificeris.* & Gregorius dicit. *Electorum est proprium, de seipsis semper infra sentire, quàm sunt.* & Ambrosius ait. *Iustus se accusat pro alio, etiamsi non habeat quod accuset.* Vel saltem se & suos nõ exclusisset à tam vniuersali parænesi, tunc vniuersi Ordinis Gen: Ministri, vniuersum indiscriminatim Ordinem Min: adhortantis, prout fecit Blesensis, similem Marchantio de sua innocentia & Obseruantia cum Pharisæo, contra doctrinam Christi, & tertium digitum manus D. Bonauenturæ, etiam Nouitijs notum glorian- tem, & in alium superbè culpam refundentem, confutando, Epist: 118. inquiens. *Sanè vix vnam diem transigimus, in quo non offendimus Deum, aut proximum: irascendo, detrahendo, murmurando, inuidendo, scandalizando, cupiendo, garriendo, sequendo gulam, obsequendo carni, contradicendo spiritui, appetendo quæ sunt sæculi, contemnendo quæ sunt Dei.* Vbi Blesensis humiliter se inuoluit, cùm cæteris delinquentem: nè se super cæteros, cùm Pharisæo & Marchantio extollentem, per superbiam faceret à iustificatione excludentem: Proindè subdit huiusmodi philauto. *Tua opinione sanctus es innocens, impollutus* &c. quod vt falsum ostenderet, facti ad hominem ei vitia obijcit, acsi diceret Marchantio; Sed detractio alieni honoris, læsio fraternitatis, laceratio charitatis, scissura vnitatis, iactantia vanitatis, iudicium temeritatis; *Tuæ opinioni multipliciter obloquuntur.* Experientia constat, vasa inania, seu vacua maiorem sonum edere, quam plena; & homines veræ sapientiæ & puræ obseruantiæ expertes, loquaciores sunt, quam verè sapientes, & purè obseruantes; non secus ac Narcissi philauti amore sui ardentes, vel Trasylaci fatui, omnes naues ad portum appellentes, suas esse credentes, & pro sua philautia tuenda, Apathiam Stoicam defendentes, atq; temeraria singularitate inflati, cum nouatoribus iactantes. *Africa sola benè olet, totus mundus putret.*

6. Ex his quæ dicta sunt, debuit potiori ratione sibi & suo Ordini, vti seueriori disciplinæ obstricto, ampliorią; transgressionis, & relaxationis materiæ exposito, præfatam parænesim, pro antidoto præseruatiuo March: applicare; maximè cùm in eodem

quasi

quasi ipsomet tempore, Samsonis Gen:, puritas Obseruantiæ Regularis nutare & vacillare cæperit, eodem Marchantio teste pag: 484. in hæc verba. *puritatem Regulæ S. F. à qua etiam PP. Regularis Obseruantiæ incipiebant tantisper declinare.* & pag: 546. Reformationem Discalceatorum recensens inquit. *Cæpisse idem ferè institutum in Italia, sub nomine Reformatorum: idq; etsi feliciter sibi, non tamen adeò vtiliter Ordini.* & subdit. *Relinquentes Prouincias, & Conuentus Obseruantiæ suo Cursui absq; reformatione.* Vbi palàm fatetur suum Ordinem reformatum remansisse absq; reformatione: hinc consequens est, quòd remanserit cum relaxatione, quam præfatus Minister Gen: parænetice perstringere poterat. Ratùs per eam, primæuum in Ordine filiali spiritum refriguisse; potissimè exemplo, eo anno quo fuit electus, in Ord: Obser: occurrente, permotus. quod describit Wad: ad annum 1475. n.17. memorans fratrem Antonium è Castro S. Joannis in Prouincia Tusciæ ad maiorem perfectionem aspirantem, & apud se statuentem. *In locis pauperculis secundùm Regulæ puritatem, & primæuum Ordinis spiritum, absq; priuilegiorum munimine aut declarationum patrocinio, nudæ formulæ, à S. Francisco præscriptæ, inhærere. Sui Consilij participes clanculum aliquos effecit, qui alios in sua vota traxerunt. Relictis vltra triginta, ad vitam istam subeundam paratis, assumptisq; Socijs quinq;, noctu secessit in Montem Argentarium. Inde post aliquot, dies adhibito itineris Comite quodam Eremita: Romam omnes abierunt.* Vbi Pontificio Nepote promotore; diploma Pontificium, pro reformatione, & relaxationum repressione, obtinuerunt: Sed re patefacta Ordo Obser: omnes vires exeruit, vt conatus illorum dissiparentur: effecitq; vt patrocinio Nepotis Pontificij destituerentur: hinc subiungit Wad: *Ita destitutos misellos, dum quò pergerent, non haberent, domum redire oportuit, & Vicarij correctioni semet subijcere. Erat ille Petrus Paulus Senensis, cognomento Barbarossa, qui Capriolæ exceptos carcere, compede, fame & siti, per aliquot menses macerauit. Qui rei exitum feliciorem præstolabantur, vt in paria vota transirent.*

7. Hæc versionem Marchantinam, potiùs peruersionem parænesis Samsonianæ dissoluentia, concludere conuenit, appendice contra ipsum Commentatorem, tum eius commentarium seu

expositionem lit: Reg: verius expoliationem honoris Status primitiui Ord: Min: Con: ex Augustino deprompta lib: 4. cap: 1. de Symbolo tom: 9. inquiente. *Deprehenderis enim & detegeris Christiane.* (tu dic Marchant-Obseruantine) *quando aliud agis & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuæ fidem.* Cùm enim Marchantius professus fuerit Expos: lit: Reg: texere, & puram Obseruantiam Regularem docere, examinata & casta eloquia, ad ædificationem, & vtilitatem populi Obseru: proferre & scribere, litigijs verborum non contendere, ab omni superbia, vana gloria, inuidia, detractione, & murmuratione, iuxta Regulam cauere, & omnibus sæculi pompis, atq; cōmuni omnium hosti litium satori renunciare: non secùs ac illi, quos ibidem cit: alloquitur August: *Huic vos renunciare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo & Angelis eius conscribentibus, dixistis: Renuntio. Renuntiate non solùm vocibus, sed etiam moribus; non tantùm sono linguæ, sed & actu vitæ; non tantum labijs sonantibus, sed operibus pronunciantibus.* Et sicut ab hac Reg: & Aug: doctrina in sua Expost: Reg: in Min: Con: contorta vbiq; descifcit March: ita præfatam parænesim Samsonis (seipsum exemptum iustificans) in eos collimare confingit: ignorans eiusmodi locutiones comparatiuas esse, in quibus excessu Superiorum Heroum, posteriores nihil esse videntur. Sic Ecclesiasticus postquam priscorum SS. recensuisset laudes cap: 48. subdit: *Nos autem vitâ viuimus tantùm, & non erit tale nomen nostrum.* Deindè ex obligatione Religiosorum, humilitatis & charitatis proprietatibus: quæ recensentur à Bernar: nimirùm. *Operari multa, reputare pauca, operari multùm, reputare parum, operari diu, reputare breue;* etiam feruentes spiritu satis dignos se reprehensione possunt cognoscere, & à perfectione priorum longè distare, & nominetenùs Religiosos & Obseruantes se existimare: non aliter ac *pura entia.* Hanc praxim seruauit B. Petrus Damianus, qui licet suorum cænobitarum feruentissimā animaduerterit conuersationem, noluit tamen (vt facit Marchan:) philautiæ spiritu, sibi & suis sanctitatem transcribere Opusc: 15. cap: 8. rationem reddens. *Nè & me ipsum, forsitan eis cohabitantem, & si non cooperantem: vana videar elatione iactare.* ideo alio opusc: 13. cap:

13. cap: 1. sic se & suum Ordinem humiliter adumbrat. *Itaq; non ignoratis fratres mei, quod gemens loquor, ad quantùm S. feruoris lapsus sit, imò procliuiùs quotidie labi non desinat Ordo noster defectum: vt iam omnium penè mandatorum negligenter obliti, sola professionis huius videamur veste contenti: sub religionis enim specie sæculariter viuimus, & violato disciplinæ genio, dum nos per illecebrarum fluxa dissoluimur, velut à nobilitatis nostræ titulis* (puræ obseruantiæ) *degenerantes, Monachorum nomen inaniter possidemus.* Sed Marchan: alterius speciei habitum in comparatione Conuent: induere satagit, nimirùm illius philauti à Greg: lib: 34. Mor: cap: 18. sic delineati. *Qui clauso cordis oculo iudicij æquitatem perdit: nam cuncta quæ ab alijs bona geruntur displicent, & sola ei quæ ipse, vel prauè egerit placent, semper aliena opera despicit; semper miratur quæ ipse facit; quia & quicquid egerit, egisse se singulariter credit, atq; in eo quod exhibet per gloriæ cupiditatem: sibimet fauet per cognitionem, & cùm se in cunctis transcendere cæteros existimat, per lata cogitationum spatia secum deambulans; laudes suas tacitùs clamat.* Hypocrita namq; non esse Sanctus vult; Sed duntaxat videri & vocari: qui intùs apud DEUM aliter depretiatus, & veritatis trutinâ ponderatus, foris alio pretio se vendit quàm à veritate accepit, & dum famæ suæ laudibus inhiat, verâ se virtute spoliat. Ex eodem Greg:

8. Hic Gen: Samson vt testatur Wad: ad annum 1475. n. 7. placidè sodalitium annis 23. Mensibus 5. diebus 12. gubernauit. Rodulphus pag: 194. b. asserit eum Ordini Min: præfuisse annis 25 & anno ætatis suæ 85. Florentiæ obijsse, atq; ad Sanctam Crucem apud suos Fratres Min: Con: anno 1499. sepultum fuisse. Præfecturæ huius Gen: tempore; Sixtus IV. ex Ord: Min: Con: Summus Pontifex assumptus, obijt anno 1428 vixit in Pontificatu annos tredecim, quibus creauit ex suo Ordine Min: Con: S. R. E. Cardinales tres, & quartum de Ordine filiali Obseru: qui fuit primus & proprius, ex Ord: Obser: Cardinal: creatus. Et imprimis creauit Cardinalem S. Sixti: Petrum Riarium, suum ex Sorore Nepotem; qui Venetijs in Conuentu Magnæ Domus Regentis, post Prouinciæ Romaniæ Ministri, Officio perfunctus fuerat: tan-

dem Episcopus Taruisinus, paulò post Sinogaliensis, & Minatensis in Gallia. Ad vltimum Cardinalis & Ordinis Protector, ab eodem Sixto institutus fuit. De hoc Cardinali scribit Wad: ad annum 1472. n. 74. quòd fuerit *Obseruantibus parum propitius.* & n. 3. asserit: eius persuasione, Sixtum IV. inductum fuisse in eum cogitatum, quo Eugenianam reuocare, & familiam Obser: omnimodæ iurisdictioni Ministri Gen: Con: subijcere statuerat: quapropter eum ad annum 1474. n. 2. vanissimum adolescentem appellando sugillat, & effræni ambitione percitum: quòd Sixtum IV. auunculum suum & dignitatis auctorem, per fas seu nefas de medio tollere, & hoc medio ad summum Pontificatum ascendere aspirauerit, cum aliquibus Auctoribus insimulat. Sed Sixti IV. affectus aliter de eo testatur: qui ex eodem Wad: ad annum 1474. n. 3. *Adhibitis luctuosis vestibus trecentis, ad eius sepulchrum ad SS. Apostolos venit, & molliter nimis, filiolum & spem suam inclamauit*, eiq; Epitaphium ibidem in Capella Riaria, vti nepoti benè merenti poni curauit: vocans eum *gratiâ, liberalitate, ac animi magnitudine insignem.* Maiora & meliora mente pollicientem, *vt Ædes miro sumptu, apud Apostolos inchoatæ, ostendunt.* Mortuus anno 1474. ætatis suæ 28. Sepultus in Basilica 12. Apostolorum apud Min: Con: In cuius laudem Rodul: pag: 226. hoc Distichon posuit.

Ante annos sciuisse nocet, nam maxima Virtus
Persuasit morti, vt crederet esse Senem.

9. Secundus à Sixto IV. ex Ord: Min: Con: fuit S. R. E. Cardinalis creatus, Petrus de Comitibus de Fuxo iunior Gallus: de quo Rodul: loco cit: Tertius ex eodem Ord: Min: Con: S. R. E. Cardinalis fuit creatus Helias Gallus, de quo idem Rodul: pag: 227. Quartus fuit creatus S. R. E. Cardinalis Gabriel, à Rodul: vocatus Rangonus Mutinensis, & à Wad: appellatus Veronensis: & hic fuit primus & proprius de Ordine filiali Obseru: ad Cardinalatum assumptus alumnus, vt in multis locis testatur Wad: ad annum 1464. n. 13 & ad annum 1472. n. 75. & ad annum 1475 n. 15. Ex hoc primo Cardinali de Ord: Obseru: assumpto, facilè quiuis colligere potest. omnes Summos Pontifices ex Ordine Min: ad Apostolicum apicem assumptos, non fuisse de Ordine filiali

liali Obseru:, sed de Ordine primitiuo Min: Con: Primus enim Nicolaus IV. non potuit esse de Ordine Obser: cum nondum tunc in rerum natura extitisset: vt enim patuit ex Art: 6. n. 5. Nicolaum IV. fuisse ad Summum Pontificium euectum anno 1288. & fato sublatum anno 1292. Ordo autem filialis Obseruantinus inchoatus est à Paulutio Trincio anno 1368. vt deduximus Art: 12. n. 1. Neq; potuit esse secundus Alexander V. ex Ordine Min: Summus Pontifex de Ordine filiali assumptus: cùm tunc adhuc infans, nullum ex gremio sui Cardinalem habuisset. vt deduximus Art: 13. n. 2. Deinde Alexander V. subiecerat nouellum Ord: obser: iurisdictioni Min: Con: quia sub eorum laxiori disciplina fuit educatus, quod deplorat Wading: cit: Art: 13. n. 4.

10. Tertius autem ex Ordine Min: Summus Pontifex assumptus, Sixtus IV. cuius Ordinis fuerit an primitiui vel deriuatiui: dicet testis omni exceptione maior Julius II. Sixti IV. ex fratre Nepos, in Bulla quæ incipit. *Exponi nobis* inquiens *Præfatum Sixtum IV, qui non solùm dum ad Cardinalatus honorem assumptus fuit: Vestri prædicti Ordinis Generalis Ministri fungebatur officio, sed etiam ab ineunte eius ætate, in prædicto Ordine fuit nutritus.* Nemini autem dubium esse potest, in quo Ordine fungebatur Sixtus IV. Ministri Gen: Officio; cùm tunc filialis Ordo Obseruant: Prælatos suos, tum Generales tum Prouinciales, non eligeret, neq; haberet sub titulo Ministrorum, Sed dumtaxat sub nomenclatura Vicariorum. In solo Ordine primitiuo Min: Con: vigebat Ministeriatûs Officium, de quo ad Cardinalatus honorem Franciscus Sauonensis Min: Gen: postea Sixtus IV. dictus fuerat assumptus: vt diximus Art: 15. n. 18, nullum autem ante Sixtum IV. Ordo filialis Obseru: habuit Cardinalem, vt patuit supra n. 9. Deinde Sixtus IV. fuit S. T. D. vt testatur Elenchus Cardinalium à Franchino Apologematis Sect: 6. n. 6. adductus in hæc verba: *Fr. Franciscus de Ruuere de Sauona Magister in Sacra pagina, & Generalis Ordinis Minorum Presbyter Tit: S. Petri.* Vsus autem Doctoratûs in S. Theol: nunquam fuit receptus in filiali Ord: obser: incipiendo à Paulutio Trincio, vsq; in præsentem diem: in originario autem Ordine Min: Con: perseuerat incipiendo à primo Doctore in Ordine, Alexandro de Ales.

11. Hæc

11. Hæc aduertens Rodericus Obseru: ingenuè fatetur, Sixtum IV. fuisse Ordinis Min: Con: Alumnum: dum Tom: 3. Q 30. Art: 4. inquit. *Sixtus huius Nominis IV, Summus Pontifex, qui ex Conuentualibus Minorum, ad Supremum Pontificis apicem assumptus est.* In hoc namq; Ordine Min: Con: vt testatur Julius II. ab ineunte sua ætate, fuit nutritus, vt euidenter deducit Wad: Multa eius educationis officia in Ordine Min: Con: perfuncta memorans: vt ad annum 1439. n. 59. narrat Sixtum IV. fuisse antea Magistrum Studij Bononiæ: Et Baccalaureum Conuentus Papiæ. Et ad annum 1449. n. 26. asserit eum fuisse Florentiæ ad S. Crucem Regentem: quæ Officia & Nomina graduum: nec sunt, nec vnquam fuerunt in Religione filiali Obseru:, sed continua & interrupta successione vsq; ad præsens actualiter perseuerant, in primitiuo Ordine Min: Con: eadem in nomine & re, cum illis quæ præfuerunt primitiùs inter fratres Communitatis seu Conuentuales primitiuos. Accedit Sixtum IV. fuisse Guardianum Conuentus SS. 12. Apost: Romæ, vt Historia Sicula Cagliolæ testatur, referente Franchino loco supra cit:. Postquam autem Matrix Religio Min: Con: dedisset, pro dote filiali Ord: Obseru: Conuentum Romæ Aracælitanum: vt diximus Art: 14. n. 18. Datus fuit ei à Pio II. Conuentus 12. Apost: vt diximus Art: 15. n. 13. qui nunquam fuit iurisdictioni subiectus, filialis Ord: Obser: Ex quibus omnibus vsq; ad sensum patet, Sixtum IV. fuisse Ordinis primitiui Min: Con: Alumnum.

12. De Sixto V. nullum dubium etiam imaginarium subori ri potest, quin fuerit ex Ord: Min: Con:, quia eius Summus Apostolatûs Vertex, post Leoninam diuisionem nominalem, & filialis Ord: Obseru: in formata Religione Constitutionem, hoc eodem jamiam excurrente sæculo connumeratur nemine ambigente: & ipsomet Sixto V. viuente, & imperante, vt refert Gabriel Faber in suo Speculo pag: mihi 100. dum eius insignia in valuis Conuentûs Aracælitani fuerint ab obseruantinis affixa cum hac inscriptione. *Sixtus V. ex Ordine Min: de Obseruantia.* Illicò Eminentissimus Cardinalis Alexandrinus, non absq; consensu Summi Pontificis, ea abripere iussit: vt quiuis disceret aliena decoramenta sibi vsurpans, legitimo spolio se esse subiectum. 13. TRI-

13. TRIGESIMUS NONUS Min: Gen: Fr. Delphi-
nus Ægidius Amerinus S. T. D. electus Interamnæ anno 1500. vt
testatur Rodul: pag: 194. b. Ex cuius testimonio hic Gen: Delphi-
nus. *Studebat de Conuentualium fama vehementer detrahere, multaq́;
in eos molitus est, & præsertim destruxit Gymnasium Parisiense, toto ter-
rarum Orbe celeberrimum. Dicebant fratres virum hunc nulli esse fidũ,
atq́; ita instabilem, vt nihil ad firmitatem rerum & quietem adesset. Par-
uæ fuit staturæ, corpore gracili, tortuoso incessu, quasi in circuitu ambu-
lans, oculis suis inficere videbatur in eum aspicientes, colore liuido, facie
plumbea, tenuis vocis, nec visus est vnquam ridere, amphibologicisq́; ver-
bis vtens: vndè alijs quærebat maculas inspergere, quibus ille insigniter
oblitus erat: & quod deteriùs est, alienumq́; à Sanctiss: B. Fr. instituto
à fratribus suis quasi à mancipibus, vectigalia exigebat. Quamobrem cũ
ipse valde infensus esset, instantibus fratribus Religionis, præsertim Magi-
stro Mauritio Hibernico Prouinciali, Viro doctissimo, & nonnullis alijs:
munere Generalatûs abdicatus fuit, in Capitulo Romæ celebrato anno
1506. Præsidente Dominico Grimano Protectore. Tandem dolore confe-
ctus Neapoli à Gondisaluo Fernandez exceptus in Conuentu S. Mariæ No-
uæ: apud fratres de familia obijt.* Hæc Rodulph: De hoc Gen: apud
Obseruantes mortuo & sepulto, quid censeat Wad: Obser: enar-
rare nequeo: Sequentibus eius ab anno 1475. Annalium Tomis
destitutus.

14. Sub hoc Gen: prodijt Bulla Alexandri VI. quæ incipit.
Ex diuersi mundi partibus. Seueriùs Conuentuales confricans, quam
ponit Rodul: loco cit: & Constit: Alexandr: eam inserunt pag:
mihi 12. Hanc eandem transcripsit Feralis Conuent: Censor Pe-
trus March: quam terribilem vocat, & inserit pag: 523. Verùm
eandem Bullam peruersè intelligentibus satis fit, per præfationem
Constit: Piarum, quibus conscribendis auctor fuit in Capitulo Flo-
rentiæ Sixtus V. tunc Procurator Ord: Min: Con: Dicta ergo præ-
fatio quam referimus infrà Art: 32. n. 9. hæc habet verba. *Sed
quoniam nulla est adeò bonis legibus instituta Respub; quæ præuaricatores
aliquos non habeat, quibus iusti offenduntur, & mali ad præuaricationem
excitantur; ita non est adeò Sanctis Ordinibus distincta Religio, quæ ali-
quos minus suæ professioni respondentes non habeat, ex quorũ vitio, publica
sæpè in vniuersos vergit infamia.*

15. Deinde nouum hoc paralogizandi genus, ex cit: Bulla sumentibus, nec distinguentibus, status, & tempora, temporumq; circumstantias; obijci potest formula Donatistica, quâ Donatistæ contra Ecclesiam Catholicam arguebant, ei improperantes disjectionem, dispersionem, interitum, atq; exindè infamiam inferentes: & pro huius sui asserti confirmatione, adducebant auctoritatem Hilarij, tanquam corruptioni eiusmodi & defectioni, atq; inglorio Statui insultantem: illamq; tunc præsentem infamiam astruentem. Quod ergo August: Donatistæ Epist: 48. idem Conuentuales Marchantio & cuiuis eam Bullam perperam intelligenti respondere possunt. *Sed historicus doctus magnum aliquid inuenisti, quod contra Dei testimonia proferendum putares: dicis enim quantùm ad totius mundi partes modica pars est, in compensatione totius mundi, in qua fides Christiana nominatur.* & postea. *Hilarius ergo decem Prouinciarum Arianorum, aut zizania, non triticum arguebat, aut etiam triticum, quod defectu quodam periclitabatur, quantò vehementiùs tantò vtiliùs arguendum putabat. Habent enim scripturæ Canonicæ hunc arguendi morem, vt tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verba perueniant; quod etiam Apost: dicit, quomodo dicunt quidam in vobis quia resurrectio mortuorum non est? manifestat vtiq; non omnes esse tales &c. quod autem dicit, cùm enim sint inter vos æmulatio, & contentio, nonnè estis carnales, & secundùm hominem ambulatis! & tamen non est existimandum* (ait August:) *omnes carnales, & animales, non percipientes, quæ sunt spiritus Dei; contentiosos, æmulos, secundùm hominem ambulantes.* itaq; cum dicitur subdit. *totus mundus in maligno positus est: intelligitur pro zizania, quæ sunt per totum mundum.* Hæc ex August.

16. Non absimili stylo & Hieronymus de vniuerso orbe protulit, in Vita S. Damasi Papæ, eò tempore quo fraudibus Valentis & Vrsacij, damnatio Nicænæ fidei conclamata fuit, inquiens. *Ingemiscens Orbis terrarum se Arianum miratus est.* Et tamen ex hac enuntiatione vniuersali Hieronymiana, non licet nisi blasphemo corde, Hieronymum Ecclesiam Romanam, per Orbem terrarum Orthodoxæ fidei Magistram, Arianam factam pronunciasse. Defectio enim & corruptio, vitæq; infamia, cum non per omnes partes, & loca in Religionibus incedat, sed tantùm ratione mem-

ne membrorum corruptorum, putridorum, & scandalosorum, verificetur; de aliquo toto Ordine: quod omnibus Religionibus quæ sub cælo sunt, est commune: Verùm si ad sana membra respiciamus, ipsa ne periclitentur tantò vehementiùs, quantò vtiliùs à Summis Pontificibus vel Scriptoribus arguuntur: prout etiam fecit Leo X, in Bulla quæ incipit. *Ite & vos in vineam.* vbi dicit. *Ingruentibus in dies malis & scandalosis huius vineæ agricolis.* Quo dicendi modo ad omnes sermo dirigitur, qui propter paucos, vel propter diuersorum locorum multos scandalosos similia patiuntur, Sed tamen ea dicendi formula boni non afficiuntur, talibus temporum circumstantijs circumplexi, vt erant Hilariana tempora, cum Schismatibus vexaretur Ecclesia; vndè in certis partibus & cultoribus, succreuerat abundantia spinarum, non secus ac Leonis X. tempore, eodem anno quo citata Bulla emanauit 1517. ex Surio pag: 89. *Martinus Luterus, cæpit in germania noua spargere dogmata, & res nouas moliri, quæ tandem toti Orbi Christiano exitium adferrent.* Sicut ergo Ecclesia etiam ex abundantia malorum, & turbinibus simpliciter corrupta, putrida, & scandalosa, vitaq; infami deprauata, dici nequit: ita nec totum corpus cuiuscunq; Religionis ex eadem analogia, corruptum, scandalosum, & infame simpliciter pronuntiari potest. Et hæc sufficiant ad obstruenda ora, peruersè intelligentium, Bullas Pontificum, & aliorum Scriptorum Historias in proposito.

17. QUADRAGESIMUS Min: Gen: Raynaldus Gratianus de Cotignola S. T. D. electus Romæ, anno 1506. Hic vt refert Firm: 3. Ord: 4. part: fol: mihi 65. b. tractatui suo tempore ab Ordine filiali Obseru: contra Statum priuilegiatum Min: Con: edito respondit in hæc verba. *Ex his liquet quod illi opponentes in hoc verum dixerunt, quia est status imperfectus, seruare Regulam cum talibus declarationibus, & Priuilegijs, quæ relaxant ipsam Regulam sicut vos* (id est Obseruantini) *& Conuentuales seruant. Sed hoc repugnat statui vestro; eò quòd nomen Obseruantiæ vobis adscribitis: Nam vt Bernardus quem allegas dicit, ille qui ad literam strictiùs Regulam seruat, securiùs & perfectiùs viuit. Quare &c. Non respondes igitur immo concedis, & corroboras argumentum, & ex hoc fateris vos non esse de Obser-*

uantia, eò ampliùs quàm Conuentuales; quia in substantialibus relaxationem quæsiuistis & seruatis, scilicet Obedientiæ, quæ est primum & principale Votum, & totum fundamentum Regulæ, quo sublato nihil boni est: immo concluditur, ex his Statum Conuentualium, in paupertate dispensatorum esse perfectiorem, eò quia dispensatio eorum est in secundo Voto, & maiorem habens causam, vestra verò in primo; & sine vlla dispensationis causa: qui reiecta Regula Bullam seruatis. Confirmatur quia Christus benè dispensauit aliquando de paupertate cum Apostolis, tempore persecutionis, vt habetur. Luc: 22. *Nunquam autem de Obedientia, sed voluit etiam malis Sacerdotibus obediri, vt patet Matth: 23. Super Cathedram Moysi &c. Sequitur quæcunq; dixerint vobis facite &c. & 1. Petri 2. Subditi estote, in omni timore Dominis: non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. Hæc est enim gratia &c. Hæc dictus Reuerendissimus Pater Generalis.* loco cit: in firm: 3. Ord.

18. De hoc Gen: Rodul: pag: 195. b. scribit. *Rexit annos quatuor; quo tempore visitauit Prouincias Franciæ, vbi plures Conuentus recuperauit, & ad frugalitatem & obedientiam reduxit.* Eos puto Conuentus, quos antecessor suus Ægidius Delphinus referente ex memor: Ord: Marchantio pag: 512. à Conuentualibus ad Obseruantes transtulit inquiendo. *In partibus maximè Gallicanis, in quibus Conuentus multos Patribus Obseruantiæ addixit, Ministros Conuentuales, Custodes & Guardianos absoluit, & de Obseruantia alios in eorum locum restituit.* Porrò Raynaldus ex Rodul: cit: à Julio 2. Ragusinæ Ecclesiæ fuit præfectus Suffraganeus, & vt constat ex Epitaphio in Ragusinum Archi-Episcopum delectus. Obijt Cotignolæ anno 1529. in Ecclesia, Min: Con: ad Aram maiorem sepultus.

19. QVADRAGESIMUS PRIMUS Min: Gen: Philippus Porcatius Bagnacauallensis S. T. D. electus est Romæ anno 1510. Secundò post susceptas Ordinis habenas morte sublatus est, non sine magno Religionis dispendio, & Romanæ curiæ tristitia, vt cit: asserit Rodul: quippe exortum Schisma inter Conuentuales & Obseru: tam Summus Pontifex quàm Cardinalium Senatus, arbitrabantur tanti Viri diligentiâ sapientiâq; sedatum iri. Romæ diē clausit extremum anno 1511. sepultus in Basilica 12. Apostolorum apud suos fratres Min: Con.

20.

20. QVADRAGESIMVS SECVNDVS & ante diuiſionem Leoninam vltimus Miniſter Gen: Bernardinus Prato à Chetio S. T. D. electus eſt Aſſiſij anno 1512. vt Bonatus Bononienſis refert. licet Rodulph: eum afferat electum 1513. Quem pag: 244. b. aſſerit celebraſſe Capitulum anno 1516. & ſequenti anno ibidem ſubdit. *1517. Romæ celebratum eſt Capitulum generaliſſimum ſub Leone X. Pont: Max:, cuius iuſſu Romæ congregati ſunt fratres cuiuſcunq; Congregationis: quo tempore ſubſecuta eſt Ordinis Noſtri diuiſio; Sed quod maioris detrimenti fuit Chriſtiano Orbi, orta eſt maxima perturbatio, parta paruis, ſed prauis initijs, auctore Lutero primo apoſtata, deindè Hæreſiarcha, qui primò contra indulgentias, & quod hæreticis familiare eſt, contra Summi Pontificis poteſtatem dogmatizauit.* Voluit namq; Leo X. omnimodam Vnionem vniuerſalis, & totius S Franc: Ordinis inducere, quem dum in duo Corpora ſub diuerſis Capitibus ſubſiſtentia, totaliter diuiſum, & ſciſſum animaduerteret; Scilicet familiâ, Obſeruantiâ, obedientiâ, regimine, locorum, domorum, ſedium, & veſtium diſcrimine geminum cerneret, Capitulorum Congregatione, Superiorum electione: in ſumma independente, propriâ, & diſtinctâ auctoritate, atq; totali alterutrinq; adminiſtratione; Segregatum, diuerſum, & diſparatum intueretur: ideoq; ob huiuſmodi palàm patentia diſcrimina, ab vtrinq; in forma & figura diſcrepantia, continuas Religionis Franciſcanæ fluctuationes, & Schiſmatum diſcordias experiretur: quando vt ipſemet Leo in Bulla. *Ite & vos in vineam* inquit: *Nouiſſimi æquabantur prioribus: murmur ſurrexit non paruum, ſic acclamantibus Regibus, Principibus, Communitatibus, & populis, graues lites & iurgia ac diſſenſiones, occaſione Superioratuum, & præfectionis graduum, inter aliquos huius Religionis profeſſores, per totum mundum magis ac magis augeri dietim accepimus.*

21. Tandem vt tumultuantis æmulationis, ſcandaloſum & diuturnum æſtum reprimeret, vtrumq; mutuò diuiſum, & diſcordem paternum cum filiali Ordinem, ad vnionem & concordiam reducere inſtituit, vt Rodul: pag: 196. ediſſerit inquiens *Tentauit Leo Pontifex vt vnio fieret ſub vno capite reformato, nonnullis eblandientibus, qui liuore inuidiæ Conuentuales transverberabant. Quidam enim*

ſunt, qui apud Reges Panegyricis mendacibus adulantur, quorum lenitas inſtructa dicendi facultate, & copia, incredibile eſt quantas mendaciorum Bullas excitauerit. Et hoc refundit in Albertum pium Carporum Principem, qui vt refert. *Venit ad Leonem Pont: & eò tempore fauit fratribus de familia, contra Conuentuales. Sed dum hæc agerentur* ſubdit. *Machometes Turcarum Imperator furebat in Chriſtianos, & eius ſecta mira proſperitate augebatur. Quamobrem Fr. Bonauentura Curcureus Dalmata, profeſſione Franciſcanus, cohortatus eſt pulcherrima oratione Leonem Pont: ad capienda arma aduerſus Turcicam ſectam: velut Leo de tribu Juda.* Conuenit cum Rodul: præfatio Conſt: Piarum in Compendio Bullarij Flauij Cherubini ſub Bulla Pij IV. quæ incipit. *Sedis Apoſtolicæ.* exarata, hæc verba continens. *Tunc verò ſub Leone X. Pont: Max: ita effecerunt.* (puta Obſeruantini) *quorundam Principum fauore adiuti, quod ab Obedientia noſtri Gen: ſe ſubtraxerunt, & Obſeruantium Regulam, ſibi nomen vendicando: etiam proprium Generalem obtinuêre.*

22. Sed cùm primitiui PP. Minores Con: in ſuo antiquo, ſecundùm Priuilegia Apoſtolica viuendi modo, perſiſtere voluiſſent, & nouo vinculo vltra id quod fuerunt profeſſi, adſtringi detrectaſſent; Bernardi ſententiam ſecuti, lib: de Diſp: & Præc: inquientis. *Solùm quippè id à me poſſe exigi arbitror quod promiſi. Si modus eſt obeditionis, tenor profeſſionis: nec ſe valeat extendere poteſtas imperantis, niſi quatenus attigerit votum profitentis.* & infra. *quamobrē quiſq; profeſſus, in quouis genere ſalutiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citra eſt inhibendus, quam ſui ipſius videtur complecti profeſſio.* Cùm ergo gens primigenia Conuent: Franciſcana, vni Miniſtro Gen: Reformato contra receptam, & ad ea vſq; tempora ſeruatam praxim, ſubeſſe & obtemperare, atq; Priuilegijs Apoſtolicis, à Summis Pontificibus ab antiquo legitimè ſibi conceſſis renuntiare, & ſtrictiorem viuendi modum acceptare recuſaſſet: & animitùs Statum antiquum maiorum ſuorum, abſq; vlla impugnatione, & ſtimulo conſcientiæ, intactis Priuilegijs Apoſtolicis retentaſſet, & perſeueranter conſeruaſſet: hinc Leo X. Originariam Minorum Con: familiam in ſuo ſtatu viuendi antiquo illæſam reliquit, intuitu tamen reformationis, & puræ obſer-

uantiæ:

uantiæ: à filiali Obſer: Ordine absq; Priuilegijs Apoſtolicis, Votum paupertatis modificantibus acceptatæ, Deo & Eccleſiæ promiſſæ; eundem filialem Obſer: Ordinem in formatam & abſolutam Religionem inſtituit, & tranſtulit: ab obedientia paterno Ordini, araneo filo antea pendula, abſoluit; & per duas Decretales vnionis, & concordiæ appellatas: pro gubernio, & nouello eius ſtatu ſtabiliendo, ſequentia ſtatuit.

23. Et quidem in prima Bulla appellata Vnionis. *Ite & vos in vineam.* primum ſtatuit vt vnus in Miniſtrum Gen: totius Ordinis, cum plenaria poteſtate, quæ ex Regula ſibi competit eligeretur: cui omnes & ſinguli fratres in omnibus, quæ non ſunt contra Deum & Regulam, firmiter obedire tenerentur. *Secundum* vt electio huiuſmodi Generalis, à ſolis Miniſtris Prouincialibus Reformatis fieret; & nè caput ſuis membris difforme appareret, nullus eligi poſſet in Miniſtrum Gen: niſi vitam ducens reformatam; & ſi fieret in futurum aliquid in contrarium, irritum haberetur: Idem de Miniſtris Prouincialibus ſtatutum eſt. *Tertium.* Reformati dicuntur illi, qui purè & ſimpliciter, Regulam B. Franciſci ſeruant, & qui viuunt absq; Priuilegijs, bona temporalia concernentibus. Et horum omnium Reformatorum, quocunq; nomine nuncupatorum, corpus inſimul debeat eſſe vnum, & Miniſtris ſubeſſe; qui omiſſa diuerſitate nominum Fratres Minores ſeu S. Franciſci: vel de Obſeruantia nuncupari debeant. Et nouæ Reformationes non fiant, ſine Miniſtrorum aſſenſu; & ſi fiant Miniſtris ſubijciantur.

24. In ſecunda autem Bulla appellata Concordiæ, quæ incipit. *Omnipotens Deus.* *Primùm* ſtatuit. Titulus Miniſtri, tùm Generalis quàm Prouincialium, à Conuentualibus in Obſeruantes transfertur, & præfectis Conuentualibus titulus Magiſtri conceditur. Et vt deinceps hoc ſemper ſeruetur in Bulla quæ incipit. *Nuntiatum nobis fuit.* Caſſat & annullat electionem Magiſtri Generalis Conuentualium, ſi fiat nomine & titulo Miniſtri. *Secundum,* Magiſter Generalis Conuentualium, teneatur ſemper petere confirmationem ſuæ electionis, à Miniſtro Gen: de Obſeruantia, & pariter Magiſtri Prouinciales à Miniſtris Prouincialibus;

bus: sicut aliàs Vicarius Generalis, & Vicarij Prouinciales Obseruantium, accipere à Conuentualibus tenebantur suæ electionis confirmationem. *Tertium.* Minister Gen: scilicet de Obseruantia, tanquam totius Ordinis caput, possit visitare Conuentuales, & omnia illa agere super Conuentuales, domus, & Conuentus eorum, quæ Generalis Conuentualium, quando erat Minister, facere poterat super fratres de familia. *Quartum.* Locum digniorem vbiq; locorum, in processionibus & actibus publicis Conuentuales, Obseruantibus relinquere teneantur.

25. His statutis Pontificijs, Conuentuales paternæ humilitatis hæredes, sicut refragati non fuêre; Memores voti paterni nomine omnium fratrum emissi; *Fr. Franciscus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac Successoribus eius.* Ita quoq; tantæ demissioni non succubuêre; neq; tanta præeminentia allecti, vitam reformatam amplecti voluêre; sed veterem maiorum suorum statum, Priuilegijs Apostolicis temperatum, medium tenuêre Beati: optimè callentes illud. *Meliùs est non vouere, quàm post votum promissa Deo non reddere.* Memores moniti sapientis *altiora te nè quæsieris.* tum illud aduertentes. *ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus.* Scientes scriptum esse. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Hinc ingenuè in præfatione, Constit: Piarum Patres Nostri sunt protestati. *Nos interim Summorum Pontificum declarationem, vsumq; bonorum eius post Patres nostros, qui Ecclesiam illustrarunt, secuti sumus, tutiùs esse arbitrantes, piam Ecclesiæ declarationem amplecti, quàm omnimodam Regulæ completionem, cum periculo profiteri.* An autem hæc Leonis X. conditionata statuta, conditione purificata, robur suum in vsum induxerint; inferiùs resoluimus. Art: 39.

26. Hic subsistere placuit, & abstinere à recensu Ministrorum Gen: Con:, cùm hos omnes recensitos vsq; ad tempora Leonis X. Petrus Marchan: agnoscat veros Successores S. Francisci: & omnes Conuentuales vsq; ad tempora Leonis X. ad vniuersalem Ordinis Min: fraternitatem pertinere fatetur pag: 533. Sed oppositum post Leoninam affirmat pag: 535. inquiens. *Fratres*

Con-

Conuentuales post tempora Leonis X. nouam & singularem fraternitatem auctoritate Pontificia constitutam, faciunt ab vniuersali Ordinis fraternitate multum alienum. Deinde Conclusioni subiungit totius suæ anilis structuræ indignam rationem, in accidentali modificatione fundatam, nec substantiam Regulæ quidquam vel in atomo tangentem; in qua vt in glacie cætera sua mapalia, fundat, quam conclusionem potiùs veritatis elusionem pag: cit: 533. sic pronunciat. *Conuentuales post Leonem X. instituti, non pertinent ad Ordinis S. Franc: vniuersaliem fraternitatem.* Hinc modernos Conuentuales pag:5 non posse dici. *Simpliciter & sine adiecto minores* fingit. & pag: 55. *Corpus aliud anomalum, quod multum truncatam Regulam S. F. seruat.* constituere figmentat. In summa præsentes Conuentuales Leoninis statutis posteriores. insimulat, atq; à primitiuis. *Toto cælo distantes, æquiuocos, spurios, secundùm carnem natos, relaxatos à primo stipite separatos, alio semine seu alterato natos, communionem sanguinis cum Obseruantinis non habentes, lapides bestiales, agricolas scandalosos, membra à corpore toto dissona, putrida, mortua.* Criminatur: & alia sexcenta maledicta contra eos effutit. Taxat omnes, infamat omnes, illudit omnes; scandalizat tam suos contubernales, quàm sæculares: clerum, mundum, quemq; lectorem: & tamen pro his conuitijs virulentis theonino dente impressis, tanquam de Ordine suo benè meritus, pro Commissario & Diffinitore Generali Expos: Reg: salutatur: veriùs pro Momo iubilato laureandus: dum Conuentuali-mastix in multis suæ Expos. Reg: lomeuiana fronte Conuentuali-mastix in multis suæ Expos. Reg: lo-

27. Hæc omnia vt faciliùs, ex re oculis subiecta, quàm vt in confuso & corrupto Marchantino stylo, atq; adultero sensu fuêre sepulta, falsa & conficta vsq; ad sensum demonstrare valeremus omnes Ministros Gen: tempora Leonis X. præcedentes subiecimus, vsq; ad Bernardinum Prato à Cherio, ante nuncupatiuam diuisionem Leoninam vltimum: qui cum vniuerso suo Min: Con: Sodalitio, ad veram fraternitatem & successionem S. F agnoscitur pertinuisse, etiam ipsomet Petro March: Judice in Expos: Reg:

pag: 525 inquiente. *Fratres de communitate, & Conuentuales vsq; ad tempora Leonis X. ad vniuersalem Ordinis fraternitatem pertinuerunt.* Tunc quæro de hoc Ministro Gen: & vniuerso eius Min: Con: tunc sodalitio: quomodo cum omnibus sibi secundùm plenitudinem iurisdictionis ex Reg: imperatæ, subditis Conuen: (nam filialis Ordo Obser: suis Uicarijs Gen: positiuè & realiter: Ministris autem Gen: Con: nominaliter, & denominatiuè duntaxat parebat, vsq; ad annum 1517. vt ostendimus Art: 30. n. 27. & Art: 34. n. 19) differebat in suo cætu Con: à seipso? præfato anno antequam in prima Sess: Vniuersalis Vnio proposita esset &c. & postquam vt dicit March: pag: 527. *huic conditioni Conuentuales subscribere noluissent:* quæro inquam, quomodo & per quam differentiam realem Min: Con: distinguebantur in eodem anno à seipsis? antequam interrogati fuissent de seruanda conditione, & postquam *eidem conditioni subscribere noluissent*? Si ante & post Leoninam declarationem eadem priuilegia, paupertatem accidentalem in communi modificantia habuerunt: vt deduximus in Recensu Minist: Gen: Art: 9. & Art: 14. tum & Art: 30. n. 17. & n. 19. iam sequitur ante & post Leoninam eosdem & identicos, cum suis Minist: Gen: fuisse & esse Min: Con: & non solùm ad fraternitatem S. F. spectare, sed originem, fontem, & Matricem omnium fraternitatum reformatarum; vt Obser: Capucinorum, Recollectorum constituere: omnesq; euincuntur Minist: Gen: Conuent: vsq; ad præsentem fuisse & esse veri S. F. Successores: quos vt per non interruptam, tum durationis naturalis, tum Obseruantiæ Regularis, substantialem lineam à S. P. F. descendentes: originarios, non deriuatiuos, hæreditarios non adoptitios, aut per genituram traducem insititios, analyticè ostenderemus: tum vt Conuentuales primitiuos tempora Leonis X. antecedentes, quàm posteriores, & præsentes, vniuocos, & identicos, non toto cælo, se nè hilum quidem inter se distantes, patenter probaremus. Eatenus modum antiquum viuendi Conuentualium primitiuorum, dogmaticè produximus, insimul successionem directam non collateralem, vel per traducem pullulantem, Ministrorum Gen: tota duratione naturali, ab Honorio III. vsq; ad Leonem X. S.P.F. Successorum,

histo-

historicè deduximus, postea tẽporibus Leoninis, & vltra vsq; ad præsentẽ modernum Conu: Ministrum Gen: succedentium eandẽ rationem habituri: quòd recensitis etiamnum directè succedant, pensatis quoq; Bullis Leoninis in suo statu Art:39. & Art:40. descripto existentibus: ipsiq; Min: Con: moderni sint etiam illi primæui, & antiqui filialis Obser: Ord: parentes: Sola identica substantialis status, ratio viuendi, nunquam interrupta, primitiuorum Conuentualium continuatio, cum modificatione paupertatis in communi: insignia, Priuilegia, gubernacula, nomina, officia, Professio, gradus, Magistratus, Domus, horũ omniũ vsq; ad præsens conseruatorum & retentorum, demonstratio: pro modernis Conuentualibus clarè concludere queunt. Sed de his inferiùs fusiùs acturi; pro nunc satis habituri, vnde fabulas Marchantinas, & Commenta ab Erasmo acatolico mutuata, & de proprio penu aucta, solidè reprobemus.





ARTICVLVS XVII.

De dilatatione Religionis Franciscanæ post mortem B. Patriarchæ, vsq; ad Polos Sarmaticos. Vbi de Origine Prouinciæ Bohemiæ, & Poloniæ; ac de Vnione Vicariæ Russiæ.

1. FRanciscanæ Religionis initia satis admiranda. nouis Sanctorum splendoribus, Francisco auspice, repentè de cælo Ecclesiæ S. illuxerunt: Vires humanas in Diuinas mirabiliter transformatas, in progressu exceperunt: dum exiguo labentis cursu temporis, vniuersum terrarum Orbem Franciscana complexa familia, Fratres Minores vt inquit S. Bonau: in legenda cap: 4. *Quotidianis succrescentes profectibus, vsq; ad fines Orbis terræ, celeriter præuenerunt.* quorum sonus Gregorio IX. attestante. *Exiuit vsq; ad extremum terræ, & eò vsq; lucis suæ radios diffudit, vt sufficiens esset, ad totam Ecclesiam illustrandam.* Quod Seraphicus Pater raptus supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ circa se & filios suos futura erant, luculenter aspexit, referente cit: Bonau: cap: 3. *Post hæc reuersus ad Fratres, confortamini* (ait) *charissimi, & gaudete in Domino: nec quia pauci estis efficiamini tristes, neq; vos terreat mea vel vestra simplicitas, quoniam sicut mihi à Domino, in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere, suæq; benedictionis gratia multipliciter dilatabit.* Quod breui post Mortem S. P. interuallo interiecto, nostra etiam Sarmatia est experta.

2. Hæc Sarmatica Poloniæ Prouincia (quæ nunc ex Maiori & Minori Polonia coalescit integra) in suo primigeniæ lucis exortu, ex diuersis Regnis sibiq; cognatis populis, in vnum Corpus assurgens incepta est. Regnum Poloniæ & Bohemiæ complexa, & vna eademq; Bohemiæ, & Poloniæ Prouincia est appellata. Cuius rei præter Actorum & Historicorum monumenta, Sigillum maius Prouinciæ Poloniæ Min: Con:, vsq; in hodiernum diem,

penes Polonos Min: Con: vetustis characteribus impressum persistens, manifestum perhibet testimonium: Hanc inscriptionem in peripheria insculptam referens. *Sigillum Ministri Prouincialis per Bohemiam & Poloniam.* Proinde Prouincia Bohemiæ & Poloniæ, eodem ortu ac tempore cæpit, & Franciscanis fastis adscripta est: Scilicet Anno Dñi 1232. ab obitu S. P. F. anno 6. ab obitu D. Antonij anno primo. Crebrescentibus enim S. P. F. etiam S. Antonij Patauini miraculorum fulgoribus, Fratres Minores intrant Bohemiam, & inde Poloniā peruagantur, & statim anno sequente Soror Agnes Filia Regis Bohemiæ Premislai Ottogari recepit Ordinem S. Claræ, & Monasterium Sororum apud S. Franciscum Pragæ constituit: vt testatur in Chronicis 1503. m. ss., quæ Cracouiæ in Archiuio apud Fratres Min: Con: asservantur, Frater Joannes Furstenhain, eiusdem Prouinciæ Alumnus, & tunc in Morauia Lector: A quo vix paulum dissidet Wad: ad annum 1234 n. 4. inquiens. *Hoc anno vel circiter vt ex sequentibus literis constabit, nobilissima Princeps Agnes Bohema Premislai Otthogari, siue Otthischgari, huius cognominis primi, & Constantiæ Hungaræ, siue vt alijs placet Aragoniæ, Regum Bohemiæ filia, ab incunabulis Deo oppignorata fit Vestalis Clarissa.* Deindè inferiùs subiungit literas Pontificias Gregorij IX. concessum Agneti, à Rege fratre fundum, pro extruendo Monasterio approbantis. PRIMUS MINISTER Prouincialis Prou: Bohemiæ & Poloniæ fuit Fr. Joannes Lombardus cognomento Planchart (de quo Rodul: pag: 203. b. describendo Prouinciam Bohemiæ in Custodia Gremensi) Conuentum Pragæ S. Jacobi suscepit: quem illo tempore Sororis Agnetis Frater, Rex Venceslaus ædificauit, potiùs consumauit, in eoq; primum Capitulum celebrauit, in Festo S. Jacobi Apostoli. De hoc Conuentu S. Jacobi extat tabulæ annotamentum, in pariete intrò scriptum his præcisis: *Anno à partu Virginis 1225. Præmislaus Ottogarus Rex Bohemiæ III. hoc Monasterium in honorem Dei Omnipotentis & S. Iacobi Maioris exstruere incæpit, & in illud Anno 1233. Fratres Conuent: Ord: S. F. introduxit: cuius ædificij structuram postmodum Venceslaus Ottogarus filius & Rex Bohemiæ IV. consumauit.* Ex quo patet vnico Anno, hanc relationem discrepare à Furstenchaini m.ss. & à Wading. relatu, altero anno.

3. Quia ergo eodem corpore indiuiso cum Prouincia Bohemiæ in suo exortu assurrexit Prouincia Poloniæ, recto calculo ad eundem annum, primordia nascentis referenda sunt; Scilicet ad annum 1232. Sed quia Bielscius Chronologus Polonus lib: 2. fol: 166. refert, Boleslaum Pudicum Poloniæ Principem, circa annum 1240. Cracouiæ Ecclesiam & Conuentum fundasse, Fratribus Minoribus Pragâ accitis. Miechouiensis verò lib: 3. cap: 36. per errorem à Wad: cap: 37. cit: Alexander Guagninus, lib: 1. pag: 64. itidem Chronologi Poloni: tribus annis anticipant aduentum Minorum Cracouiam à Boleslao Pragâ accersitorum: asserentes Boleslaum anno 1237. Pragâ Cracouiam Minores acciuisse, Ecclesiam & Monasterium lateribus coctis extruxisse, Genitricis suæ Grimislauæ persuasione inductum: Idem sentit Wad: ad annum 1237. n. 12. adducens Miech: cit: Cromerum lib: 8. Hartmannum Scheydel trac: de Sarmatia. Decium lib: de vetust: Polon: Hæc Historicorum discors relatio, exstimulat animum pensatis circumstantijs, opinari Fratres Minores priori tempore in Poloniam præcessisse, multaq; loca & domus, non solùm in Bohemia, sed etiam in Polonia, ante specificata tempora habuisse. Et quidem ipsemet Bielscius loco cit:, apertè fatetur ante Monasterium Cracouiæ à Boleslao extructum, aliud priùs ab Iuone Episc: Crac: Bresciæ, in crepidine Vistulæ fuisse ædificatum. Hoc pro comperto constat primum in Polonia Monasteriũ, Regiâ liberalitate splendidè erectum, Cracouiæ incepisse: quod vt numeriosiore decoraretur sodalitio, Prouincialem pro tunc MinistrũmBohemiæ, ad instantiam Boleslai Principis Pragâ Cracouiam Poloniæ Regiam, Fratres existimò misisse; & exinde ex Bohemiæ & Poloniæ Fratribus, vnam Prouinciam, sub nomine Bohemiæ & Poloniæ coaluisse: & ante præfata tempora exiguas Domus, & informes Conuentus, adhuc Regiâ munificentiâ, clariori apparatu, non splendescentes, habuisse.

4. Argumento non leui est Lemburga, quæ nunc Leopolis dicitur, in remotioribus Russiæ partibus, vltra Poloniam sita. Hæc anno 1236. Fratres Minores aduenientes excepit: Fratrem Martinum Primum Vicarium Gen: Russiæ, & Fratrem Jacobum

Pri-

Primum Guardianum Leopoliensem: qui ab Illustrissimo & Reuerendissimo Dño Bernardo Archi-Episcopo Haliciensi intimè fuerunt excepti, & obtentà licentiâ ædificarunt Ecclesiam & monasterium vt latiùs deducit Marcus Corona Conuent:in suo Spec: Prouin: Russiæ & M. D. Lithu: inferiùs discutiendus. Si ergo remotior Lemburga seu Leopolis habuit Fratres Minores & eorum Ecclesiam & Monasterium in anno 1236. certè vicinior Polonia & Cracouia Regum Sedes, Regniq; Metropolis, non fuit tunc deserta & Fratribus Minoribus viduata, vti obuia, & vicinior, ac gentis Regia: & si iuxta Bielsc: anno 1240. vel iuxta cæteros cit: Historicos, anno 1237. Cracouiam Pragâ primùm acciti sunt Minores; reuera poterant ex vicinia Lemburgæ, Polonis gentilitia, siue vno, siue quatuor iam antea annis, Fratres Minores continente, & fouente, accersiri: priusquàm Pragâ alieno Regno venali Cracoviam euocarentur. Tum etiam illos Leopoli subsistentes, itineris ratione, & obuia propioritate necessum fuit ex Italia per Poloniam in Russiam pertransire, cur non subsistere? vel alios consocios relinquere? Deindè anno 1239. iam facta fuit diuisio Prouinciarum in Ordine Min. à Gregorio IX. sub Haymone Gen: Min: Hinc Joannes Furstenhainus in m. ss., asserit eodem anno tres Ministros Prouinciales, ex circumiacente vicinia, scil: Hungariæ, Austriæ, & Saxoniæ, congregatos fuisse Pragæ in Festo S. Valentini, & Consilium habuisse super negotijs Sororis Agnetis Clarissæ, Venceslai Bohemiæ Regis Sororis. Ex quo colligere licet, ex multiplicitate Prouinciarum, in circumiacente vicinia, tum ex celebratione Capitulorum Prouincialium, iam ante specificata tempora; Prouinciam Bohemiæ & Poloniæ extitisse: siquidem *Secundus Min: Prou:* Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ; Fr. Tuorimirus Bohemus anno cit: 12·9 celebrauit Capitulum Vratislauiæ, in Festo S. Calisti. Secundum Capitulum Prouinciale celebrauit Pragæ, in Festo Assumptionis B. M. V.

5. Porrò nunc Prouincia Russiæ, & altera hoc anno, quo scribo, diuisa a Russiæ, & instituta Lithuaniæ Prouincia, tunc sub titulo Vicariæ, diuisim à Prouincia Bohem: & Polon: institutæ fuêre; suumq; Vicarium Gen: seorsiuum habuêre, vsq; ad annum

num 1430: in quo Russia & Lithuania vnitæ, & incorporatæ fuerunt Prouinciæ Bohemiæ, & Poloniæ; per Frat: Joan: Kmitam Prouinciæ Poloniæ & Bohemiæ, Minist: Prou: à Gulielmo de Casali Min: Gen: ad hoc munus specialiter deputatum; & sic vnitæ & incorporatæ Prouin: Poloniæ, etiam a Prouin: Bohemiæ diuisæ; perseuerarunt vsq; ad tempora Felicis de Cassia in anno 1624. Vicarij Gen: Apost: qui tanta locorum distantiâ Prõæ Poloniæ considerata: Breue diuisionis Prouinciæ, præfato anno 14. Octobr: ab Vrbano VIII. obtinuit: quod sequenti anno 1625, Romæ in Capitulo Gen: suum effectum est sortitum. Wading: ad annum 1408. n. 7 refert; hoc eodem anno Vicarium FF. Min: Con: in Russia, & Præfectum Cænobij S. Crucis fuisse F. Leonardum: Et anno 1438. n. 27. Ministrum Prouin: Prouinciæ Bohemiæ, asserit fuisse Joannem Kmita. Et ad an: 1371. n. 6. refert Breue Gregorij XI. Nicolao de Crosna, Vicario Russiæ inscriptum.

ARTICVLVS XVIII.

In quo tempora Conuentuum Thorunensis & aliorum: tum introitus PP. Obseru: in Poloniam, Prussiam, & Saxoniam memorantur. Prouinciales Min: Succedanei enarrantur. SS. ac Martyres in Prouincia adnotantur.

1. SUB SECVNDI MIN: Prouincialis Prouin: Bohemiæ & Poloniæ Art: 17. n. 4. nominati tempus, anno 1239. Pompo de Hosterno, Sextus à Miechou: Magister Cruciferorum in Marg: adnotatus, Monasterium & Ecclesiam sub titulo B. M. V. Thorunij fundauit Fratribus Min:, & Aream ad inhabitandum ijsdem concessit, ita refert Miechou: lib: 3. cap: 39. & Rodul: lib: 2. pag: 291. Conuentus Prouinciæ Saxoniæ recensens. Concordat in eodem anno Fridericus Schembecus Soc: JESU, in suo lumine in tenebris errorum resplendente, lingua vernacula vulgato adiungens.

gens. *Religionem Franciscanam, priùs Thorunium memorato annò,*
postea Culmam ex Prouincia Saxoniæ fuisse introductam. Tandem post
aliquot sæcula, nouæ fidei inundante, tam Luteri quam Caluini
lue, in communi clade Thorunio atq; Culmâ exturbati fuêre
Franciscani: donec miserente Deo, & zeloso Antistite Culmen-
se instante, ac hæresim repurgante Petro Kostka: Culmam ite-
rùm reinducti fuêre Minores; qui eos vt dicit Schembecus, *tan-*
quam legitimos hæredes maiorum. in Ecclesiam & Conuentum Cul-
mensem: non ex Prouincia Saxoniæ, vsq; nunc sub hæresi ge-
mente, sed ex Prouincia Poloniæ fidei Orthodoxæ alumna, rein-
duxit Conuentuales. Et qui primùm Thorunij postea Culmæ lo-
cati: nunc vertente fato, iteratò primùm Culmæ redditi: postea
Thorunium ad legitimum Ecclesiæ, & Conuentus maiorum suo-
rum hæredium; Deo auxiliante, & Antistitum zelo perurgente:
se sperant redituros: Maximè accedente pia intercessione B. Jo-
annis Lobedau Thorunensis; qui sicut circa hæc tempora, quò
Franciscani Thorunium primò sunt admissi, & recepti, eorum
Sodalitio est adscriptus: ita in eundem suorum popularium lo-
cum, à quo nunc per hæresim pulsi; Dei, & sui cultum Fratribus
restitutis, procurabit reinduci. Adstipulante B Simone itidem
Thorunense, suo conciue eiusdem Ord: Min: Con: in eodem
quoq; Culmæ Fratrum suorum Conuentu, & Ecclesia anno 1363.
sepulto; teste Martino Baronio Jarosłau: in Catal: SS. fol: 282.

2. Porrò B. Joannes Lobedau Pruthenus Thorunensis, Ord:
Min: Con: Verbi Dei Concionator & S. T. D. Vir vitæ sanctitate,
morum probitate, & miraculorum vbertate clarissimus. Is tantæ
sanctitatis est expertus, vt cùm post mortem suam ab hæreticis ter
exhumatus, ac extra ciuitatem extractus, ac eiectus esset; diuini-
tùs & miraculosè in tumulo iterùm & tertiò reperiebatur. Nau-
tis siue in mari, siue in vistula, aut cæteris fluminibus, noctu viam
oberrantibus, suumq; patrocinium implorantibus; in magna cla-
ritate cum face accensa, eisdem viam demonstrans, in aere mul-
toties conspiciebatur. Culmæ in Prussia obijt, anno 1264. ibidem
apud sui Ordinis Fratres sepultus die 9. Octobr. vt constat ex vita
ipsius m. s. prout testatur Martinus Baronius in Catal: SS. fol: 159.

Hinc constat errare Rodul: pag:323. b. asserentem Joannem Lobedau. obijsse anno 1522. die 7. Febr: De eo amplius dicitur infra. n.21.

3. Hæc temporis ratio Monasterij, & Ecclesiæ Thorunensis, ac Pomponis Fundatoris: vtrumq; in Minores conferentis, opportunam nobis mentionem porrexit: vt non incongruam, sed ampliorem de eisdem veritatis lucem suggereremus. Diuisis à S. Bonau: anno 1260. post Haymonem, vt Wad: ad cit: annum n. 14. refert in Capitulo Gen: Narbonæ celebrato, Religionis Minoritanæ Prouincijs; etiam Prouinciæ Saxoniæ in numero vigesimum assignauit locum; quæ in Custodia Prussiæ iuxta Rodul: pag: 291. b. *locum Brumsberch, locum Nouæ, locum Culmæ, & locum Thorunij obtinebat.* Ad Conuentum Nouæ, postquam in prioritatem Min: Con: non minùs quàm in vniuersitatem fidei Orthodoxæ, sat superq; arietauerit, & effusè debachata fuerit Luteranæ rabies fidei: PP. Obseruantini in Polonia Bernardini nuncupati, per præuentionem filiali iure (vt ad locum Nissæ quoq; inferiùs dicemus) velut Joannes iunior antiquiore Petro, citiùs præcucurrerunt: ad Conuentum Thorunensem, iure natiuo, & naturali successionis hæredio, penes antiquiores Patres Min:Con: vsq; in præsens remanente.

4. De hoc Conuentu Thorunensi Minis: Prouin: Prouinciæ Saxoniæ Ordinis Min: Con: dederat literas aggregatorias, Conuentui Culmensi Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti, anno 1515: tunc quando PP. Obseru: ante diuisionem nominalem Leoninam, suberant iurisdictioni Min: Con: & non vocabantur eorum Prælati Ministri, sed Vicarij, seu Gen: seu Prouinciales. Harum literarum originale vetustis characteribus conscriptum, egomet dum Bibliothecam Culmensem Min: Con: lustrarem, anno 1667. inueni, & Archiuio Crac: recenter tunc securiori loco erecto reddidi: eius exemplar in apparatu m. s., ad Chronica, Prouinciæ Poloniæ inserendum, à F. Didaco Melero Min:Con: S. T. B. nostro æuo Concionatore, non minùs disertissimo, quàm monumentorum antiquitatis collectore solertissimo, fideliter exaratum: hic verbatim subijcere, non in vanum duxi.

5. Chri-

5\. *Chriſto Deo, ſibiq́ in eodem noſtro Saluatore deuotis, ac venerabilibus Dominabus Barbaræ Kopperynchin Abbatiſſæ, necnon Catharinæ Monokin Prioriſſæ, Eliſabeth Subprioriſſæ Ordinis S. Benedicti, cum vniuerſis alijs Sororibus Conuentûs Culmenſis, præſentibus pariter & futuris: nec non honorandis Capellanis, ſeruis, ac famulabus cum tota familia, præſentibus pariter ac futuris &c. Fr Ludouicus Henningus S. Th: Profeſſor, Fratrumq́ Minorum Almæ Prouinciæ Saxoniæ Miniſter & ſeruus: nec non Reuerendiſſimi Patris totius Ordinis Min: FF. Gen: Minis: Vicarius cum plenitudine poteſtatis, Salutem & pacem in Domino ſempiternam. Quò ſinceriùs Fratres Noſtri Ord:, amore Regis æterni ac Cæleſtium præmiorum intuitu, affectu diligitis & effectu, eò copioſius veſtris charitatibus, ad Sacra deuotionis obſequia dignoſcuntur obligari: & ſi ex debito charitatis omnibus illis, tamen longè ampliùs, qui ſunt Ordinis & Fratrum Min: Benefactores & Fautores peculiares. Proindè pijs veſtris ſupplicationibus [cùm ad ſalutem animarum pertineant) inclinatus, deuotionem quam ad Ordinem S. Patris Seraphiciq́ Confeſſoris geritis affectu ſinceræ charitatis acceptans, dilectiones veſtras mihi ſemper peramandas, auctoritate Reuerendiſſ: P. Noſtri Gen: Miniſtri, mihi in hac parte ſpecialiter indulta, ad totius Ordinis Confraternitatem, & ad vniuerſi Ordinis ſuffragia in vita recipio, pariter & in morte: concedens Vobis per præſentes, plenariam participationem omniũ Miſſarum, Orationum, Canonicarum Horarum, Vigiliarum, Ieiuniorum, Caſtigationum, ac aliorum bonorum Operum ſpiritualium, quæ per Fratres totius Ordinis Noſtri, & Sorores S. Claræ & Fratres & Sorores de Pænitentia, per totum Orbem Domino Deo dignè famulantes, operari dignabitur clementia Saluatoris: aſſumptasq́, animas, Omnium Sororum in Chriſto defunctarum; adq́, nominata ſuffragia adijciens, de gratia ſpecialiter, vt cùm obitus VV. dilectionum, noſtro Capitulo Prouinciali fuerit nuntiatus; pro vobis eadem fient ſuffragia defunctorum, quæ pro Fratribus Noſtri Ordinis, & Ordini peculiaribus, ibidem recommendatis ordinari conſueuerunt; In huius rei teſtimonium, fidem & argumentum, Sigillum Officij mei præſentibus eſt appenſum. Datum in Conuentu noſtro Thorunenſi VIII. Kal. Maij anno Virginei partus 1515.*

Ee 2 6. Hu-

6. Huius Originalis Sigillum, rubeo serico membranæ pergamenæ alligatum dependet; in quo quasi in altari arte sculptoria effigiato, S. Joannes Baptista, agnum cum vexillo manu ad cingulum tenens, cum inscriptione in peripheria. *Sigillum Ministri Fratrum Min: Prouinciæ Saxoniæ.* Huiusmodi literas patentes, vt testatur memoratus Pater Didacus Meler, in m. ss. penes me manentibus, attulit Rñdus D. Mathæus Wrzeszczycki anno 1635, pro tunc Sanctimonialium Conuentûs Culmensis Capellanus: Conuentuiq; Nostro Culmensi Min: Con: reddidit: quo authentico clariùs probaretur, Prouinciam Saxoniæ, & Custodiam Prussiæ, ad eam spectantem, subfuisse Ministro, non Vicario Prouinciali; prout eo anno PP. Obseruantini Vicarijs regebantur, non Ministris. Deinde hæc Prouincia Saxoniæ, à S. Bonau: anno 1260. inter Prouincias fuit connumerata; vt videre est apud Wad: loco cit: antequam PP. Obseruantini essent, aut formaretur, vel reformaretur nomen eorum. Cùm Reformati Obseruantini in suo Antesignano, modo primùm sint nati in mundum anno 1368. vt Art: 12. demonstrauimus, & Prouinciam Saxoniæ reformare sunt aggressi, anno 1463 vt testatur Wad: Obseru: sub eodem anno n. 144. Deinde clarum est vt probauimus Art: 14. n. 27. PP. Obseru: in Polonia Bernardinos nuncupatos, primùm in Poloniam venisse anno 1453, & ante hunc annum nullum locum seu domum habuisse: & dumtaxat anno 1467. nomine Prouinciæ Poloniæ audire cæpisse, ut diximus Art: 15. n. 16. In Prussiam autem primùm ingressi sunt PP. Obseru: anno 1470. vt Wad: Obser: testatur ad annum 1466. n. 3. inquiens. *Sub istud tempus, accesserunt ad Casimirum Regem ad Gedanum celeberrimum Prussiæ Emporium, consistentem: aliquot fratres Prouinciæ Saxoniæ, petentes sibi liceret cænobia inter Prutenos acquirere, quibus dum ille facultatem negaret, dicens: Alemannos Polonis semper inuisos non adeò conuenturos cum Prutenis Poloniæ subiectis, sibiq; suppetere ex familia Religiosa Obseruantum plurimos patres, quibus Prutenam gentem committere posset instruendam. At illi minùs reuerenter & animosiùs quàm deceret Regis verba retorquentes, commissi sunt Custodiæ Vratislauiensi, extra Prussiæ fines in Silesiam*

lesiam transmittendi: magna enim oborta Episcopi erat suspicio missos hos, aliosq; à finibus Saxoniæ ad Magistrum Prussiæ, vt defectionem à Polonis ad Cruciferos, cum quibus Rex bellum gerebat, occultè suaderent. Egit deinde Rex, per suum Legatum Iacobum Debinium cum Pontifice, vt facultatem concederet Poloniæ Obseruantibus, per Prussiam domicilia constituere: atq; ita factum est circa annum 1470. adiutorio præsertim Vincentij Episcopi Culmensis, & Administratoris Ecclesiæ Posnaniensis.

7. Postea ijdem Obser: facultatem à Sixto IV, duas domus in Prussia ædificandi impetrarunt: vt testatur Wad: anno 1475. n.36. inquiens: *Impetrarunt hoc anno à Pontifice licentiam, duos Conuentus in Russia, & totidem in Prussia ædificandi.* Bulla concessionis incipit. *Vberes fructus.* quæ hæc formalia habet. *Et sicut eadem petitio subiungebat; vos Vicario Prouinciæ Saxoniæ obeditis, & propterea saltem semel in quolibet triennio Capitulum Fratrum dicti Ordinis, eiusdem Prouinciæ Saxoniæ, ac iter vestrum per Prussiam est, quando per octuaginta, aliquando verò per nonaginta, interdum per mille milliaria agendo visitare tenemini; in quo quidem itinere nullus locus eiusdem Ordinis de Obser: nuncupatus existit, in quo parumper respirare & vos recolligere valeatis. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, vt vobis duo in Russia, ac vnum, vel duo loca in Prussia, erigendi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur &c.* ex his omnibus hucusq; adductis constat, quid sit dicendum de Conuentu Thorunensi, anno 1239. fundato, & Fratribus Minoribus oblato.

8. Anno sequenti 1240. vt refert Miechou: lib: 3. cap: 39. Henricus II. qui & Pius dictus est, filius Henrici primi cognomento Barbati Ducis Vratislauiensis, ex B. Heduigi progenitus; Monasterium Fratrum Min: S. Iacobi Vratislauiæ erexit: quod Anna eius relicta (ipso pro fidei defensione per Tartaros occiso) ad plenum consumauit, & in eius Ecclesia Ducem & Maritum suum tumulauit: in qua etiam Pomponis Monasterij Thorunensis fundatoris, itidem à Tartaris pro fide Christi occisi, corpus conditum est. De hoc Conuentu Vratislauiensi, quòd fuerit anno 1240. perfectus, cum Miechou: tenet Rodul: pag: 291. b. quem Wad: ad annum 1236. n. 16. ait fuisse extructum; Tandem succedente luteranæ fidei rabie, & circumquaq; in vicinia Orthodo-

xiam submouente, in communi clade eodem loco deturbati Minores etiam fuêre: postea Dei reuiuiscente gratia, & hæresis furorem restinguente, Vratislauiæ iterùm quasi postliminio recepti sunt Min: Con: non ad eandem tamen Ecclesiam S. Jacobi, sed ad aliam S. Dorotheæ, quæ erat Augustinianorum, resederunt: residentq; vsq; in præsentem diem: hac ratione succedentes. Carolus huius nominis IV. fundauerat Vratislauiæ FF. Ord: S. August: Eremitis Anno 1350. Monasterium & Ecclesiam, sub titulo S. Dorotheæ: quo loco commorati sunt vsq; ad Annum 1530, quousq; per Senatum Vratislauiensem (probabiliter etiam accedente assensu Pontificio) ad aliud Monasterium S. Hieronymo Sacrum fuerunt translati. Ad Monasterium autem & Ecclesiam S. Dorotheæ, assentientibus ijsdem PP. Augustinianis, atq; eodem Senatu operante, compactò introducti fuêre Min: Conuentuales, vt primæuum suum Monasterium & Ecclesiam S. Jacobi relinquerent PP. Præmonstratensibus, tunc cum sua domo Ecclesiam S. Vincentij extra mœnia funditùs demolitam luctuosè deplorantibus. Interea non multùm post Vratislauiam Hæretica inuadente rabie, omnes Religiosi suis sedibus pulsi, & domibus submoti: postquàm locus Eremitarum, Augustinianorum S. Hieronymo Sacer, in nosocomium siue gerontocomium extiterit conuersus: tum S. Dorotheæ Ædes, cum omni suppellectili profana manu excussæ, atq; cellæ penuariæ a mortifera Luteranorum tabe extiterint addictæ: tandem opitulante Dei gratia: tum Cæsaris Augusti Matthiæ, pietate imperante, Anno 1612. Min: Conuent: Ædibus S. Dorotheæ restituuntur. Adlaborante ea in causa P. Bonauentura Muzzulini, tunc Prouinciæ Bohemiæ Prouinciali actuali, & P. Alexandro de Tergesto, primo post hanc reinductionem Monialium S. Claræ Vratislauiensium Confessario: tum etiam ipsius Imperatricis Matthiæ Consortis, à SS. Confessionibus Auriculario: vt latiùs de his Acta Conuentùs Vratislauiensis, tum Priuilegia Cæsarea ibidem seruata testantur: quorum transumptum habeo, mihi transmissum, à P. M. Modesto Hanke Prouinciæ Bohemiæ Patre, & meo Amico antiquo; tum eorundem confirmationem recentem, factam a Leopoldo I. Cæsare Augusto.

9. TER.

9. TERTIUS MIN: Prouincialis Prouinciæ Poloniæ & Bohemiæ fuit Fr. Joannes Tener anno 1241. hic morte præoccupatus nullum celebrauit Capitulum. Præfato anno B. Stanislaus Præmisliensis, Guardianus Leopoliensis, Martyr effectus est, & cum alijs sui Ordinis Fratribus (quorum alij trucidati, alij sagittis confossi, a Tartaris tunc illa loca vastantibus) apud Fratres Min: Con: Leopoli est sepultus, Die 8. Octobr: quorum diem Martyrij & locum Conuentus eiusdem Ordinis, ob maiorem populi deuotionem. SSmi Pontifices Romani Innocentius IV. anno 1243: & Honorius IV. 1287. condecorarunt, vt de præmissis omnibus Bullæ seu literæ plumbeæ, in dicto Monasterio Conuent: Leopoli cōseruatæ, latius testantur; prout asserit Martin: Baron: Jarosł: in Catal: SS, & R. P. P. fol: 283.

10. QVARTVS MINISTER Prouincialis Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ: fuit Fr. Raymundus, Secretarius B. Salomeæ, Reginæ Haliciæ seu Galatiæ, & Procurator Domus illius, Vir probitate vitæ, eximia Sanctitate conspicuus: cui ante mortem B. Salomea apparuit, securum eundem de vita æterna nuntians. Hic celebrauit primum Capitulum, seu Prouin: Congr: in Aureo monte, in Festo Assumptionis B. M. V. Anno 1242. Eo anno sua industria recepta fuit domus Sendomiriæ, quæ postea translata est Zauichostium. Secundum Capitulum seu Congr: celebrauit Brunæ in Morauia, in Festo Natiuitatis B. M. V. 1243. Tertium Capitulum celebrauit Sendomiriæ, in quo B. Salomeam ad Ordinem S. Claræ suscepit, & cum B. Prandota Białaczewio Episcopo Crac: Sacro velo amictam Deo consecrauit. Anno 1244. Quartum Capitulum seu Congr: celebrauit in Gretz 1245. De hoc Raymundo Rodul: scribit lib: 1. Hist. Seraph: pag: 141. qui tandem beato fine quieuit: Cracouiæ sepultus apud Fratres Min: Con: Anno Domini 1272. Die 17. Julij. Martin: in Cat: SS. fol: 242.

11. QVINTVS MINISTER Prouinc: Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ, anno 1247. in Capitulo Znoimæ in Morauia: electus Fr. Boguslaus, vir magnæ mansuetudinis & modestiæ: sub ipsius regimine Conuentus Glacensis ædificatur. Item locus in Benissow recipitur, & per Thobiam Præpositum ædificatur: qui

postea

postea fuit factus Frater Minor: ibidemq; 1250. mortuus, & in medio Chori tumulatus. Iste Minister celebrauit primum Capitulum, seu Congr: in Gierlitz, in Festo Natiu. B. M. V: in quo recepit Conuentum Corcinensem, & iteratò Opoliensem; quia antea dimissus erat. Secundum Capitulum celebrauit Cracouiæ, in Festo Pentecost: Tertium in Gretz Dom: in Albis, vbi recepit Conuentum Opauiensem. Hic Boguslaus considerans, quòd Conuentuum numerus in Polonia multiplicaretur, mutauit inscriptionem Sigilli Prouinciæ Poloniam, præponens Bohemiæ sic: *Sigillum Min: Prouincialis per Poloniam & Bohemiam.* De hoc Boguslao scribit Rodul: Hist: Seraph: pag: 142. quòd tempore obitus S. Salomeæ, in quadam visione uiderit duas Columnas marmoreas à cælo protensas, ante Capellam S. Salomeæ, & per easdem columnas, vidit B. Salomeam ascendentem ad altitudinem Cæli: audiuitq; dulcissimum cantum, ad similitudinem melodiæ. *Fronduit floruit Aaron virgula.* Hoc idem refert Miechou: lib: 3 cap: 56. Mortuus est anno 1299. die 19. Augusti, sepultus Cracouiæ apud FF. Min: Con: vt testatur Stanislaus Polonus, antiquus Theologus Min: Con: in Vita S. Salomeæ, & Martinus Baronius Jarosław: in Catal: SS. R. P. P. fol: 24. Huius Ministri Prouincialis tempore anno 1247. duo Fratres Ord: Min: Gerardus, & Marquildus, pro fide Christi, post varia tormenta, à Tartaris crudelissime occisi sunt, in Ciuitate Cremenetz in Volchinio, & apud suos Fratres Min: Con: sepulti; prodigijs Martyrium eorum sequentibus: vt idem Martin: Baron: Jarosław: in Cat: SS. fol: 90. testatur.

12. SEXTVS MINISTER Prouinciæ Poloniæ & Bohemiæ fuit Fr. Ægidius anno 1251. electus: qui eodem anno celebrauit Capitulum seu Congr: Capitul: Vratislauiæ, in Festo Natiuitatis B. M. V. Secundum Olomucij 1252. etiam in Festo Natiuitatis B. M. V. Tertium Pragæ 1253. in Festo S. Joannis Baptistæ cui ipse Gen: Min: Fr. Joannes de Parma præsidebat: in quo ipsemet Ægidius fuit reelectus. Quartū. Celebrauit Capitulū 1254. in Gretz in Festo S. Iacobi. Quintū. in Budisin 1255. in Festo Pentec: Sextum. Vratislauiæ 1255. in Festo Pentecosten. Huius Ministri Prou: tempore Innocentius IV. an. 1253 vt refert Miechou: lib: 3. cap: 51. Assisij

in Ba-

in Basilica S. F. die Natali B. M. V. Sacram apotheosim S. Stanislai Episc: Crac: & Mar: celebrauit, eumq; cælitum fastis adscripsit. Hinc a præmisso tempore in memoriam eiusdem S. Episc: Crac: & Mart. in Basilica Assisiensi Min: Con: canonizati; Episcoporum Crac: succedentium, & iam vita functorum, imagines tabulis depictæ, cuiq; suo epitaphio subscripto, porticus pauimentatas seu peristylia Cracouiæ, apud Min: Con: illustrantes subrogari cæperunt, initialibus ex conflagratione Conuentûs, testudine collapsa igne absumptis; De qua conflagratione refert Wad: ad annum 1462. n. III. inquiens. *Hoc anno die 27. Aprilis horribili incendio media fermè pars Vrbis Cracou: in Polonia ad meridiem & occidentem exarsit. Perijt inter alias Sacras Ædes domus Franciscanorum, Structurâ, Regum munificentiâ & amplitudine insignis, depascente igne ad ima vsq; fundamenta vniuersum ædificium. Hortatus est Pontifex* (supple Pius II.) *pijs efficacibusq; literis, vt restaurando templo reficiendoq; cænobio fideles quiq; concurrerent.*

13. Paulò ante huius Prouincialis tempore Innocentius IV. B. Benedictum, ex maiori Polonia oriundum, Ord. Min. Con. cum B. Joanne de Plano eiusdem Ord: in Tartariam Persidem Legatos misit: qui ibidem pro Christi nomine multa passi, telorum ictibus confossi, ad extremum gladio iugulati sunt, & in Ciuitate Armaloch die 20 Iunij sepulti anno 1248. Auctore Hieremia Buchino lib: 1. par: 2. fol. 95. & Martino Baronio in Catal: SS. R. P. P. fol. 23.

14. SEPTIMVS MIN: Prouincialis Prouinciæ Poloniæ & Bohemiæ fuit Fr. Daniel anno 1256. electus. Iste mutauit inscriptionem Sigilli Prouinciæ præponens Bohemiam Poloniæ sic. *Sigillum Ministri Prouincialis per Bohemiam & Poloniam.* Cum qua inscriptione, Sigillum retinetur à Fratribus Min: Con: Prouinciæ Poloniæ indigenis, & accolis, vsq; in hodiernam diem. Celebrauit primum Capitulum Inouladislauiæ in Cuiauia, in Festo S. Antonij anno 1257, quo anno in eodem Capitulo receptæ sunt domus Calissij & Nissæ: vtraq; diuerso sidere: nam Calissij domus, seu Conuentus, vel primùm, vel iterùm, siue receptus siue constructus asseritur à Luca Wad:, transcribente ex Rodul: in Pro-

uincia Bohemiæ & Custodia Gnesnensi, à Casimiro II. cognomento Magno anno 1339 Muris coctilibus cinctus: idem asserente Miechou: lib: 4. cap: 23. in hæc verba. *Anno 1339. Monasterium Fratrum Minorum sub titulo S. Stanislai, Casimirus Rex Poloniæ in suo Regio Oppido Kalisz fundauit, & muro coctili erexit:* quo acsi duplici siue receptionis siue constructionis titulo, Conuentus Calissiensis Franciscanis Con: habeatur adscriptus. Nisa luteranæ fidei peste vrgente, cum alijs Orthodoxis Min: Con: deturbati, ac eo loco moti fuêre: post subsidente Hæresi PP. Obseru: vulgò in Polonia Bernardini nuncupati, in anno 1517. formatæ Religionis initium capessentes, locum occuparunt Nissæ, & pro Patribus suis filiali iure succedentes, per præuentionem possederunt. De hoc Conu: Nissæ scribit Rodul: in Custodia Vratisl: lib: 2. pag: 291. b.

15. Porrò Conuentus Calissiensis priùs ante annum 1339. fuit receptus, in Capitulo præmisso anno 1257. a Boleslao Pio Duce Calissiense B. Julentæ Marito fundatus: eius prioritatis & Ducalis Magnificentiæ, luculentum ex Dlugosso Nostrate Historico affert documentum in vitis Archiepisc: Gnesnen: Stephanus Damalewicz, vir non minùs doctus, quàm multiformis experientiæ Senex. Hic Archiepiscopum 25. Jacobum Swinka asserit anno 1283. in Ecclesia S. Stanislai Min: Con: fuisse consecratum; sic verbatim inquiens. *Is cum ab Vrbe rediisset Calissij in Ecclesia D. Stanislai Fratrum Min: Con: 17. Kal: Januarij Sacerdos Ordinatus: sequenti deinde Dominico die à Thoma Vratislauiensi, Ioanne Posnaniensi, Goslao Plocensi, Volimiro Lubussensi; præsente Præmislao Duce Maioris Poloniæ, in Episcopum consecratus, pallium ibidem Metropolitanæ dignitatis, præstito iuramento Sedi Apostolicæ assumpsit: in qua solennitate annulum gemmâ & operâ insignem, ab eodem Duce dono accepit, vt disertè meminit Dlugossus in m. ss. tom: 2. Quod autem Lucas Wad: ex Rodul: in Prouinciâ Bohemiæ & Custodia Gnesnensi asserit, anno 1339. à Casimiro cognomento magno Minoribus extructum Conuentum Calis: murisq; cinctum coctilibus: id ita debet intelligi: vt mænibus ciuitatis septus sit Conuentus à Casimiro, quibus iam ante stetit Ecclesia, vt ipsi muri sunt testes in angulum Ecclesiæ iam stantis immissi: quid enim erat necesse contra normam Architecturæ, angulum qui acuto respondere debuit, factum in*

altera

altera parte obtusum: Nimirùm fluuius ciuitatem præterlabens, vrsit partem circuitus muri, in Ecclesiam ante constructam: quæ si vna cum muris Ciuitatis fuisset ædificata, satis habuisset protensæ in alteram partem longitudinis, absq; detrimento proportionis. Fuit igitur Ecclesia S. Stanislai Fratrum Min: ante muros Casimiri, quod Nostras affirmat Historicus Dlugossus, in qua consecratus est Iacobus, & pallium accepit.

16. Cuius asserti non leue est veritatis argumentum: quòd
inter opera, à Casimiro Magno muris coctilibus extructa, non
memoretur Conuentus, vel Ecclesia Calissien: Min: Con: fabri-
cata: vt videre est apud ipsum Miechou: lib: 4. 21. & Bielscium
lib: 2. fol: 239. Deniq; præfati Historiographi Rodul: cum Wad:
idcirco in Prouincijs Poloniæ & Bohemiæ nunc distinctis: Calis-
sium, Pyzdras, Sremum, Obornicium, Radzieiouiam: eosdem
ipsos Conuentus, in Custodia Gnesn: & Gieznensi (quæ in vni-
uerso non reperitur, alia à Gnesnensi) pauculis dissidentibus li-
teris: vt ex Rodul: pag: 293. b. locum Rodicon, Sereni, Pisdiæ, &c.
interponunt, commiscent, & variant; quia has nunc distinctas,
& duas Prouincias aduerterunt, & à principio vnam, sub titulo
Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ institutam fuisse nesciuerunt:
hinc nunc in diuisis, & distinctis Prouincijs, diuersas Custodias,
diuisos, & distinctos Conuentus, diuidere & distinguere, ac cuiq;
proprios assignare, terminos non valuerunt. Proinde hic error
profluxit ex præsenti Prouinciæ Poloniæ & Bohemiæ diuisionis
differentia, & non perspecta præterita in vnitate vtriusq;, tum in
Custodijs, tum in Conuentibus, coalescentia, sub vnius Nomine
Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ.

17. Hic Fr. Daniel Septimus Prouinciæ Bohemiæ & Polo-
niæ Minister: Secundum Capitulum seu Congr: Prouinc: cele-
brauit Iglaviæ anno 1258. Vbi domus Bithomij recepta est: quo
anno referente Miech: lib: 3. cap: 53. & Rodul: pag: 291. tum Wa-
ding: ad cit: annum n. 21. Boleslaus Pudicus cum consensu Pro-
cerum, in Conuentu Corcinij celebrato, ductrice Grimislaua ge-
nitrice sua, ad instantiam Kingæ consortis, & Salomeæ, olim Ga-
latiæ Reginæ Sororis suæ; Ecclesiam & Monasterium, pro 60.
Sanctimonialibus Ordinis S. Claræ Zauichosti fundauit: eisq; do-
tali

tali iure ipſum Oppidum Zauichoſtum, cum 25. villis, prædijs, lacubus, & theloneis, donauit: donationem huiuſmodi, ab omni Regum, Ducum, & Dominorum, exactione, & tributis, perpetuando, & libertando. Hoc eodem anno B. Grimiſlaua Duciſſa Poloniæ B. Boleslai Pudici & B. Salomeæ Mater, Tertij Ordinis S. F. conſoror, die 8. Nouembris obijt ibidem Zauichoſti: vbi aliud Monaſterium, cum Eccleſia pro 12. Fratribus Minoribus fundauit; Sepulta teſtante eius Epitaphio, in pariete Sepulchri ipſius, in Eccleſia Zauichoſtenſi apud Min: Con: his verbis inſcripto. *Illuſtriſſima Domina Grimiſlaua Duciſſa: Mater Inclyti Boleſlai Ducis Cracou: & Sandom: Fundatrix loci iſtius Zauichoſtienſis. Hic iacet humata, regnat cum Chriſto beata.* Eius in vita, tanta in Eleemoſynis elargiendis pauperibus alendis, egenis nutriendis, neceſſitate laborantibus, veſtiendis, extitit liberalitas, vt paſſim per ora omniũ pauperum, hoc elogium de ea reſonaret. *Se pauperes in Polonia huc-uſq; non fore: B. Grimiſlaua Matre Regis Boleſlai Pudici, aduſq; in viuis exiſtente.*

18. Anno ſequenti 1259. B. Agnes ſecunda Abbatiſſa Zauichoſtenſis, poſt S. Salomeam Ord: S. Claræ Regulæ S. F. Min: Con: cum 60. Deo dicatis Monialibus, & alijs plurimis Virginibus: tum 12. Fratribus Ordinis S. Franciſci, à Tartaris pro fide Chriſti trucidata eſt: in Eccleſia illa S. Damiani tumulata. A multis Chriſtianis non ſine miraculis, inſimul honorantur, anno eodem die 2. Febr:, ij omnes eo die purificati cælum aſſequi meruerunt, quo Saluator noſter Patri ſuo offerendus, in templo eſt præſentatus, quorum omnium Nomina in libro vitæ ſunt ſcripta. Hæc ex Martino Baronio Jaroſlau: deprompta, quæ vt ipſe teſtatur fideliter extraxit, ex Archiuio Eccleſiæ Sandomir: ex antiquo codice m. s. de atroci vaſtatione totius Poloniæ a Principe Tartarorum Bathi, & Romano Duce Ruſſiæ; iuxta teſtimonium Annalium R. P., & ipſius in Catal: SS. fol: 11. Recenſet ibi Martinus cit: Sanctimonialium omnium à Tartaris trucidatarum nomina propria 60: & loca oriundarum, tum & 12. Fratrum Min: Con: quæ nos breuitatis cauſa omittimus. Inter Fratres memorat B. Stanislaum Cracou: S. T. D. & Concionatorem Verbi D. feruentiſſi-

tiſſi-

tissimum, tum Dionysium Posnaniensem S. T. B. Eodem anno 1259. Boleslaus Pius Dux Calissiensis Cœnobium Minorissarum S. Claræ Gnesnæ fundauit, & villis, prædiis, dotauit, atq; libertate à Contributionibus communibus donauit, vt refert Miech: l. 3. c. 53.

19. Anno 1260, quo in Capitulo Gen: Narbonæ celebrato, post Haymonem Ministrum Gen: à S. Bonau: Religio Minoritana in Prouincias fuit diuisa, & dislimitata: Fr. Ægidius antea sextus, immediatè post iterùm, nunc tertiò Olamucij in Festo Natiuit: B. M. V. est reelectus Minister Prou: qui anno sequenti 1261. celebrauit Capitulum Benesouij in Festo Pentecosten. Secundum 1262. Brunæ, itidem in Festo Pentecosten: quo terminato idē Conuentus fuit exustus. Ab hoc tempore à S. Bonau: tunc Gen: Min: habuit Prouincia, Commissarium & disquisitorē Gen: Frm. Alanum: qui Fratres Bohemos & Morauos Pragæ, Frēs verò Polonos Vratislauiæ conuocatos examinauit, in negotijs Prouinciæ.

20 OCTAVUS MINISTER Prou: Fr. Petrus Basztyn destinatus fuit à S. Bonau: Min: Gen: ex Capitulo Gen: anno 1263. Pisis celebrato. Hic Min: Prou: primus fuit absq; vsitata & Regulari electione, per auctoritatem dumtaxat Min: Gen: designatus: in dicto enim Capitulo S. Bonau: Min: Gen:, Prouinciam Bohemiæ & Poloniæ priuationi, liberæ electionis Ministri Prou: supposuit; cui per 24. annos obnoxia fuit, atq; priuatæ cupiditatis studio, repagulum oppositum habuit; non liberè electos, sed tantum à Min: Gen: institutos Ministros Prou: retentans. Hoc factum etiam referre licet, ex Joannis Fursten: m. ss. in relationem Fratris Alani, tunc Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ Commissarij, Gen. qui in eodem Capitulo Gen: per suggestionem suam effecit, vt Custodia Morauiæ iungeretur Prouinciæ Austriæ; & Custodia Budisinensis, Prouinciæ Saxoniæ, vt ad eundem annum n. 22. concordat Wad: inquiens. *Eodem anno Custodia Morauiæ complectens Conuentus Brunensem, Olumucensem (qui ante aliquot annos concessus est PP. Iesuitis, dato fratribus cœnobio Monialium S. Jacobi) Opauiensem & Iglauiensem; aggregata est Prouinciæ Austriæ.* idem dicit Rodul: pag: 293. Hic Petrus Basztyn institutus Minister Prou: celebrauit primum Capitulum Anno 1264. Vratislauiæ, in Festo S. Francisci.

21. Hoc anno 1264. B. Joannes Lobedau Patriâ Thorunensis, obijt Culmæ, apud suos Fratres Min. Con: sepultus, vt supra diximus n. 2. Cuius ossa cum à furente hæresi exhumata, cum alijs confusa, & alienis permista fuissent, deuotio & cultus ad eum in populo refriguit: Verùm pietas Joannis Lipski Antistitis Culmensis anno 1638. vt testatur Schembechus supra cit: eandem deuotionem, & cultum; acsi postliminio rediuiuum, iterùm innouauit, & auctoritate publica instaurauit. Hæc testantur inscriptiones infantiæ Christi, altaris imaginem eiusdem Sancti continentis, vtriq; lateri appositæ Culmæ in Prussia apud Min: Con: *Ad latus dextrum.* Diuo Joanni Thorunensi Minoritæ, Præsulis Optimi Joannis Lipski pietate, in honoribus instaurandis rediuiuo. *S. P. Q. C.* suo Tutelari antiquo gratulatur exultans. *Ad latus sinistrum.* Diuo Joanni Prutheno Ord: Min: antiquos honores à perfidis profanatos, piè restituens Ioannes Lipski Culmensis & Pomesaniæ Antistes: eius patrocinio se suasq; oues Pastor indignus supplex commendat.

22. In eodem Anno Petrus Basztyn Minister Prouinc: vrgentibus Prouinciæ negotijs, secundum Capitulum Dominica Jubilate in Gretz celebrauit, vbi receptus fuit locus Glogouiæ maioris. Tertium Capitulum celebrauit Opauiæ in Festo Pentecosten anno 1265. Ad hunc annum referente Wad: n. 21. Clemens IV. *Capaces declarauit vniuersos Minoritas, vt succederent licitè in bonis Parentum, possessiones apprehenderent, & in suam vtilitatem conuerterent; prout sibi meliùs videretur expedire: vniuersas Censuras occasione præmissorum contra illos latas, decernens irritas, & inanes, Obtentu Diuini Nominis. 2. Idus Febr: quod tamen Sixtus IV. postea declarauit de Obseruantibus non intelligendum.* De hac declaratione diximus etiam Art: 5. n. 22.



ARTICVLVS XIX.

In quo Ministri Prou: à Min: Gen: instituti recensentur. Obitus B. Salomeæ, B. Bolesl: Pudici, B. Iulentæ, & aliorum SS. Polonorum, de Ord: Min: Con: exprimuntur. De Henrico Minorita Con: Archiep: Gnes: disseritur.

1. NONUS MINISTER PROV: fuit Gamfredus à S. Bonau: Min: Gen: anno 1266. in Capitulo Gen: Parisijs celebrato institutus. In hoc Capitulo duæ Custodiæ Morauiæ, & Budissinensis Prouinciæ fuerunt restitutæ. Eodem anno Gamfredus Capitulum habuit Pragæ in Festo S Jacobi. Secundum anno 1267. Lutomiricij in Festo Pentecosten, & anno sequenti 1268. ingens cum afflixit dissidium, inter Fratres Poloniæ & Bohemiæ exortum. Bohemi à Gamfredo recedentes, Pragæ in Festo Pentecosten Vicarium Prouinciæ Fratrem Jacobum Diedonis sibi elegerunt, interposita ad Sedem Apostolicam appellatione. Gamfredus cum alia parte Fratrum, celebrauit Capitulum in Aureo Monte: tandem vacante S. Sede post Clementem IV. Minister Gen: per suum Commissarium discordes reconciliauit & vniuit.

2. Hoc anno 1268. quo & Clemens IV. B. Salomea Haliciensis Regina 17. Nouembr: die Sabbathiuo in Monasterio Scalensi defuncta est: in quo Nostrates vernaculi concordant. Rodul: lib:2. fol: 292. & ex eo Wad: addunt, B. Salomeam antequam moreretur, de sepultura Corporis sui talem dispositionem reliquisse, vt ex Cromero tom: 2. lib: 9. & actis m. s. asserit Wad: cit: anno n. 4. in hæc verba. *Post mortem meam corpus tradatur Fratribus nostris Minoritis, si illud velint apud se sepelire.* Hoc ex Nostratibus depromptum, pro certo teneri potest: sed quod adiungit Wad: n. 6. incertum est quod ait. *Dum per septem integros dies in feretro iaceret in Choro Monialium incorrupta, odorem spirans gratissimum, & oleum sudans saluberrimum, &c. die octauo post traditum corpus sepulturæ apud*

D. Fran-

D. Francisci Cracouiensis ædem, quò funus translatum. Hoc quò ad sepulturam die octauo post eius obitum peractam, non solùm incertum, sed & falsum Nostrates Historici conuincunt. Dlugossus enim ad annum 1268. refert Corpus eius 4. Idus Nouem: in eodem Monasterio Scalensi, seu de lapide, sepultum fuisse: & non nisi anno sequenti 1269. 4. Kal: Julij Cracouiam transuectum, & & in Ecclesia S. Franc. Fratrum Min: in Chori medio congruo honore sepultum: quod Adamus Opatouius Vitæ S. Salomeæ ex authenticis patrijs m. ss. documentis collectæ, & vernaculo idiomate conscriptæ fusiùs enucleat, asserens part: 2. Art: 23. Fratres nostros Min: Con: cum Sanctimonialibus iure egisse; idq; per diffinitiuam sententiam effecisse, vt corpus ante octo Menses, Scalæ ad lapidem S. Mariæ humatum, exhumari & Cracouiam transferri, ac in Æde S. Fran: Min: Con: sepeliri opus fuisset.

3. In translatione Corporis eius, vt cit: Opatouius Art: 24. asserit: corpus fuisse inuentum incorruptum, oleum stillans fragrantissimum, & postquam fuisset currui, non quadrigis, vel sexigis more Magnatum: sed ob humilitatem Religiosam; octo parium boum iugis iuncto impositum, (in quo imitatio reluxit translationis Corporis B. P. F, quod bobus quoq; currum trahentibus fuit deuectum, & ad iteratam sepulturam vbi nunc requiescit translatum, vt refert Rodul: pag: 237. b.) Loco moueri non potuit: frustra frequenti verbere iumenta peturgentibus essedarijs: quo viso miraculo Fr. Albertus Vitæ B. Salomeæ Confessarius, à Superioribus designatus, Sacras exuuias alloquens, in virtute S. Obedientiæ præcepit: vt Maioribus quibus in vita sua, se submisisset, & dependentem ab eis sepulturæ dispositionem fecisset, etiam post mortem illis non reluctaretur, sed obtemperaret eorundem voluntati· Mirùm statim currus S. Corpore onustus, prouehi incepit, & ad Promnicum peruectus, inuisæ pulchritudinis planè cælestem oscinem, de alto in eius Sarcophagum deuolantem excepit, quæ pauxillum demorata, post in altum auolans, iteratò deuolans, æternam beatitudinem per arctam viam inuolasse Salomeam mirandè significauit. Tandem Cracouiæ 28. Julij. anno 1269. apud Fratres Min: Con: in medio Chori, sub lapidibus

sectis

fectis corpus eſt ſepultum: ſed de eo loco poſtea leuatum, & ad Sacellum Salomeæ nomini ſacrum translatum, ibidem requieſcit Beatum.

4. DECIMVS MINISTER Prou: Fr: Deodatus, à S. Bonau: in Comitijs Gen: anno 1269. Aſſiſij celebratis fuit datus. In his Comitijs Cuſtodia Crac: iuncta fuit Prouinciæ Hungariæ; Cuſtodia autem Budiſſinenſis Prouinciæ Saxoniæ. Hic Min: Prou: eodem anno celebrauit Capitulum Olumucij, in Natiuitate B. M. V. & breui poſt mortuus eſt. Eodem anno B. Henricus Ord: Min: Con: Guardianus Crac: & Secretarius S. Salomeæ Virginis Reginæ, Vir deuotiſſimus, exemplaris, & multæ doctrinæ, à Tartaris Poloniam latè depopulantibus, pro Nomine Chriſti occiſus eſt, & ab Angelis cum gloria magna in cælum aſſumptus. Cracouiæ apud Min:Con: ſepultus 5ta Junij. Auctor eſt Staniſlaus antiquus Theologus cognominatus Min: Con: in Vita S. Salomeæ. & Martinus Baronius Jaroſl: in Catal: SS. fol:104. Cum hoc Henrico etiam vndecim alij Sancti eiuſdem Ord: Min: Con: pro fide Chriſti occubuerunt, & in eodem loco Cracouiæ ſunt ſepulti.

5. VNDECIMUS MIN: Prou: Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ, poſt mortem Fratris Deodati inſtitutus fuit Fr. Mathæus, qui anno 1270. celebrauit Capitulum ſeu Capitularem Congr: in Aureo Monte, pro Feſto Pentecoſten. In hoc Capitulo aſſerit Joannes Furſten: in m.ſs. domus Gneſnæ & Sremæ fuiſſe receptas. *Duodecimus Min: Prou:* Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ Fr. Nicolaus Morauus in Comitijs Gen: Piſis anno 1272. à S. Bonau: celebratis inſtitutus fuit. In his Comitijs Cuſtodia Cracou: reddita fuit Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ, ſed Budiſſinenſis & Vratiſlauienſis, adiunctæ ſunt Prouinciæ Saxoniæ. Hoc anno 1272. Moritur B. Raymundus B. Salomeæ Secretarius, & procurator domus eius; cuius tonſuræ Sacræ in ſolennitate tundendorum, ritu Religioſo capillorum, cum Prandota Białaczeuio Epiſc: Crac: celebrauit Miniſterium: de quo præfati ſumus Art: 18. n. 10. Sepelitur Crac: apud Min: Con: Fr. Nicolaus Miniſter Prouinciæ celebrauit Capitulum Pragæ, anno 1273. in Feſto Natiu: B. M. V. Secundum celebrauit 1274. Cracouiæ, & ſequenti anno 1275. celebrauit Bru-

næ: anno verò 1277. in Comitijs Gen: Patauij celebratis (de quibus Wad: ad eundem annum n. 8.) confirmata fuit pro Ministeriatu Prouinciæ institutio F. Nicolai, qui celebrauit Capitulum eodem anno Calissij: in quo Conuentus Pyzdrensis receptus est, ex testimonio Joannis Furstenchain: in m.ss.

6. Anno 1279. in Capitulo Gen: Assisiensi à Fratre Bonagratia Min: Gen: confirmata est iterum eiusdem Fratris Nicolai pro Ministro Prouinciæ institutio, qui eodem anno celebrauit Capitulum Opolij in Festo S. Michaelis: quo anno Boleslaus Pius, ita dictus à Piis operibus Dux Calissiensis: Conuentûs & Ecclesiæ Calissiensis Min: Con: Fundator, & alterius Monasterij in loco Bernassiæ 1259. extructi: de quo Rodul: lib: 2. fol: 293. b. in Prouincia Bohemiæ & Custodia corruptè dicta Gesnensi, vt supra Art: 18. n. 16. præfati sumus. Huius Conuentus Bernassiæ etiam meminit Wad: ad eundem annum n. 16. Tertij quoq; Monasterij Minorissarum Ord: S. Claræ Gnesnen: munificus Fundator relictis vt scribit Bielsc: pag: 190. tribus filiabus, tutelæ nepotis sui Præmislai commendatis. Obijt 7mo Idus Aprilis, Sacramentis munitus, vt refert Miechou: lib: 3. cap: 50. Consecutus est eum morte ad finem eiusdem anni 4. Idus Decem: B. Boleslaus Pudicus Dux Poloniæ B. Grimislauæ Filius. B. Cunegundis maritus; B. Salomeæ Vterinus, Tertij Ord: S. F. Frater, Conuentûs & Ecclesiæ Cracou: Min: Con: & Monasterij S. Andreæ Ord: S. Claræ, tum aliorum tam intra quam extra Cracouiam, itidem Fundator munificus: de cuius obitu in Vita eius lib: Intitulato Vitæ SS. 4. Fratrum Polonorum pag: mihi 39. Martinus Jaroslau: sic verbatim scribit. *Munificus felix obdormiuit in Domino, Cracouiæ in Ecclesia S. F. Conuentualium, à dextris Altaris maioris sepultus; Anno Domini 1278. Die 4. Decemb. apud eius sepulchrum cælestes radij noctu visebantur.* Puto notis numerorum mendum irrepsisse: cùm Historiographi quos Martinus citat, annū mortis eius 1279. assignant, vti Bielscius lib: 2. pag: 191, & Wad: ad annum 1279. n. 6. cit: Cromerum lib: 9. rerum Polon: ad finem, & ad annum 1237. n. 12, citans Jodocum, & Ludouicum Decium.

7. In hunc annum 1179. idem Martinus Baronius in Catal:

SS. R. P. P. fol: 113. Obitum B. Julentæ seu Helenæ recidisse asserit inquiens. *B. Julenta seu Helena Bellæ Regis Hungariæ, ex Matre Maria Alexij Imperatoris Græcorum filia, Vxor Boleslai Ducis Calissiæ, Soror verò germana S. Cunegundis Reginæ Poloniæ, & B. Constantiæ Ducissæ Russiæ, Matrona deuotissima, ac omni genere virtutum ornata, cultusq; Diuini Maxima & assidua Promotrix. Ad cuius instantiam & petita: Boleslaus Pius Dux Calissien: Monasterium Sororum Gnesnæ maximis sumptibus ædificauit, plurimisq; pagis ac prædiis dotauit: quo Boleslao Duce mortuo, totam se tradere cupiens Christo, à B. Ioanne Prandota Episc: Crac: Regulam S. F. Conuentualium, vna cum B. Cunegunde Sorore sua & S. Salomæa Regina Haliciæ Ordinis S. Claræ suscepit, & Sacro velamine vestita est. Spretis igitur sæculi huius blandimentis, totum vitæ suæ tempus post piè & sanctè defunctum Maritum suum, in eodem Monasterio Gnesnensi in ieiunijs, orationibus, & Regularibus exercitijs, in vigilando, ac pijs operibus in egenos, pauperes, debilesq; (quibus cum summa humilitate sæpissimè famulari solebat) dedita, multa arcana Cælestia, visionesq; mirabiles Passionis Dñi Nostri Jesv Christi (cuius miro deuotionis recolendæ tenebatur affectu) videre promeruit. Vno etenim tempore paulò ante mortem suam, acerbam Passionem Christi deuotè recolenti Dominus Noster Iesvs Christus cum Beatissima V. Matre sua, & S. Salomea, nudus, flagellatus, vberrimoq; sanguine conspersus, eidem in maxima charitate apparuit eandem consolans, & præmia vitæ æternæ pro contemptu mundi & amore sui promittens: quâ visione in animo consolata, summo cum desiderio dissolui cupiens, Sororibus mortem suam prædixit; in professioneq; Religionis easdem confortans, & futura prædicens; præmia laborum, & bonorum suorum à Sponso Jesv recepturas: Viuificisq; Sacramentis munita, Beatam animam in manus Creatoris sui commendauit. sicq; placidè expirauit. Post suam verò mortem breui Abbatissæ loci illius infirmæ in agone existenti, magna claritate refulgens, cum S. Stanislao Cracou: Episc: apparuit, in infirmitateq; eius eandem consolans, pristinam sanitatem à Deo impetrauit. Sepulta est per Sorores Gnesnæ Anno D. 1279. die 28. April:*

8. Rodul: vero lib: 1. pag: 140. b. sic refert. *B. Iulenta Polona Ducissa Calissien: fundauit Monasterium Monialium Gnesnæ, quæ est Metropolis Poloniæ Maioris defuncto Viro, construxit Monasterium in quo*

sanctè vixit ibiq; sepulta. de anno nihil commemorando. Verùm apud Bielscium inuenio B. Julentam vlteriùs superuixisse, scilicet in anno 1286. & iuxta Miechou: in anno 1287: dum Tartarorum ferocissima gens, Ducibus Nogaij & Thelbuga Poloniam vastaret, ferro igniq; absumeret, & vsq; ad Alpes Pannonicas grassaretur; eo tempore B. Cunegundis Boleslai Pudici, B. Julenta Boleslai Pij Ducis Calissiensis, B. Constantia Danielis Russiæ Regis; omnes relictæ & Sorores germanæ, cum 70. Sanctimonialibus multisq; Sacerdotibus & Militibus, in Castrum Pienini, quod supra Donaiec fluuium, prope Oppidum Croszczenko situm habet, naturâ & arte munitissimum: Vno tantùm angusto transitu adibile, se contulit, & illic per tempus vastationis Tartaricæ permansit: Monasterio (quod dereliquerunt) Sądecensi, à Barbaris illæso permanente; Idem dicit Wad: anno 1287. n. 5.

9. Proinde hoc quod dicunt Bielscius cum Miechou: Nostrates, de Vita B. Iulentæ; post mortis tempus à Martino Baronio præfixum. Bielsc: quidem fol: 197. Miechouiensis Lib: 3. cap: 59. probabiliùs videtur asserendum; & quòd eodem anno 1279. vtroq; Boleslao Pudico, & Pio fato extinctis, vtriusq; Sororis Maritis, Cunegundis & Julentæ: vtramq; etiam Sororem cit: anno vt asserit Bielscius lib: 2. fol: 191, simul secum in eodem loco conuenisse, atq; (vt Wad: ad eundem annum 1279. n. 6. de B. Cunegunde his præcisis scribit. *Ac mox vnà cum Sorore Iulenta, quæ post mortem Mariti Boleslai supra dicti Calissiensis Ducis, ad eam se contulerat: distractis & in vsus egenorum distributis cunctis facultatibus suis, Clarissarum instituto sese addixit, & veterem Sandeciam, ne quicquam refragantibus & renitentibus proceribus commigrauit, ibiq; reliquum vitæ tempus, in Monasterio à se & viro suo condito peregit.* Siue ergo B. Julenta cit: anno Sądeciæ vnà cum B. Cunegunde, vt præfati Auctores asserere videntur, Sacro velamine S. Claræ fuerit inuestita; siue Gnesnæ apud Sorores suas, in Monasterio à Marito suo fundato, ab Archiepiscopo Gnesnen: seu Ministro Prouin: pro tunc Nicolao, vt conuenientiùs esset sentiendum: tamen neq; Julenta, neq, Cunegundis anno 1279. poterant tonsurâ Sacrâ à B. Joanne Prandota Białaczeuio Episc: Crac: initiari vt asserit Martinus Baron:

ron: loco cit: Sed vel ab alio, vel à Fre. Nicolao Ministro protunc Prouinciæ, vti Ordinario: nam Prandota antea anno 1266. è vita excesserat, vt asserit Miechou: lib: 3. cap: 55. in fine; & Kancki in vitis Archiepiscoporum & Episc: Crac:

10. Quanquam etiam mihi mirùm videtur, B. Julentam post mortem Mariti sui, veterem Sądeciam commigrasse, institutum S. Claræ ibidem suscepisse, & cum B. Cunegunde, de eodem Monasterio hostiles incursus præueniendo recessisse: cùm Gnesnæ Sanctimonialium Monasterium (cuius ipsa apud Maritum suum auctrix, & promotrix fuit; & in quo piè vixisse mortua & sepulta fuisse traditur, ac eius Reliquiarum Sarcophagus ibidem visitur) ante hoc tempus constat extitisse. Sed hoc totum saluari potest, si concedamus præfatis Auctoribus, B. Julentam Sądeciæ præfato anno institutum S. Claræ, simul cum B. Cunegunde suscepisse, & postea ad suæ fundationis Monasterium Gnesnam redijsse: tandem ob metum incursus Tartarorum, à B. Cunegunde Sorore, in Montana securiora loca euocatam fuisse; deinceps euoluto ferocissimæ gentis cataclysmo, & in suum stygium iam exonerato, Gnesnam ad suum Cænobium reuersam, vltimam diem clausisse, & vt eius Mausoleum testatur, ibidem sepultam fuisse. Verùm ex incertis certum elicere, tantùm est quantùm de testa nucleum trahere, de petra oleum sugere, vel flores de spina legere.

11. Anno 1280. Fr. Nicolaus Minister Prouinciæ celebrauit Capitulum Opauiæ in Festo Pentecosten. Item 1281. celebrauit Capitulum in inferiori Głogouia in Festo Pentecosten, quo anno Joannes Fursten. in m.ss. affirmat in Prouincia Bohemiæ & Poloniæ fuisse præsentem Bonagraciam Mĩn: Gen. Ex hoc fundamento, puto veterem traditionem ortum duxisse asserentem, S. Bonau: in Prouincia Bohemiæ & Poloniæ præsentialiter fuisse: Analogiæ nominis deceptu, Bonauenturam pro Bonagratia reputantem. Hoc anno 1281. Theodorici Bremensis Ducis ex Polona Eudoxia, Ducis Mazouiæ Conradi Filia, è vetusta Piastæorum stirpe, quæ in Casimiro magno Ludouici Pannoniæ Regis auunculo est extincta: filius, Fr. Henricus Brem: Ord: Min. Con Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnen: per Martinum IV. in Archiepisc: præficitur,

tur, vt euidens testimonium perhibet Bulla prouisionis illius, apud Wadin: ex Regesto Vaticano Epist: 126. deprompta, & ad præfatum annum exarata: quæ incipit. *Onerosa Pastoralis.* intrò contenta verba hæc complectens. *Ac te Fratrem Minorum Ordinis professorem, de Fratrum nostrorum consilio, & Apstolicæ plenitudine potestatis, prædictæ Ecclesiæ in Archiepisc: præfecimus.*

12. Hic Fr. Henricus Brem: cognationis gradu tertio, B. Heduigim contingens, institutum S. F. in Monasterio Opoliensi amplexus est, vt testatur Stephanus Damaleuicius in serie Archiepisc: Gnes: in vita Archiep: 24: qui rectè etiam aduertit, duos Henricos fuisse de Ducibus Bremensibus, Metrop: Ecclesiæ Gnes: primitiali purpurâ præfulgentes, prior qui Zdislao successit, quem Simon Okolski in Orbis Poloni Tom: 1. in familia Kietliciorum, cum hoc secundo confundit, & valdè aliter rem miscendo narrat, (vt colligo ex Wad: ad annum 1281. n. 7, à Bzouio errorem mutuatus) in origine enim Kietliciorum anno 1200, ab Innocentio III. confirmatum dicit Henricum; mox sui oblitus in familia Kietliciorum sic inquit: *Kietlic Henricus Archiepisc. Gnesn: anno 1200* &c. & infra. *Henricus Religionem S. F. complexus fuit, sed per dispensationem Canonicus Magdeburgensis factus, postmodum à Martino IV, ob sanctitatem & instantiam Principum Consanguineorum, Archiepiscopus Gnes: denuntiatus fuit:* quæ relatio Okolscij octuaginta annis & vno, à veritate distat; nam Martinus IV. Summus Pontifex, creatus fuit anno 1281. Oct: Kal. Martij. vt præter indicem Summorum Pontificum, corpori iuris præmissum, & Flauium Cherubinum in Compend. Bullarij. Wad: ad annum 1281. clarè edisserit: & ob id anno 1200. a Martino IV, qui hoc anno probabiliter nondum natus fuerat, confirmari non potuit. Nec hic Henricus de quo Okolscius disserit, Ordini Franciscano adscribi potuit, vt qui in Archiepiscopatu Gnesnen: iam 9. annos vixisset, antequam Ordo Franc: confirmatus ab Innocentio III. fuisset: Scilicet anno 1209. vt Art: 1. n. 15. supra adnotauimus. Imò ipsam conuersionem S. F. quam ibidem anno salutis 1206. auspicatum diximus, n. 4. annis sex in Archiepiscopatu præcessit. Quare non hic Henricus Kietlic, sed Henricus Brem: Franciscano Ord. est adscriben-

dus,

dus, quanquam vterq; de familia Kietliciorum, & Ducum Bremensium sanguine fuerint; pro Gentilitijs armis, triplicem Catenam de vno circulo pendentem gerentium, non verò zonam seu funiculum cinctorium Ord. S. Fran: ex deuotione pro armis assumentium, vt Okolski leui coniectura ex Archiepiscopo Franciscano desumpta nulliter interpretatur, cùm Ducum Bremensium cum eo insigni familia, Franciscanæ familiæ ortum sat superq; præcesserit.

13. DECIMVS TERTIVS Min: Prou: Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ: fuit Fr. Cesslaus, à Ministro Gen. Bonagratia anno 1282. institutus, in Comitijs Gen: Argentinæ celebratis. Hic eodem anno celebrauit Capitulum Glacij in Festo Natiuit: B. M.V. Secundum 1283. Znoimæ in Festo Pentecosten. Hoc eodem anno B. Agnes Bohema (de qua Art: 17. n. 2. præfati sumus) vltimum die clausit in templo Pragensi B.M.V. sepulta die 6. Martij, scribit Rodul: pag. 136. b. eam fuisse Friderico secundo Romanorum Imperatori desponsatam, sed hortatu Fratrum Min: Con:, spreto Imperiali Connubio, æterno Sponso virginitatem consecrauit, & S. Claræ Ord: professa: tantam sanctitatis suæ famam per totam Alemaniam diuulgauit, vt eius intuitu multa Monasteria fuerint constructa, & multæ Comitissæ, Baronissæ, & Marchionissæ, cæteræq; Perillustres fæminæ: in eis Domino famulantes, se sponte occluserint. Audito hoc felici nuntio B. Clara, maximâ lætitiâ perfusa est, misitq; B. Agneti velum, quosdam Pater noster seu precarios globulos, & scutellam, quâ ipsa vtebatur, & quoddam vasculum ad bibendum: Accepit Agnes munuscula libenti animo, multisq; lapidibus pretiosis illa exornauit; quæ in maxima veneratione nunc quoq; asseruantur. Hæc ex Rodul. ait de eius morte Wadin: ad cit. annum n. 4.

14. Anno 1284. Fr. Ceslaus celebrauit tertium Capitulum Cracouiæ, in Festo S. Stanislai; eius institutio pro Ministeriatu Prouinciæ in Capitulo Gen: Mediolani anno 1285. celebrato, à Fre Arlotto à Prato Min: Gen. prorogata est: qui eodem anno celebrauit quartum Capitulum, in superiori Glogouia, ipsa die Octaua S. Fran: Anno 1286. Celebrauit Capitulum Olumucij in

mora-

Morauia, in quo Capitulo receptus fuit (ex testimonio Furstenh: in m. ss.) Conuentus Brzeznicиæ in Polonia, qui post duos annos translatus fuit Radomscium: & interea Fr. Cessaus ab Officio sui Ministeriatus fuit suspensus, vsq; ad futura Comitia Gen: celebrata in Monte Pessulano.

ARTICVLVS XX.

In quo Prouinciales Min: non iam instituti sed liberè electi enarrantur. Conuentus Noui acceptantur. Inquisitores hæret: prauit: creantur. B. Cunegundis Obitus, & aliorum BB. memoratur. Vladislai Loctici in Min, Con: affectus prædicatur.

I. DECIMUS QUARTUS Min: Prou: non iam à Ministro Gen: institutus, sed liberè secundum Regulam electus est, Sadeciæ Nouæ in Festo Nat: B. M. V. Anno 1287. Fr. Theodoricus: eodem quippe anno celebrata fuêre comitia Gen: in Monte Pessulano, in quibus fuit electus in Min: Gen: Fr. Matthæus de Aquasparta, Lector Sacri Palatij. Hic in eodem Capitulo restituit vocem actiuam, & electionem liberam Min: Prouincialium Prou: Bohemiæ & Poloniæ, à S. Bonau: Min: Gen: priuationi suppositæ: à quo tempore non electos sed institutos tantùm à Min: Gen: recipiebat suos Minis: Prou. Hic Theodoricus celebrauit primum Capitulum Inouladislauiæ, in Festo Pentecosten Anno 1288. in Cuiauia. Secundum celebrauit Anno 1289. Glacij in Bohemia in Festo Natiu: B. M. V. Hoc eodem anno B. Adalbertus Ord: Min: Con: B. Salomeæ Confessarius, & Confessor Christi, miraculis clarus, vir deuotissimus, Contemplatiuus, & in orationibus assiduus, moritur Sadeciæ Nouæ apud Min: Con: sepultus die 15. Nouem: Auctor Dlugossus in Vita S. Salomeæ, & S. Cuneg:, & Mart: Baron: in Cat: SS. fol: 8. Eodem anno Fr. Theodoricus celebrauit Capitulum Nissæ in Nat: B. M. V. in quo iterùm reelectus est in Min: Prou: anno 1291. celebrauit Capitulum Czaslauiæ in Bohe-

Bohemia in Festo Pentecosten. Anno 1292. celebrauit Capitulum Bitomij in Silesia, in Festo S. Michaelis: in quo Capitulo Cõuentus Obornicensis in Maiori Polonia receptus est.

2. Hoc anno 1292. B. Cunegundis Soror B. Julentæ de ijsdem Parentibus, quos Art: 19. n. 7. recensuimus, Obijt Sądeciæ in Monasterio a se fundato, vt Historici Poloni testantur. Dlugoss lib. 3. cap: 65. Bielscius lib: 8. fol: 366. Annales Poloni lib: 6. fol. 283. Herburtus lib: 6. cap: 7. & alij cit: a Martino Baron: qui in Cat: SS. fol: 187. de B. Cunegunde sic præcisè scribit. *Hæc quæ quantaq; apud Deum & homines fuerit, plurimi monumentis suis tradidere. Insignem Canonizationem simulq; translationem S. Stanislai M. & Episc: Crac: sumptibus Mariti pij, & studio B. Prandotæ Episc: Crac: accedentibus procurauit, & absoluit. Cuius B. Ossa dum humo tollerentur licentiâ à Summo Pontif: habitâ, ipsamet proprijs manibus, maximo cum honore attrectando & exosculando lauit. Illius beneficio & meritis sal lucidum ad instar Crystalli, Saxorum duritiei in Minori Polonia in Pago Bochnia impetratum & repertum, Annales Polonorum tradunt, & fides publica perhibet. Id autem eo modo. Cùm enim Poloni sale carebant, verùm aduectitio ex Hungaria vtebantur: S. Cunegundis rebus Polonicis prospici cupiens: Hungariam hospitalitatis causa ad Patrem veniens, ab eoq; humanissimè recepta, ab eodem Parente petijt, tantùm sibi salis dari quantùm vno foramine, & loco sal extrahi solitò suppeditari possit: quâ re vti interim non magni momenti à Parente impetratâ, & annulum cum sigillo Stemmatis Parentis, eius rei in euidentius testimonium sibi dari postulauit. Rege verò Charissimæ Filiæ nihil abnegante, sed vltrò & annulum concedente, eodem recepto, gratijsq; Parenti actis, in locum extrahendi salis annulum eundem coniecit, loco eodem se illicò mirabiliter claudente. Tandem Poloniam veniens, cùm fortè fortunâ, aquæ ductus in Pago Bochnia foderetur, miro beneficio Diuino, locò aquæ sal perlucidum reperitur, quo adinstar Banci in fodinis eisdem extrahi solito, ad Regem Pium & B. Reginam perlato, ac eodem discusso, annulus Regis Hungariæ Parentis S. Cunegundis (qui ad præsens Sædeciæ in Monasterio Virginum conspicitur) apparet acsi Dei Beneficio & meritis ipsius Sanctæ, Sal in hæc loca vicina allatum esse perhibetur. Mortuo verò B. Boleslao Pudico suo Marito, vt eò liberiùs & securiùs Diuinis Obsequijs vacare possit, Monasterium*

rium insigne pro centum & viginti Virginibus, in finibus Hungariæ, inter fluuios Donaiec & Poprot; non procul ab asperis Montibus fundauit, & erexit: possessionibusq; non modicis liberalissimè dotauit. Demùm institutum B. Fran: amplexata, Ordinem S. Claræ Monialium Claustralium ingreditur, & à B. Prandota Episc: Crac: vnà cum B. Constantia Sorore sua & S. Salomea Regina Haliciæ consecratur, ac Sacro velamine induitur. vbi in summa humilitate &c. Sadeciæ in Minori Polonia, in Monasterio Virginum à se extructo, honorificè est sepulta. anno D. 1292. Die 24. Julij. Hæc ex Mart: Baronio.

3. Qui in hac relatione Historica & veritati & sibi contradicit: (nisi error in numerales notas irrepserit) veritati, dum asserit B. Cunegundem simul cum B. Salomea, à B. Prandota Białaczeuio Episc:Crac: in vestalem fuisse consecratam: & sibi simul: dum asserit in Cat: SS. R. P. P. fol 285. B.Salomeam obijsse anno 1268, & rursum B. Cunegundem cum B.Salomea, & B. Julenta, Ordine FranciscanoClarissarum anno 1279. initiatas fuisse, vt Art: 19. n. 7. demonstrauimus, quo tempore post mortem suam B. Salomea non potuit Ordine S. Claræ initiari, nisi in Cælesti Patria gaudijs sempiternis copulari: vt enim Wad: ad annum 1254. n.37 de B. Salomea refert his verbis. *In Sanctimonialium cætum se recepit nonnisi circa annum 1243.* quo anno non potuit simul cum ea Cunegundis idem institutum Clarissarum suscepisse, Marito suo adhuc superuiuente, neq; B. Salomeam cum B. Cunegunde ad annum 1279. à B. Prandota simul consecrari potuisse, vti iam ex hac vita sublatam, prout ostendimus Art: 19. n. 2. Prandotam quoq; iam tunc defunctum fuisse, constat ex eodem Art: n. 9.

4. DECIMVS QVINTUS Min: Prou: Fr. Matthias electus in Capitulo Gnesnæ in Maiori Polonia celebrato; anno 1295. Eodem namq; anno in Capitulo Gen: Assisij celebrato Fr. Raymundus Gaufredi Min:Gen:absoluit Fm̄. Theodoricum ab Officio Prouincialatus, deditq; Prouinciæ post Aquaspartanum iteratò liberam electionem Ministri Prou: eligendi: Eam autem ob causam Fr. Theodoricus (vt conijcere licet) fuit à præfato Min: Gen: ab officio Ministeriatus absolutus, quia vltra tempus, consuetum eius Officium fuit plùs æquò protractum, vt ex supputatione Calculi,

culi, ab eius electione, vsq; ad præfatum Capitulum Gen: cuiuis constare potest: ne ergo Prouincia quereretur iterùm se suppositam priuationi liberæ electionis, impertiuit Raymundus expressam facultatem pro electione Ministri Prou: in anno 1295. Gnesnæ celebranda, vbi Fr. Matthias electus celebrauit primum Capitulum in Gratz in Bohemia, in Natiu: B. M. V. Secundum 1297. Boleslauiæ in Bohemia in Nat: B. M. V. Tertium 1298. Opolij in Silesia, in Festo Exaltationis S. Crucis: quo anno Conuentus Radzieiouiensis ab Vladislao Loctico fundatus, receptus est, vt testatur Miech: libro 4. cap: 4. Anno sequenti 1299. Fr. Matthias Min: Prou: anno præcedente Opolij reelectus, Celebrauit Capitulum Olumucij in Morauia, in Festo S. Michaelis. Hoc anno mortuus est B. Boguslaus, S. Salomeæ Secret:, & Crac: apud Min: Con: sepultus: de quo supra Art: 18. n. 11. præfati sumus. Anno sequenti 1300, Celebratum fuit Capitulum Pragæ in Bohemia in Festo Pentecosten. Hoc eodem anno mortua est B. Constantia, Tertij Ord: S. F. Soror, & germana B. Cunegundis, & B. Julentæ: Sepulta Leopoli in Ecclesia SS Corporis Christi die 20 Octobr. vt Długossus in Vita S. Cuneg: , & Mart: Baron: in Cat: SS. fol: 55. Reelectus est iterùm Fr. Matthias in Capitulo Czasłauiæ in Bohemia, anno 1301 celebrato in Festo Pentecosten, qui anno 1302. Celebrauit Capitulum Beneszouiæ in Bohemia.

5. DECIMVS SEXTVS Min: Prou: electus est Fr. Hermanus Pilsnensis, in Capitulo Brunæ in Morauia celebrato. Hic Prouincialatum gessit per 12. annos, vna vice electus, & ter reelectus, non annua celebrauit Capitula: primum celebrauit 1305. Lutomiricij in Bohemia, in Festo Nat: B. M. V. Secundum anno 1307. Czasłauiæ in Bohemia, in Festo Nat: B. M. V, in quo fuit reelectus. Anno 1308. Celebrari debuit Capitulum Cracouiæ in Polonia, sed Bellorum turbinibus impeditum, anno sequenti 1309 celebratum fuit ibidem. Hi bellici furores, forsan causam dedêre Joanni Fursten: in m: ss. quòd annum & locum in quo iterùm reelectus fuit in Prouincialem Hermanus, non adnotauerit; cùm nonnisi in anno 1313. asserat, celebratum fuisse Capitulum Crac: in Polonia: in quo tertiò fuit reelectus Hermanus in Ministrum

Prou: qui anno 1314. celebrauit Capitulum Znoimæ in Morauia; præsentibus Visitatoribus, Fre. Matthæo, & Fre. Laurentio de Hungaria: quod puto intelligi debere de Commissario Gen: & Secretatio eius, ob aliquod tunc vrgens, & de nouo in Prouincia emergens negotium: à Min: Gen: ex vicina Hungariæ Prouincia transmissis, & deputatis.

6. DECIMVS SEPTIMVS Min: Prou: Fr: Thobias Morauus, electus est in Capitulo Inouladislauiæ in Cuiauia, anno 1316. celebrato: & Fr. Hermanus Pilznensis Ex-Prouincialis pauló post, factus est à Joanne XXII. Inquisitor Hæreticæ prauitatis, per Regnum Bohemiæ, vt enim scribit Wad: ad annum 1318. n. 2. *Creauerat alias Alex: IV. Inquisitores ex Ordine Min: in Regno Bohemiæ, & confinibus Poloniæ, uti suo tempore monuimus.* quod tempus exprimit ad annum 1257. n. 16. inquiens. *Bartholomæum de Brunna, & Lambertum Theoronicum eiusdem Ordinis viros doctos, ad instantiam Regis instituit, in Bohemiæ & Poloniæ confinijs Inquisitores.* Quibus mortuis neq; succedentibus alijs, interea fraus inimici Orthodoxiam submouere moliebatur: quapropter Ioannes XXII. pro Diæcesibus Cracouiensi & Vratislauiensi, constituit Inquisitores Frm. Peregrinum Opoliense Ord: Præd: & Frm. Nicolaum Hypodinet de Cracouia Ord: Min: Prouinc: Bohemiæ & Poloniæ alumnum: & pro Diæcesibus Pragensi, & Olumucensi, constituit Inquisitores Frm. Coldam Ord: Præd: & Frem Hermanum Pilznensem supra recensitum Ex-Prouincialem: ita refert Wadin: ad annum 1318. n. 2. qui n. 3. & 4. instrumenta ex Registro Vaticano institutionis memoratorum Inquisitorum Ministrat: & n. 5. Epistolam Episc: Crac: Joanni Muscata à Joanne XXII. Missam subiungit, in qua eum negligentiæ, in Officio Pastorali, circa res fidei reprehendit, & à se institutos contra hæreticam prauitatem, Inquisitores commemorat. In eum modum scripsit ad Episc: Misnensem, & Olumucensem: Deinde n. 6. recenset grauissimas de hac re Pontificem dedisse literas, Ad Vladislaum Lociicum Crac: Ducem, biennio post inauguratum Poloniæ Regem: Ad Boleslaum Vratislauiensium Ducem. Ad Joannem Regem Bohemiæ, atq; ad cæteros Nobiles, per Bohemiæ Regnum constitutos, vt omnes auxilio & fauore

essent Inquisitoribus, & Regna Catholica Paganis & Gentilibus contermina, nullatenùs permitterent, hæreseos aut Paganismi labe contaminari. Recipitur locus S. Claræ Monialium Lintij anno 1317.

7. DECIMVS OCTAVVS Min: Prou: fuit Fr. Martinus de Boleslauia, electus Sadeciæ Nouæ, in Capitulo anno 1318. celebrato, præsentibus Visitatoribus de Dacia. Fre. Thoma & Fre. Elauo. Horum Visitatorum præsentia, sicut & præcedentium n. 5. specificatorum, tum non completum Fratris Thobiæ Ministerij triennium, neq; vllum ab eo ante celebratum Capitulum indicant in Prouincia fuisse grandes & graues causas; ad quas tamen sartiendas, non ex Italia sed ex Dacia, cognata & contermina Prouinc: Bohemiæ & Poloniæ Prouincia, fuêre missi Visitatores.

8. Nec mirùm Prouinciam Bohemiæ & Poloniæ tunc fluctuasse, & turbamenta expertam fuisse, qui considerauerit vniuersum Religionis corpus, circa hæc tempora plurimas easq; feræles subijsse contentionum turbas, quas nos descripsimus supra sub Ministris Gen: Gondisaluo, Alexandro de Alexandria, & Michaele de Cæsenu: Sub quibus vt fusè deduximus, Reformati arctioris paupertatis, indebito & intempestatiuo desiderio æstuantes, Communitatem Min: Con: lancinabant, disijciebant, traducebant, & vix non ad interitum suffocabant: seorsiuum cætum Reformatum instituere satagentes, & contendentes: Nullo tamen sui propositi emolumento subsecuto, quoniam eorum ausus temerarij à Pontificibus fracti, à Superioribus Ord: exterminati, à sua maleuolentia eradicati: tandem & ipsi penitùs extincti, & ad nihilum redacti cum suis tentamentis periêre: donec communitate Ord: Min: Con: Sponte Reformationem promouente & acceptante, alij Reformati Paulutiani, humili & non refractario exordio anno 1368. prodierint, vt diximus Art: 12. Illorum ergo præcedentium suppressorum, penitùs eradicatorum, qui se singulares & spirituales, cæteris meliores putabant, atque proposito maioris perfectionis & strictioris paupertatis nomine, cæteros condemnabant, traducebant, & infamabant, poterat Prouincia Bohemiæ & Poloniæ, circa hæc tempora labe conta-

minari ; ac proinde ad sedanda Schismata & scandala, Commissarios & Uisitatores Gen: a Min: Gen: necessum fuit destinari: huiusq; Sortis homines doceri : quod boni absq; fuco Viri, seipsos tantùm iudicant & despiciunt, aliorum autem facta secundùm candidam & piam mentem contemplantur, ac per bonæ existimationis radium, illustrant actiones cæterorum, vt docet Greg: lib: 28. Moral: cap: 6. *Quia dum rectè intendunt, per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum esse videatur.*

9. Porrò Fr. Martinus Min: Prou: annis 14. durauit in Ministeriatu, ab anno 1318. vsq; ad annum 1332, quo Obijt Pragæ in Bohemia 6. Idus April: Sepultus in Ecclesia S Jacobi apud Fratres Min: Con: Primum Capitulum celebrauit Neocorcinij in Minori Polonia, anno 1319. Secundum celebrauit Brunæ in Morauia. anno 1320. in Festo Pentecosten, in quo Dñus Suffraganeus Olumucensis, consecrauit Chorum Monasterij. Tertium celebrauit Pragæ in Bohemia, in Festo Pentecosten, vbi & reelectus est: cui Capitulo Rex Bohemiæ cum suis Baronibus interfuit, fratribus Capitularibus magnam reuerentiam exhibendo. Eodem anno Refectorium Muratum Pragæ ad S. Jacobum constructum est. Quartum Capitulum celebrauit Czasłauiæ in Bohemia, anno 1322 in Festo Nat: B. V. M. Quintum celebrauit Crac: in Minori Polonia 1323. in Festo S. Fran: Sextum celebrauit Nissæ in Silesia 1324. in Festo Nat: B. M. V. in quo iterùm reelectus est. Septimum celebrauit Capitulum Bitomij in Silesia 1326. in Festo S. Fran: quod Capitulum, expensis suis Dux Vladislaus, prouidit & perfecit.

10. Existimo Joannem Fursten: in m. ss. loqui de Vladislao Loctico; hoc tempore iam Rege Poloniæ, cum benedictione Joannis XXII. inaugurato, ante hac magnanimo Duce semper nominato : qui memor beneficij sui à Min: Con: Cracouiæ præstiti, dum 1290. Henricus dictus Probus, per Henricum Legnicensem copiarum exercitu submisso, noctu portas vrbis ciuibus aperientibus, Cracouiam compactò occupasset, Vladislaum Locticum, tunc Cracouiæ inter præsidia Militum obuersantem præhensurus, vel trucidaturus : Vladislaus tardè præsentiens hostes, præstò & intra adesse, pedes in Monasterium Franciscanorum profugit, à quibus

quibus vt verbis Miech: lib: 3. cap: 63. vtar. *In habitu Monachali per murum demissus, ægrè manus hostium euasit.* Et ob id gratum Principem, in conuersa melioris fortunæ rota, Minoribus Con: hoc beneficium credibile est præstitisse, quibus & Conuentum Radzieiouiensem fundauit, vt diximus supra n. 4. De hoc magnanimo Heroe, ac variabilis fortunæ Triumphatore, Poeta cecinit

Corpore paruus eram, cubito vix altior vno
Sed tamen in paruo, corpore magnus eram.

11. Et quia Vladislai Loctici non absq; legitimè porrecta occasione, hic mentio facta est: gratitudinis nostræ ratione, Historiæ lex non dedignabitur, paruam digressionem admittere, admemorabile factum in exercitu eius contingens. Hic collectis suarum gentium Copijs, Lithuanorum, Ruthenorum, atq; Valachorum auctus auxilijs subsidiarijs, cùm Marchiam Brandeburgensem, non sine iusta causa inuasisset, & eam longè latèq; depopulatus & depredatus fuisset, ferro igniq; absumpsisset, in ea tam sæua vastatione, nec sexui, nec ætati parcitum; impuberes & senes occisi; dum vnus Lithuanus tunc adhuc extra Baptismum, Pagana labe barbarus, quandam Sanctimonialem violare attentasset; illa nè stupraretur ab hoste, spopondit illum se instructuram, quo pacto nunquam ferro violari posset: primum eius rei experimentum ceruicem eius fortiter feriendo sumpturus: id dum Barbarus exequitur, Virgine occisa ludificatus: magis pudicitiam illi curæ fuisse, quàm vitam, stupens & rigens didicit.

12. Eodem anno 1326. duo Fratres Poloni Min: Con: Lucas & Valentinus, ob prædicationem fidei Catholicæ, post dira suppliciorum genera, à Barbaris in Liuonia occisi sunt, sepulti ibidem in Ciuitate Cereth 12. Febr. miraculis clari. De quibus Stodislaus Bascus Custos Posnaniensis, in suis Chronicis fol: 164. & Mart: Baronius Jarosl: in Cat: SS. fol: 195. Octauum Capitulum celebrauit Martinus Min: Prou: Czasłauiæ in Bohemia anno 1327 Nonum celebrauit Sadeciæ in Minori Polonia 1328. in Festo S. Fran: quò fuit inter Patres Capitulares, non leuis perplexitatis difficultas, his initijs exorta: postquam à Joanne XXII. Michael Cæsenas Min: Gen: Censuris innodatus, officij dignitate priuatus

exti-

extitisset, & Fr. Bertrandus de Turre S. R. E. C. Episc: Tusc: de eodē Ord: Min: Con: assumptus, in Cæsenatis locum Administrator Ordinis constitutus fuisset: iussu & auctoritate Summi Pontif: in Scriptis mandauit omnibus Min: Prou: sub pœna priuationis Officiorum, vt conuenirent Parisios ad Capitulum Gen: pro Festo Pentec:, ad eligendum nouum Min:Gen: Fr. verò Michael Cæsenas, non iudicans se pro absoluto, sub pœnis magnis contrarium mandabat, habuitq; Prouincias multas sibi adhærentes. De hoc nos latiùs disseruimus Art: 10. n. 27. & n. 31. Itaq; PP. Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ, habitâ in isto Capitulo Sądeciæ consiliorum discussione, elegerunt pro Discreto Prouinciæ (puto pro Commissario) Frm̄ Woytechum tunc Guardianum Pragensem, & Frm̄. Bogussum tunc Custodem Crac: pro Custode Custodum, hac eis conditione adiecta: vt si aliæ Prouinciæ ad dictum Capitulum Gen: celebrandum conuenirent, seu suos Commissarios mitterent, tunc & ipsi eidem tenerentur adesse; qui limites Prouinciæ prætergressi, Coloniam peruenerunt, ibidemq; resciuerunt, omnes Prouinciarum Ministros, ad Capitulum Gen: congregari, excepto Ministro Angliæ & Daciæ, propter infirmitatem; & Ministro Siciliæ, propter mandatum Regis Siciliæ, tum & Ministro Terræ laboris, qui fuit in legatione Summi Pontificis. Ad hoc Capitulum Gen: Fr. Martinus Minister Prouin: Bohem: & Poloniæ, non fuit profectus, vti ætate grandæuus, & viribus excidens, ac breui post mortuus, vt diximus supra n. 9.

ARTICVLVS XXI.

In quo Prouinciales Min: vlteriùs recensentur. SS. Martyres tum Lithuaniæ, tum alij describuntur. Identitas Prouinciæ Poloniæ & Bohemiæ Min: Con: etiam post diuisionem, vsq; ad præsens ostenditur.

1. AB obitu Seraphici Patris in anno 1226 occurrente, vsq; ad diem mortis Martini Ministri Prou: Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ, in anno 1332. fatali de cursu accurentis, ad quem Nostra

de ortu

de ortu & profectu Prouinc: Bohem: & Poloniæ hucusq; progressa est Historia, possemus elencho Ministrorum Prou: indici celebratorum Capitulorum, BB. Polonorum recensui, aliarumq; rerum in Prouincia gestarum Commentario finem imponere, sufficiens argumentum proposito Nostro habituri: quo Lectorem quemuis facilè instruere possemus, ab anno Obitus S. P. vsq; ad 1332. specificatum, per integrum sæculum euolutum, & sex transactos annos; Religionem nostram Min: Con: hucusq; stetisse, à S. P. F. originariam, solam & eandem directo tramite descendentem, & non collateraliter per traducem pullulantem, sed ab omnibus Reformationum ramis præcisam, & absolutam, nullum Reformationis genus: in distincta viuendi forma, in diuerso regiminis statu, in separatâ, & scissa sub seorsiuis Prælatis potestate, consistentem & complectentem. Hancq; eandem Religionem, post præfata tempora fuisse effectam Matricem, originem, & fontem omnium scaturientium Reformatorum, ab Obseruantia, tum positiua tum comparatiua, siue aliundè nuncupatorum: tum immediatè, tum mediatè, ab hoc fonte Magistrali dimanantium: cùm nullus vsq; ad hæc tempora, quorumcunque Reformatorum pullulauerit riuulus, per Apostolicam Sedem in seorsiuo cætu, & regimine disparato approbatus: Nec vllum vel vnum in Polonia & Bohemia, imò toto Orbe vniuerso, vsq; ad hodiernã diẽ cõstat, aliqua reformatio in corpore totiꝰ Ord: Fran: habuerit Conuentum, ante annum 1368: in quo omnium probatorum Historicorum concordat auctoritas: præcedentes enim Reformati specificatum annum; & ad perfectiorem paupertatem nominetenùs aspirantes, & seorsiuam familiam instituere contendentes, à Summis Pontificibus fuêre suppressi, & aboliti atq; à Prælatis Ord: eradicati, vt palàm videre est sub Min: Gen: Gondisaluo Art: 9. Tum sequentibus Min: Gen. Ex his autem qui nunc extant PP. Obseruantini in Polonia Bernardini nuncupati, post annum 1332. plusquam triginta annis inceperunt: nimirum in anno 1368. vt Art: 12. clarè demonstrauimus, & in Poloniam tum Bohemiam serò aduenerunt: in Poloniam anno 1453, vt Art: 14. n. 27. In Bohemiamquoq; vt Art: 44. n. 3. ostendimus.

2. De alijs autem Reformatis, vt Capucinis, & qui de strictiori Obseru: nuncupantur, non relinquitur ambigendi locus, cùm post Leonem X. eorum cætus inceperint, & seorsiuam Ordinis formam præsetulerint, à Sede Apostolica posteriùs obtenta facultate, vt suo loco demonstrabimus. His ergo nixi rationibus, non immeritò submouere manum de tabula possemus, & cessare à demonstratione authentica, quod gens Franciscana, à principio originaria & antiqua in Prouincia Bohemiæ & Poloniæ, tunc sub vnius Prouinciæ nomine consistens, eadem sit per directam successionem, tum in professione Regularis vitæ, regiminis, status, locorum, & domorum earundem possessu, atq; eodem Prælatorum concatenato successu: vsq; ad hanc diem quâ se conspicit nunc in duas Prouincias Poloniæ & Bohemiæ diuisam. Sed vt ostendatur Prouinc: Bohemiæ & Poloniæ, sub vnius tunc Prouinciæ nomine: & Prouinciæ Poloniæ & Bohemiæ, sub duarum nunc Prouinciarum nomine, identitas, non secus ac in tota ac vniuersa Min: Con: Religione, ante scaturiginem & diuisionem Reformatorum, in anno 1332. existens, & vt ostendatur eadem hoc anno 1688; postquam à Matrice & Fonte Min: Con: diuersitas Reformatorum dimanauerit, & diuisionem sortita fuerit, ipsissima atq; formalis demonstretur identitas: vlteriùs descriptioni Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ incumbere debemus.

3. DECIMUS NONUS Min: Prou: Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ, Fr. Nicolaus electus in Capitulo Boleslauiæ in Bohemia, in Festo Pentecosten. anno 1332. celebrato, præsentibus Visitatoribus ex Prouincia Hungariæ, Fre. Jacobo & Conrado. De hoc Fre Nicolao Min: Prouin: scribit Wad: ad annum 1333. n. 36. in hæc verba. *Concessa hoc anno licentia Nicolao Ministro Prouinciæ Bohemiæ, construendi Cœnobium pro Fratribus sibi subiectis, in Oppido Bethyniæ Pragensis Diæcesis: quæ incipit, Sacræ Religiosis. Idibus Iauarij. Huius loci meminerunt Pisanus & Rodul: sub nomine Bechinæ.* Hoc eodem anno Petrus Gastoldus Podoliæ Palatinus Sacro fonte 1332. renatus, fidei Orthodoxæ in M. D. L. propagandæ zelo succensus, Religiosos 14. Ord: Min: Con: primos Lithuanorum Apostolos, ex Russia & Podolia Vilnam inuitauit: quos primitùs ad Ec-

adEcclesiã S. Crucis, in horto à tergo nunc EpiſcopalisCuriæ conſtituit: ſed abſente Gaſtoldo, dum primi fidem Chriſti diſſeminant, à tumultuante populo gentili, anno 1333. ſeptem in foro Vilnenſi gladio iugulantur, & exuruntur, reliqui ſeptem inter montes quos Caluos vocant crucibus affixi, fluuio Viliæ immerguntur: quorum Corpora à Gaſtaldo redeunte conquiſita, & reperta in Cemeterio templi S. Crucis, in loco vbi hodie crux eorum memoriæ conſeruandæ ſtat erecta, ſepulta ſunt: in columna Crucis, etiam nunc hæc verba leguntur expreſſa. *Jesv Chriſto Crucifixo, & memoriæ XIV. Martyrum, Ord: S. F. Min: Con: qui primi in M. D. L. fidem Chriſtianam plantauerunt: atq; Anno 1333. Martyrio coronati, hoc in loco requieſcunt.* Ita refert Marcus Corona ex Annal: Lithu: in ſuo Spec: Prouinciæ Ruſſiæ & M. D. L. Et Matthias Stricouius in deſcriptione M. D. Lithuaniæ. Ducum Lithuanorum.

4. Wadin: conuerſionem Lithuanorum per Min: Con: Dei operâ factam, aliter refert, & non ad hunc annum 1333. Sed ad annum 1324. reducit ſub quo anno n. 27. hæc verbatim profert. *Hoc tempore laudabili ſtudio propagabant fidem Chriſtianam Prædicatores & Minores in terris Lethuuinorum (qui nunc Lithuani dicuntur, & olim Lituuani & Gepidi nuncupabantur) quorum Princeps Gedemunius, vti habet monumentum Vaticanum ſeu Gediminus, vti ſcribit Alexander Guagninus Veronenſis, magnumq; Ducem inſcribit Lithuaniæ, ſed Pontifex Lethuuinorum & multorum Ruthenorum Regem appellat Religioſis valde propitius, dedit illis licentiam domicilia ibidem conſtituendi, quorum operâ tandem ipſe conuerſus eſt. Duo mihi conſtat ex diplomate Pontificio anno ſequenti producendo, erexiſſe ibidem Minoritas, Monaſteria & plurimos illuc auolaſſe.* Reuera hoc Wad: teſtimonium etiam Noſtratum relationi libenter prætuliſſem, priorem diplomati Pontificio, vti potioris fidei, locum concedendo: ſi illud in Corpore annalium anno ſequenti iuxta promiſſum, vel ſaltem RegeſtoPontificio produxiſſet; ſed neutrum præſtitit, & anno ſequenti 1325. n. 28. hæc tantùm verbatim ſubiunxit. *Diximus etiam anno præcedenti, extructa iam ſub hoc tempore bina cœnobia Minorum in Prouincia Lithuaniæ, vbi fidem iam plantauerant, & ſuo ſanguine iam rubricaue-*

rant, triginta sex Fratres Minores varijs temporibus occisi, quorum aliqui iacent Vilnæ ad Monasterium insigne S. Mariæ de Arena, in Cemeterio sub Columna lateritia, alij proiecti sunt in viliani amnem, alij viginti octo sepulti sunt ad fores templi S. Crucis, vbi hæc leguntur Carmina, à Reuerend: D. Ioanne Anchuseniz electo Kiiouiensi ibidem in tabella appensa anno 1545.

5. Sed his dictis Wad: XIV: priores Martyres anno 1333. passos immiscet his 36. posterioribus, & vtrosq; vt indistinctos in eodem confundit numero, varijs tamen temporibus fuisse occisos affirmans: quod esse falsum conuincitur, ex Nostrate Mart: Baronio Jarosłau: in Cat: SS. R. P. P, qui hos posteriores 36. asserit Martyrium subijsse vno eodemq; tempore, anno 1341. die 24. Maij, & illi versus relati à Wad: cit: non his 36. posterioribus, sed illis 14. prioribus, à præfato Reueren: Kiiouiensi fuerunt consecrati, vt aduertere potuit Wad: ex ipsis versibus, Gastoldum alloquentibus his verbis.

His igitur proceres inter Gastolde refertur
Familiæ encomium, & gloria prima tuæ.
Millia qui populi, miseratus multa ruentis
Tartarici fraude, in pallida Regna Ducis.
Huc, huc bis septem curasti ducere fratres
Qui populos regerent, Christe benigne tuos.

Bis enim septem, faciunt quatuordecim, non triginta sex, & hoc respiciens Wadin: non distinxit quatuordecim alios fuisse a triginta sex, sed confusè triginta sex diuersis temporibus occisos fuisse enuntiauit, acsi post quatuordecim Martyres, reliqui 22. alio tempore Martyrium subierint, & omnibus insimul præfati versus inscripti fuerint. Quòd autem 36 Martyres vna cum Gastoldo in numerum simul computandi alio tempore passi fuerint, docet Nostras cit: Martinus fol: 92. in hæc verba.

6. *B. Gastoldus Illustri familia eaq; Primaria Lithuanorum natus, verùm eundem illustriorem innocentia vitæ morum probitas Sacrarumq; literarum amplissimum studium, & maxima in Deum deuotio reddiderunt. Is in Episc: Vilnensem Ordinatus tempore bellicosissimi Vladislai Vitoldi Ducis Magni Lithuaniæ, qui à principio idololatra cùm esset,*

opera

operâ Fratrum Minorum Sacrum Baptiſma ſuſcepit, & multa cœnobia
extruxit, Lithuanos Chriſtianæ fidei nouitios Corroborans in fide, Diui-
noq; eloquio inſtruens, ab idololatris vnà cum triginta ſex Fratribus Ord:
S. F. Conuentualium (& ipſe antea exiſtens eiuſdem Ord: profeſſus) va-
rio genere tormentorum affectus & occiſus, pro fide Chriſti martyrio coro-
natur Vilnæ in Lithuania, vbi eſt inſigne Monaſterium Fratrum ſub ti-
tulo Beatiſſimæ ac Glorioſiſſimæ V. Mariæ ad Arenas, cum eisdem triginta
ſex Fratribus Martyribus quieſcit, Anno Dñi 1341. die 24 Maij. Quorum
quidam tumulati ſunt in Cæmeterio ſub columna latericia, quidam eorum
proiecti fuerunt in viliam amnem intra montes prope Vrbem, quidam ve-
rò ante fores S. Crucis vbi affixa eſt tabella, in qua continentur quædam
Carmina Reueren: Dñi Ioannis Anchuſeniz Electi Kiiouienſis Epiſc: febre
acuta correpti, in maximoq; vitæ diſerimine poſiti ad eosdem BB. Fratres
Franciſcanos primos fidei plantatores, voto facto ſanatus cum verſibus ibi-
dem Anno Domini 1543. appoſitis.

7. Et licet referat Martinus cit: Gaſtoldum vna cum 36 fra-
tribus Min: Con: Martyrium ſubijſſe, & in inſigni Monaſterio ad
Arenas cum eisdem 36 Fratribus quieſcere: eſt intelligendus cu-
mulatiuè & incluſiuè, id eſt, includendo ad cumulum eiusdem nu-
meri 36 Martyrum etiam ipſum Gaſtoldum, quod euidenter dat
intelligere ex recenſu nominum ſeu cognominum eorundem
Martyrum, quæ nomina ſeu cognomina 36 ſubijcit, incipiendo
ab ipſo Gaſtoldo vſq; ad 36 Frem̃ Gotardum Officioſum cocum,
inter hos vero 36 Fratres Martyres, nominat B. Staniſlaum Crac:
S. T. D B. Martinum Drohobicen: S. T. Magis:, B. Iſidorum Kiio-
uien: Doct: B. Ireneum Jarosłau: S. T. D. B. Hyacint: Nobil: Lithu:
Baccal: B. Dyoniſium Lithuan: Procuratorem. Hinc ex ſpecifi-
catis gradibus & Officijs velut characteribus ſpecificis, cognoſcun-
tur præfati MM. illius Ord: Min: fuiſſe, in cuius Eccleſia vſq; in
hodiernum diem requieſcunt, ſcil: in Eccleſia Ord: Min: Con.
Ordo nanq; PP. Obſeruantinorum eo tempore nondùm erat in
mundum natus: & primus Conuentus Obſeru: in Lithuania Vil-
næ, fuit fundatus anno 1468. vt affirmat Generalis Annaliſta Ord:
Obſeru: Wad: ad eundem annum n. 24: Vlterius aſſerens Ordi-
nem Obſeru: in Lithuania modoprimùm ad annum 1462. fuiſſe

ingressum, addens sub eodem anno n. 30. *Resistentibus PP. Conuentualibus.* Ex his omnibus hucusq; dictis, rectè infertur istos 36 Martyres fuisse distinctos à primis 14, & non solùm in alijs & diuersis personis, sed etiam alio & diuerso tempore Martyrium subijsse. Hoc euidenter datur intelligi ex Annalibus Lithuanicis, referente in suo Spec: Prouinciæ Russiæ & M. D. L. Marco Corona, & asserente Conuentum Vilnæ Min: Con: fuisse fundatum à Petro Gastoldo Palatino Podoliense anno 1332. qui ex Pagano Sacro fonte renatus, factus Christianus, vocatis 14. Fratribus Min: Con: eisq; in sua absentia ob prædicationem fidei truculenter à gentili plebe trucidatis, ipse vt ait cit: Marcus. *Ticocino reuersus, intellectâ Sanctorum cæde Vilnam properat, corpora eorum exquirit, reperta in cæmeterio templi S. Crucis, in loco vbi nunc Crux fixa memoriæ eorum conseruandæ manet, sepelit, & de quingentis hominibus ex plebe Vilnensi, decernente Olgerdo M. D. L. extremum supplicium ob cædem SS. sumit.* Si ergo ipse Gastoldus sumpsit supplicium de occisoribus 14 Martyrum, iam hi fuêre alij & distincti ab illis 36 cum quibus ipsemet Gastoldus ex Palatino factus Fr. Minor: Con: pariter & simul fuerat occisus.

8 Deinde hi 36 Martyres sunt sepulti Vilnæ in Ecclesia Ord: Min: Con: ad Arenas titulo B. M. V. insignita, illi autem priores 14 sunt sepulti in templo S. Crucis. In quorum omnium Martyrum honorem, Illustrissimus Paulus Episc: Vilnensis Capellam seu Sacellum latericium extrui curauit, vt cognoscitur ex hoc diplomate, quod Marcus Corona in suo Spec: Russiæ & M. D. L. ex Archiuo Conuentus Vilnensis exscripsit, quod verbatim subijcitur. *Proinde nos Paulus Dei Gratia Episc: Vilnensis, Dux Olsanen: Polocen: & Szarbirieñ: Ecclesiarum Præpositus, significamus tenore præsentium quibus expedit vniuersis & singulis, præsentibus & futuris harum notitiam habituris. Quomodo nos cùm intentis desiderijs euidentissimè considerassemus locum quendam in Pomerio, seu horto Curiæ nostræ Episcopalis, in quo imago victoriosissimæ Passionis Saluatoris Nostri Dñi Iesv Christi antiquitùs in Columna posita erat, ob memoriam diuturnam Fratrum Min: Con: Ord: S. Fran: loci B. M. V. Vilnensis, in hoc Inclyto Ducatu Lithuaniæ, circiter à centum annis Sacrosanctæ fidei Orthodoxæ plantatorum,*

rum, & pro Nomine IESV *immaniter & miserrimè occisorum & trucidatorum ac Martyrisatorum, in eodem loco sepultorum, ac Conditorum varijs insignijs ac miraculis coruscare. Nec etiam dubium apud omnes Christi fideles est, eos Fratres Religiosos pro fide & Nomine* IESV *interremptos Martyres Dei censuisse, veluti cuilibet spectanti clarè liquet, & liquere poterit, & validissima & mæstissima illa combustione fermè maioris medietatis huius Ciuitatis à duodecim annis facta, quâ & Ecclesia nostra Cathedralis Vilnensis cum Curia & eodem pomerio in toto penitus corruerat, & omnia euersa erant, sola vnica columna, hæc cum imagine Crucifixi Dñi Nostri salua & illæsa, in eo ipso loco mansit & hucusq; est. Et ideò propter huiusmodi eorundem Fratrum Conuentualium ibidem tumulatorum, gesta salutifera, & insignia manifesta, feruore & zelo deuotionis affecti, & in Deum accensi pro nostra & successorum nostrorum salute capellam seu Oraculum lateritium à fundamentis Venerabilium Fratrum nostrorum Prælatorum & Canonicorum consensu ad id accedente &c.* Hoc Breue seu Priuilegium, vt subiungit idem Marcus. *Fuit datum pro fundatione Concionatoris Fratris Bonauenturæ Ord: Nostri pro Cathedrali Ecclesia Vilnensi in Anno 1543. Pontificatus SS. in Christo Patris Dñi Pauli Diuinâ prouidentia Papæ III.*

9. Anno electionem Fratris Nicolai Min: Prou: Prõæ Bohemiæ vel Poloniæ sequente 1333. celebrauit idem Nicolaus Capitulum Zauichosti in Minori Polonia in Festo Pentec: Eodem anno Heduigis Vladislai Loctici Regis Poloniæ relicta, Casimiri M. Regis Poloniæ & Elisabethæ Reginæ Vngariæ Mater, in Cænobium Sanctimonialium vetero Sądeciæ se recepit, vbi Regulam S. F. professa, ieiunijs, orationibus, reliquum vitæ tempus explevit: ita refert Cromer: lib: 12 Monum: MM. SS. Miechou: lib: 4. cap: 17. & Wad: ad eundem annum n. 22. Anno 1335. Fr. Nicolaus celebrauit Capitulũ Głogouiæ minoris in Festo S. Fran: in quo & reelectus est in Min: Prou: Anno 1336. celebrauit Capitulum Glogouiæ maioris. Anno sequenti 1337. celebrauit Capitulum Crac: in Festo S. Venceslai, in quo Constit: Benedicti XII. ex Ord: Cistercien: assumpti publicauit: De quibus scribit Wad: ad eundem annum n. 3. fuisse missas ad singulas Prouincias. Anno 1338. Fr. Nicolaus celebrauit Capitulum Znoimæ in Morauia, in quo

quo iterum reelectus est, sed anno sequenti in Crastino Octauæ Apostolorum Petri & Pauli fuit mortuus.

10. VIGESIMUS MIN: Prou: Fr. Mrauicus, electus est in Capitulo Glatij in Bohemia Anno 1339. celebrato in Festo Exaltationis S. Crucis, præsentibus & præsidentibus Fre Jacobo Mama, de Prouincia Prouinciæ, vti Commissario, & Fre Vilelmo Strigoniense S. Th: Regente, vti Secretario. Celebrauit Fr. Mrauicus Anno 1340. Capitulum Benessouiæ in Bohemia. Hoc eodē anno B. Blasius Martyr, vnà cum B. Marco Ord: Min: Con: in Valachia pro fide Christi, in ciuitate Sereth Martyrij coronam adepti sunt: ibidem sepulti 14 Junij, Auctor est Hierem: Buchin: lib: 1. part: 2. fol: 95. & Martin: Baron: in Cat: SS. fol: 26. & fol: 210. Hoc eodem anno moritur Mrauicus Min:Prou: Crac: ibidem sepultus in Eccl: S. F. Min: Con.

11. VIGESIMUS PRIMUS MIN: Prou: Fr. Petrus Polonus Regens Crac: electus est in Capitulo Czasłauiæ in Bohemia anno 1341. celebrato. Hoc anno cum Gastoldo triginta sex Martyres Vilnæ in Lith: inclytum Martyrium subierunt, de quibus supra n. 7. præfati sumus. Eodem anno 1341 BB. Pancratius, Petrus, Paulus, & Leonardus laicus, Ord:Min:Con: constanter fidem Christianam confitentes, multis primùm supplicijs affecti: pro Nomine Jesu à Barbaro Principe Kijouiensi, Martyrij palmam assecuti sunt, & Vilnæ in Lithu: apud Fratres Min: Con: in Æde D. Mariæ, sub maiori Altari sepulti sunt, die 6. Martij. Ita refert Mart: Baron: in Cat: SS. fol: 232. Anno 1342. Fr. Petrus Minister Prouinciæ celebrauit Capit: Bitomij in Silesia, in Festo S. Fran. Eodem anno B. Vislaus Martyr Ord: Min: Con: vir magnæ deuotionis ac eruditionis: postquam plurimos vitæ suæ sanctitate, ac austeritate, ab insano amore mundi reuocasset; in Prussia strenuè Christi fidem plantatam, doctrinâ suâ irrigans, vitam Martyrio finiuit: Maydeburgi, sanctitate vitæ illustris, & miraculis clarus quiescit, die 20 Decem: Auctor Hierem: Buch: part: 2. fol: 94. vt Mart: Baron: in Cat: SS. R. P. P. fol: 307.

12. Anno 1343. Frater Petrus Minister Prouinciæ celebrauit Capit: Pragæ in Bohemia, in Festo S. F. & anno sequenti 1344.

Fratres

Fratres Bohemi nuntium remiserunt Obedientiæ Fratris Petri Min:Prou: consortium vnitatis per scissuram dissoluere ordientes, & ei obsequium præstare detrectantes: quæ res dum peruenisset ad notitiam Min: Gen: pro tunc Fortanerij, illicò misit Visitatores in Prouin:, Frem̃ Bertholdum Rose Lectorem Ratisponensem, & Frem̃ Venceslaum Lectorem Norimbergensem; qui vtriusq; partis, causis vtcunq; consarcinatis, non in toto animos à simultate immunes reliquerunt; nam anno sequenti 1345. Fr. Petrus celebrauit Capit: Crac:, in Festo S. Michaelis: in quo nullus Bohemorum comparuit, tandem mediante Gen:Min: mandato adacti sunt præfati Fratres, Ministro protunc Prouinciali Fratri Petro, obedientiam præstare, vsq; ad futurum Capitulum Proâle. Eodem anno 1345. B. Electus Ord: Min: Con: ætate licet iuuenis, sanctitate & vitæ perfectione Senes anteiuit moriturus: trina vice cecinit. *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum*, id secundò & tertiò altiori voce repetendo, & manibus in cælum leuatis, ac oculis defixis spiritum Deo reddidit: Bremæ in Prussia sepultus 6. Martij: ita Hierem: Buch: lib: 1. part: 2. fol: 94. & Mart: Baron: in Cat: SS. fol. 71. Eodem anno 1345. B. Gilbertus Ord: Min:Con:Obijt in Prussia Maydeburgi quiescit, die vltima Maij sepultus. Auctor est Hierem: Buch: lib: 1. part: 2. & Mart: Baron: in Cat: SS. R. P. P. fol: 89. Anno 1346. Fr. Petrus Min: Prou: infirmitate prægrauatus, instituit Vicarium in loco suo Fratrem Franciscum Regentem Pragensem: & ipse anno 1347. mortuus est Crac: sepultus in Ecclesia S. F. Min: Con.

13. Hæc Ecclesia S. Franc: Cracou: a primæua sua fundatione Titulo SS. Corp: Christi sacra, vsq; in hunc annum eo potita, & nuncupata extitit illustrata: sed postquam vt scribit Miechou: lib: 4. cap: 24. *Quidam nequam & famelici latrunculi sub Octauis Corporis Christi, anno eodem 1347, de Ecclesia Parochiali Omnium SS. Cracouiæ, Delatorium Diuinissimi Sacramenti (vulgò Monstrantia) furto abstulerint compertoq; quòd esset æreum, illud in paludem Mothe arbustis plenam ab Ecclesia S. Laurentij, tunc in villa Bauol Parochiali non longè distante: & nunc Casimiriæ ad Cracouiam extante, proiecerunt: & cum plures mortalium luminaria diu noctuq; in palude relucentia viderent,*

re hac prodigiosa delata ad Petrum Falcouium Episc: tunc Crac: & ad Regem Casimirum Magnum: inde auctoritate publica indicto, priùs triduano ieiunio, cum Processionibus per totam Vrbem nominatis, paludem Episc: cum Clero. Rex cum populo adeuntes, Delatorium seu ferculum, cum Diuinissimo Sacramento inuenerunt: illudq; ad Ecclesiam SS. Omnium, vnde erat ablatum retulerunt: tunc Casimirus Rex in loco inuentionis, quamuis Canoso & paludinoso, illicò vouit Ecclesiam in honorem & titulum Corporis Christi se fundaturum, quod sequenti anno Nobilem Chorum & Sacrarium cocto latere extruens opere consumauit. Parochiâ quam ex antiquo Ecclesia S. Laurentij habebat ei adiuncta, Calicibusq; ac Apparatibus, Crucibus cæterisq; Clenodijs, Munificentia Regia adornauit. Et titulum Corporis Christi quo Ecclesia S. F. à primæua sui fundatione illustrata fuerat, Fratribus Min: Con: pretio precibus contentatis: vt solidior sua fundatio permaneret, abrogari & extingui procurauit: Villa Bauol in suam proprietatem traducta, quam de suo nomine Casimiriam nuncupauit, & muris Coctilibus communiuit. Hæc ex Miech: Abhinc dicta Ecclesia Min: Con: Titulo S. Fran: cæpit nuncupari, sola in memoriam prioris tituli Corporis Christi, celebratione Processionum relictâ, quæ vsq; ad hæc nostra tempora, per ambitum Claustri hebdomadatim, omnibus diebus Iouis celebrabantur, cum expositione SSmi Sacramenti: verùm zelo Antistitum nè hoc Diuinissimum Sacramentum, tàm frequenter vulgariter & triuialiter exponeretur, hæc consuetudo sublata est, sola in Pixide Venerabilis Sacramenti quolibet die Jouis expositione retentâ.

14. VIGESIMUS SECUNDUS Min: Prou: Fr. Franciscus, ipsemet qui fuit Vicarius Prouinciæ; electus in Capit: Opauiæ in Morauia Anno 1347 celebrato. Huic suum Officium Ministeriatus complendum relinquebatur in anno 1350, in quo ab anno 1250 incipiendo (quo Minores Con: ab Innocentio IV. cognomento Conuentualium fuerunt insigniti) cùm iam integrum sæculum stetisset euolutum, sufficeret absq; vlteriori progressu proposito nostro concludendo: Sicut Religionem vniuersalem Min. Con. ab ipso S. F. non interruptâ successione primitiuam, & ab alia priori non deriuatam, sed eandem inuariatam sub Ministris Gen: vsq; ad tempora Leonis X. deductis, fuisse demonstrauimus: ita

etiam

etiam Prouinciam noſtram Poloniæ, antea a Prouincia Bohemiæ indiuiſam, per continuam concatenationem a ſuo exortu vſq; nunc eſſe quoq; eandem, & non aduentitiam, neq; poſteriori tempore, per traducem pullulantem & enatam: vel hæc ſola ratio id totum demonſtrare potis eſſet: quòd vſq; ad hæc tempora anni 13 0. præcedentes Reformationes abolitæ, & ſuppreſſæ; nunquam fuerint a Sede Apoſtolica in ſeorſiuo corpore approbatæ; ſed in Ord: Min: Con: muſſitantes dumtaxat auditæ, Ordinem primicerium concutientes, & vertiginoſo cerebro irrequietè circumagentes; perſonas vt in Scena mutantes: præludia ſolùm venturarum facere in figura viſebantur. Et quia his ſuppreſſis & ad nihilum redactis, nouam reformationem PP. Obſer: Ordine toto Min: Con: acceptante, ac eam gratijs & fauoribus ſuis ſubleuante, ac nutriente anno 1368. inchoarunt, vt Art: 12. oſtendemus: hinc luce meridiana clariùs me oſtendiſſe putauerim, atq; hanc eandem & cæteras ab ea deriuatas, vſq; nunc perſiſtentes, ad S. Patriarcham Fran; veluti poſthumam prolem a primicerio Ord: Min: Con: immediatè ſiue mediatè deriuatam, iure non iniuria referri debere probauerim: & ſolos Min: Con. primogenitos & originarios ac patrimos filios, exiſtere & cenſeri, ab ipſa origine: non ſolùm vſq; ad contactum tempus, absq; vlteriori progreſſu, ſed eosdem etiam nunc eſſe firmiter euinci exiſtimauerim, indéq; præfixi thematis: quòd Religio Min. Con. in Ord: vniuerſo Min: ſit Matrix, Fons, & Origo omnium Reformatorum, compotem facilè me extitiſſe crediderim. Sed vt ſoboleſcat etiã vltra quàm neceſſe ſit veritatis fæcunditas: Abundare enim in latitudine veritatis, eſt eminenter conterere cæcam aſſertionem falſitatis. Quapropter vt hæc veritas in Prouincia noſtra Poloniæ ampliùs etiam pateſcat, vlteriùs eius originalis ab exortu ſucceſſio, natiuo ſinu, & directo, non laterali continuanda eſt, & proſequenda alueo.

ARTICVLVS XXII.

In quo Miniſtri Prou:, BB. Poloni Min. Con: tum Epiſcopi Minoritæ Con: Demum ſchiſmata in Prouincia: atq; Ord: Obſeru: in Polonia initia recenſentur.

1. CUncta quæ ſub ſole fiunt mutationi, varietati, & inconſtantiæ ſunt obnoxia: maximè res humanæ, quæ veluti Orbe quodam voluuntur perpetuo: in quibus nihil eſt motus expers, nihil planum & æquabile, & in finem vſq; ſibi conſtans, ſed facili quodam circuitu feruntur atq; recedunt, ſibiq; aduerſantur: proinde res humanæ immobiles perſeuerare nequeunt: neceſsè eſt enim, aut aliquid adijci illis ſemper, aut minui: vt quibus continuò fluere ſit connaturale; ita ſenſim ſine ſenſu deperdi & deperire. Hoc totum etſi omnibus humanis ſit commune, ad propoſitum tamen noſtrum, maximè eluceſcit in hiſtoria m. ſ. Joannis Furſtenh., ex mandato Stephani de Bruna S. T.D. Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ Miniſtri eiuſdem Prõæ Acta continente, anno 1503. hiſtoricè deſcripta: quorum aliqua ſiue per incuriam, ſiue per Sortem humanæ viciſſitudinis, in occaſu ſepulta deſiderantur. Etenim à Franciſco 22. Prõæ: Bohemiæ & Poloniæ Miniſtro, in anno 1347. Opauiæ in Morauia electo, nullum immediatè electum inuenio Miniſt: Prou: vſq; ad annum 1380. quo dumtaxat inuenio ſcriptum à Furſtenh: in m. ſ. Frem Thomiſlaum Miniſt: Prõæ Bohemiæ & Poloniæ fuiſſe mortuum Cracou: ibidemq; ſepultum, & eodem anno fuiſſe electum in Minis. Prou: Frem̃ Petrum Grecenſem. Hi ergo duo Miniſtri Prõales Franciſcus cum Thomiſlao vel vnus ex eis rexerunt Proãm: Bohemiæ & Poloniæ triginta tribus annis: tum illorum diſturbiorum temporibus, quibus Fr. Gentilis de Spoleto Laicus, cum ſuis Socijs ſeparatam ab authoritate Min. Gen. prætextu puræ Reg. Obſer. voluit inſtituere congregationem, vt diximus Art. II. n. 7. & 8. tum quando filialis Ordo Obſeru. tunc recenter inchoatus, incipiebat Vires aſſumere, de quo diximus Art. 12. n. 6. & ſequentibus: Vel etiam

in hoc

in hoc interſtitio inter annum 1347 & 1380. aliqui alij fuêre Miniſtri Prou: , quorum in humanis deperijt memoria ; vel hæc intercapedo ſchiſmate infra n. 5. indigitato fuit intruſa. vt vt eſt, nos ſiue damno, ſiue ignoto reſarciendo, tum Ordini continuando prouidendo, & concatenatione, quam ex m. ſs. habere poſſumus, catalogum Miniſtrorum Prou. Prouinciæ & Poloniæ contexendo, continuabimus.

2. VIGESIMVS TERTIVS Min. Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ fuit Fr. Thomislaus anno 1380. Crac. mortuus, ibidemq; ſepultus, In præfato 33. annorum ancipiti interſtitio, referuntur multi in Prouincia Bohem.· & Pol: SS. Viri, tum Sanctitate florentes, tum Martyrij deſiderio flagrantes: inter quos principem locum tenet B. Simon de Thorunio Ord: Min: Con: , vir deuotus & Verbi Dei Concionator eximius, in vita plurimis miraculis clarus; Obijt Culmæ in Pruſſia anno 1363. ibidem in Eccleſia Min: Con: 9. Nouem: ſepultus : cuius cineres & oſſa BB. ab hæreticis gloriam SS· odio habentibus, anno 1527. die 16. Febr. fuêre combuſta. Extat eius vita m. ſ. in Eccleſia Collegiata Culmenſi : pariter ſicut & vita B· Joannis Lobedau itidem Thorunenſis, vt teſtatur Mart: Baron: in Cathal. SS. fol. 282. Referuntur & alij SS. vt B. Hieron. Guard: , cum cæteris fratribus Blaſio, Sciſlao, Viſlao, Vincentio, Ord: Min: S. F. Con. qui in Regione Liuoniæ, in terra quæ vocatur Vlna, vbi primò erant homines idolatræ, arbores cultu Diuino adorantes, pedibus ac manibus obtruncatis, tùm parte capitis reciſa: omnes poſiti fuêre in nauiculam, iam mortui præter Guard: adhuc vltimum ſpiritum agentem, ſicq; ſine remige per fluuium oſſa, nauicula demiſsâ, Dei nutu & fluminis ductu, per 200. milliaria polonica, vſq; ad terram militum cruciferorum peruenerunt, ipſomet adhuc Guardiano in viuis ſuperſtite, ſed paulò poſt breui expirante ; omnes ibidem honorificè ſunt ſepulti anno 1370. Die 19. Febr. ita teſtatur Hieron: Bucch: lib: 1. part: 2. fol: 95. & Mart: Baron: in Cat: SS. fol. 24.

3. His temporibus laborarunt quoq; multi alij SS. Viri Minoritæ Conuentuales, in partibus Ruſſiæ, pro conuerſione infidelium, vt teſtatur Wad: ad annum 1571. n. 6. inquiens. *Laboranti-*

bus Minoribus in partibus Russiæ, pro conuersione infidelium & assidua fidelium instructione, non solùm imminutus est operariorum numerus, sed & se illis opposuit (vt communiter fit,) in Ciuitate Lamburgensi, quidam Ioannes Presbyter Vratislauiensis in magnum fidei detrimentum, & fratrum iniuriam. Scripsit igitur Pontifex vt mederetur his malis, ad Vicarium Russiæ: in hunc modum. *Dilecto filio Nicolao de Crosna Vicario Russiæ Ordinis FF. Minorum.* in quibus literis 30 Fratres sui Ord: de quibuscunq; nationalibus, absq; licentia suorum Prælatorum obtenta, vel petita, in adiutorium conuersionis Russiæ cōcedit facultatem, semel tantùm recipiendi. Deinde scripsit Pontifex Archiepiscopo Gnesn: & Episc. Crac. vt eius auctoritate, præfatum Ioannem censuris compescerent, & dictum Nicolaum Vicarium Russiæ adiumento suo protegerent, eumq; cum Fratribus suis pro fide Christi propaganda laborantem, omni meliori modo promouerent. Hæc deprompta ex Wad: qui ad annū 1378. n. 12 refert. *In Cereth ciuitate Valachiæ Minoris Vicariæ Russiæ Minoritæ duo crudeliter trucidati sunt, quia stultam eorum, arborum latriam increpabant, & Dei veri cultum persuadebant.* Sed de his SS. Martyribus nos alias diximus Art: 21. n. 10. ex alijs Auctor:, in alio anno Martyrium eorum referentes: quia Vate opus esset non Historico, in tanta auctorum varietate: potiùs diuinante quàm gesta tempori debito adaptante, & connexa referente.

4. VIGESIMVS QVARTVS Min: Prou: fuit Fr. Petrus Grecensis electus anno 1380. Eodem anno Marcus Corona in suo Speculo Prouin: Russiæ refert, Vicarium Gen: Russ:, & ad eum Gregorium XI literas suas misisse, tamen nomen proprium ipsius non expressisse, sed dumtaxat officium Vicariatus nominasse. quod Officium Prælaturæ inquit. *Durauit in Russia circa annos ducentos.* Et licet Wad: ad annum 1400. n. 23. asserat in Codice Vaticano non haberi Vicariam Russiæ, & Vicariam Bosnæ: tamen ipsemet loco cit: Vicariæ Russiæ, omnia loca seu Conuentus, incipiendo a Lemburga seu Leopoli, in n. 28 enumerat.

5. VIGESIMVS QVINTVS Min: Prou. Fr. Petrus Polonus Guard: Crac. post obitum Fratris Petri Grecensis, electus est Olumucij, anno 1384. Eodem anno Fr. Jaroslaus de Benessou, fecit

cit Schisma contra Ministrum Prou: ipse Proæ: præesse cupiens, quod aliquantum varijs vicissitudinibus & simultatum technis opertum, tandem anno 1393 in manifestum erupit dissidium: dum idem Jaroslaus cum complicibus suis congregasset Conuocationem in Glatz, in Festo Assumpt: B. M. V. vbi omnes Officiales ad suum libitum instituit; quem Minister Gen: Henricus, die 20 Octobr: excommunicauit, & ab officio remouit, & tandem in Minis: Proæ confirmauit electum. Nec mirum tunc temporis irrepsisse in Religiones schismata, Ecclesia vniuersali fædo discissâ schismate, vt enim aduertit Wad: ad annum 1378. n. 9. inquiens. *Distracta ita miserabiliter in partes, & scandaloso ambientium studio scissa Ecclesia, malum hoc ad omnes transiuit regiones, & religiones, sicuti enim diuisa sunt regna in Pontificum obsequium, ita etiam oportuit Religiosa sodalitia eos sibi præficere Superiores, qui ei obedirent Pontifici, quem Reges sequebantur. Partim ita licuisse putabant, dum in controuersia positum videbant, cui potiùs obsequendum esset, partim cogebantur à Principibus, qui aduersi Pontificis potestatem vti negabant, ita à suis dominijs procul faciebant. In nostro Sodalitio hoc accidisse aliqui negant, vnumq; caput & Ministrum Gen: toto schismatis tempore fuisse contendunt, sed decipiuntur.* & sub anno 1379 n 3 ait *Celebrauit etiam hoc anno aliud Capitulum Leonardus Giffonensis partes secutus Clementis; qui cùm ab eo hoc item anno, vti diximus crearetur Cardinalis, & institueretur Ordinis Vicarius: conuocauit Neapolim electores indictis Comitijs ad primum Octobris, in quibus electus est Anti-Minister, Leonardi Successor, quidam Fr. Angelus ignoti prorsus mihi cognominis.* & ad annum 1385. postquam n. 1. retulisset Comitia Gen: celebrata fuisse in vrbe Patauina subdit n. 2. *Eodem tempore æmulatoria contentione, celebrata sunt alia Comitia à Clementis sectatoribus in Vrbe Gebennensi, ad Lacum Lemanum, in Prouincia Viennensi: præside Fr. Angelo Ministro, seu Anti-Ministro Gen: de quo aliàs locuti sumus.* & ad annum 1387. n 1. *Ausus est hoc eodem anno Angelus Anti-Minister, de quo supra diximus sua auctoritate instituere Ministrum Prouinciæ Mediolanensis Frēm Bartholomæum Iporegiensem, sibi adhærentem, quem Clemens Anti-papa confirmauit.* Hoc ergo in Ecclesia Schismate præmisso, non mirandum quòd hæc pestis etiam Religionem nostrã,

& Pro-

& Prouinciam Bohem: & Polon: circa hæc tempora afflauerit.

6. Etiam circa hæc tempora scilicet anno 1386. die 14. Febr: feria 5. in Festo S. Valentini, Jagello Princeps Olgerdi, Magni Ducis Lithuaniæ filius, in Ecclesia Cracou: per Bodzantam Archiep: Gnes: vna cum fratribus suis Articulis fidei eruditus, baptisatus est, Nomine Vladislai in baptismo suscepto. Tandem Rex Poloniæ inauguratus; præmisit aliquos Minoritas Con: idiomatis Lithuanici gnaros, ad Cathechisandam gentem Lithuanorum, vt notat Wad: sub cit: anno n. 1. Hi sequenti anno Regi cum Regina & Archiep: Gnes: in Lithuaniam progressis, egregiam nauarunt operam in baptisandis & edocendis neophitis Lithuanis: quibus Vladislaus vt Wad: sub cit. anno n. 2. ex Miechou: Lib: 4. cap. 39. asserit. fundauit Vilnæ. *Ecclesiam Cathedralem, redditibus amplis, atq; Sacerdotijs locupletatam, ab Arcchiepiscopo Bodzanta Deo consecratam, sub titulo S. Stanislai Polonorum patroni: principalemq; aram in loco, vbi ignis qui falsò perpetuus credebatur, constituit, vt error gentilis fieret cunctis patentior. Institutus est in ea primus Episcopus Vir spectatæ virtutis, Fr. Andreas Vazilo natione Polonus, genere nobilis, gente Iastrembicius, siue de domo Accipitrum professione Ordinis Minorum.* Marcus Corona in suo Spec: Prouin: Russiæ asserit, hunc Andream Minoritam Con: primum Episc. Vilnen:, fuisse factum ad annum 1383. à Vitoldo Principe tunc Lithuanorum institutum: cui apertè repugnat historia Miechou: lib. 4. cap. 36. & cap. 38. Hic Miechou: cit. cap. 36. anno 1382. die 9. Aug: refert. *Vladislaus Opolien: & tunc Vielunen: & Dobrzynen: Dux Monasterium fratrũ Eremitarũ S. Pauli primi Eremitæ in Czanstochowa fundauit. Et in eo imaginem B. Mariæ (vt fertur de pictura S. Lucæ, quam de Russia per eum olim gubernata apportauerat, quæ in hodiernum diem ibidem permanet) collocauit.* Et multas Villas loco cit: recensitas elargitus est. Hunc illustrem Ord: Fr. Gentilis de Monte Florum Minorita Con. & iam tunc S. R. E. C. & in Regno Vngariæ Legatus, auctoritate Pontificia approbauit vt refert Wad: ad annum 1308. n 3. inquiens. *In hac legatione eundem confirmasse Ordinem Fratrum Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ in Vngaria sub Regula S. August: scribit Onuphrinus Panuinus Ciacconus & Villanus, aiunt diu in Vngaria man-*

manſiſſe, Conſtitutiones & leges Regni edidiſſe, quas longo tempore Vngari ſeruarunt, totum Regnum nutans ſtabiliuiſſe, & ad Regis adoleſcentuli obedientiam reduxiſſe. De hoc diximus Art: 8. n. 24.

7. Anno 1399. mortuo primo Epiſc: Vilnenſi ex Ordine Min. Con. aſſumpto. Eodem anno ſubrogatus eſt in Epiſc. Vilnen: itidem Minorita Con. Fr. Ioannes Plicta vt aſſerit Wad. ad annum 1399. n. 6. inquiens. *Prælatos Eccleſiarum Minoritas huius anni inuenio ſequentes ---- Frēm Ioannem Plicta in Vilnenſi, in Lithuania: per obitum Andreæ Vaſilo Minoritam, primi illius Eccleſiæ Epiſcopi: vt aliàs diximus.* Et licet Marcus Corona in ſuo ſpeculo Prouinciæ Ruſſiæ & Lithu:, ſecundum Epiſc: Vilnen: aſſerat alterius nominis fuiſſe Frēm Iacobum Lithuanum Minoritam: hoc tamen absq; probatione liberè dictum puto, cùm Wadin: ex Regeſto Pontificio Epiſcoporum compilauerit elenchum; vbi in nominibus & cognominibus, Summo Pontifici expoſitis, non facilè committitur error; niſi in aliquà literula gentili pronuntiationi aduerſa. Huius Ioannis Plictæ meminit inſtitutionis Pontificiæ cit: Wad. datæ 7. *Kal: Aprilis:* quare veriùs exiſtimauerim iſtum Ioannem fuiſſe quàm Iacobum, Polonum potiùs, quàm Lithuanum, de nobili & peruetuſta familia Plichtarum: hoc cognomine Plicta in Regeſto Vaticano minuſculâ aſpirationis notulâ dūtaxat detractâ, adnotatum; licet in Orbe Polono Okolſcij, ſub armis Pułkozic illuſtri familiæ Plichtarum gentilitijs, hunc Ioannem Plichtam Epiſc: Vilnen: non inuenerim exaratum.

8. Probat deinceps Marcus Corona primum & ſecundum Archiep: Leopolienſem, fuiſſe ex Minoritis aſſumptos: primus nomine Chriſtini, ex illuſtri Gozdauitarum familia ab eo fuiſſe aſſeritur; Secundus nomine Iacobi de gente Streparum audit, anno 1399. ex teſtimonio Długoſſi ad Archiepiſcopatum Leopolien: aſſumptus. Et quia hi duo Minoritæ Archiepiſcopi Leopolien: referuntur, cùm tamen Iacobus II. Archiepiſc: Leopol: aſſertus, apud eundem Marcum Corona Archiepiſc. Metrop. Sedis Halicienſis ſe ſubſcripſerit, & ex teſtimonio Długoſſi apud cit: Corona anno 1392. die 28 Octobr. de Eccleſia Halicien: prouiſus & in Eccleſia Tarnouien: per Matthiam Epiſc: Præmysl: in Archiepiſ. Ha-

liciensem post Leopolien: consecratus fuerit. Pro cuius rei intelligentia aduertendum est, ex Chronologis Polonis, de Archiepiscopatu Leopolien.

9. Miechou: lib: 4. cap. 26. sic verbatim refert. *Item Rex Casimirus, per eosdem Oratores in Auinionem missos, Ecclesiam Metropolitanam in ciuitate Leopolien: per Vrbanum V. octauo Idus Aprilis, ad dotationem sufficientem erigi & fundari obtinuit, quod & factum est. Præfatus enim Archiep: Gnesnen: Iacobus Swinka literis sibi præsentatis, personaliter Leopolim transijt, & ex Parochiali Ecclesia Leopolien: inspectante Casimiro Rege, & vniuersa eius militia Archiepiscopatum erexit, Primumq; Archiepiscopum dictæ Sedis, Christinum Virum nobilem instituit & consecrauit.* Bielscius quoq; fol. 235. hæc habet anno Dñi 1361. *Misit Rex Casimirus ad Vrbanum Papam Auenionem, petens ab eo Archiepisc: Leopolien: in Russia, quod facilè obtinuit, & fuit Archiepisc: primus Christinus, Nobilis Polonus, quem consecrauit Archiep: Gnesn: in præsentia Regia.* De Archiepisc. autem Halicien: cit. Miech. lib. 4. cap: 33. inquit. *Eodem anno* (id est 1375.) *Præfatus Rex Ludouicus ad Gregorium Papam XI, missis nuntijs in Auenionem Halicien: Oppidum Archiepiscopali, Premislien: verò Chelmen: & Władzimirień: Episcopali honore insigniri obtinuit: ad Metropoliticam Halicien: Ecclesiã Iacobus Polonus fuit consecratus, & Sedi suæ ecclesia græci ritus fuit assignata. Ad Præmislien: verò Henricus Fr: Minorum, natione Alemanus, genere nobilis, primus Episcopus fuit consecratus.* Bielsc: autem fol. 250 sic refert. *Postéa Ludouicus misit ad Papam, cupiens ab eo fieri auctionem Episcoporum Russiæ: maximè animaduertens magnam copiam hominum, ritu catholico initiatorum, secundùm Ord: S. R. Ecclesiæ. Hinc fundauit Episcopatum Præmislien: Wladimiriensem, & Archiepiscopatum Halicien: vt scribit Dlugossus, & antea Casimirus Rex iam Archiepiscopatum Leopolien:* (*præter quem hodie alius ibi non est*) *instituerat.* Idem etiam Bielsc: ad annum 1411. inquit. *Ioannes Rzeßowski in Halicien: Archiepiscopatum successit, quem postea transtulit Leopolim Halicio:* idẽ confirmat Okolscius Orbis Poloni tom: 2. pag. 477. sub armis Pułkozic dicens. *Ioannes Rzeßowski Archiepisc: Leopolien: qui transtulit Sedem Haliciã Leopolim anno 1414.*

10. Ex relatione horum historicorum dubium est, an præfati Mi-

ti Minoritæ dicendi sint Archiep: Leop: vel Halic: cùm primùm circa annum 1414. Archiepiscopatus Halicien: translatus fuerit Leopol: qui si ibidem præfuisset, frustra Haliciâ translatus fuisset. Ad hoc dubium responderi potest, ex Stephano Damalewicio, in Vitis Archiepisc: Gnesnen: sub Iaroslao Archiepisc: 28. inquiente. *Ad eundem Gregorium XI. Ludouicus Vngariæ & Poloniæ Rex, postquam Russiam edomuisset armis, & in suam redegisset potestatem, missa legatione effecit: vt duæ ibi Cathedræ Episcopales Præmysliæ, & Vladimiriæ. Haliciæ verò Archiepiscopatus institueretur. Vnde rectè colligit Cromerus, ab initio temporibus Casimiri, Leopoli Episcopatum fuisse constitutum; neq; enim Archiepiscopus constituitur, qui nullum in sua Prouincia habeat Episcopatum. Haliciensis deinde Metropolis, Leopolim translata est. Episcopatus Leopoliensis Camenecum.*

11. Ex dictis nescio quâ auctoritate historicâ cit: Marcus Corona ad annum 1236. Bernardum Archiep. Halicien: fuisse, & Martinum primum Vicarium Russiæ gratanter excepisse asserat, quod nos retulimus Art: 17. n. 4. multò minùs dicto Bernardo Archiep: asserto, Iacobum 2dum successisse vt ipsemet dicit: quia Gregor: XI. Haliciensis Archiepiscopatus institutor, electus est Pontifex anno 1371. Ibidem enumerat Vicarios Russiæ, ad an. 1394. Frm̃ Janussiũ Vic. Gen. ad an. 1399. Frm̃ Henricum Vicarium Gen. ad an. 1405. Frm̃ Georgium de Sanok: ad an. 1407. Frm̃ Petrum Vicarium Gen: & Guard: Opoliensem Frem̃ Nicolaum. Circa hæc tempora scil: anno 1403. B. Angelus Guardianus primus in Lithuania Vilnæ, Ord: Min: Con post grauissima tormenta, vnà cum multis Socijs sui Ord: gladio iugulatus est ob fidei S. prædicationem, ibidem Vilnæ sepultus cum suis Socijs. Auctor est Hieron: Bucch. in Chron: Franc: lib: 1. part. 2. fol. 95. & Mart. Baron: in Catal: SS. fol: 7. Eodem anno B. Franciscus Ord: Min. Con: cum suis socijs, Petro, Paulo, & Leonardo, in persecutione infidelium Duce Kiiouiensi Daniele, ob fidem S. Martyrium subierunt; Vilnæq; in æde B. M. V. apud suos Fratres Min. Con. sepulti, non sine miraculis anno 1403 die 7. August: ita loco cit. Hieron: Bucch: & Mart: Baron: in Catal: SS. fol. 83.

12. VIGESIMVS SEXTVS Min: Prou. fuit Fr. Michael

Custodiæ Gnesnen: electus anno 1408. in Gratz Reginæ, pro Festo S. Ioan: Bapt: , ante cuius electionem priùs per maiorem vocalium partem, electus fuit in Ministrum Prou:, Fr. Petrus Crac: Sed illico abdicauit se eo Magistratu : Michaele deinceps electo. Ad eundem annum 1408. vt Wadin. scribit n.7. *Exorta controuersia in Oppido Lemburgæ Halicien: diæcesis in Russia, inter Rectorem parochialis Ecclesiæ S. Mariæ, & Fratres Minores ac Prædic: circa portionem canonicam, fontem baptismalem, & confessiones audiendas, Matthias Episc: Præmisl: electus arbiter æquo iudicio litem diremit. Erat tunc Vicarius Fratrum Min: in Russia, & præfectus Cænobij S. Crucis Fr. Leonardus, Fratrum Prædic: in Conuentu Corporis Christi, Fr. Maternus.* Hunc Matthiam Episc: Præmisl: diximus supra n. 9. ex Miechou: fuisse Minoritam Con. prout etiam affirmat MarcusCorona in suo Spec: Prouinciæ Russiæ. Tandem Michael Prou: mortuus est anno 1412.

13. VIGESIMVS SEPTIMVS Min: Prou: fuit Fr. Swatomirus Morauus, electus anno 1412: Hic sequenti anno 1413. substituit in Vicarium totius Prouinciæ Frem Petrsko. Anno 1420. consules Nouæ Ciuitatis Pragensis per Hussitas in Prætorio trucidantur, & Fratres Min. cum toto clero in exilium dissipantur. ; impio tunc & lusco Zyszka persequente Christi fideles per totam Bohem. Eccl: tamen S. Iacobi Vetero-Pragæ lanionū defensione fuit conseruata. Huius rei meminit Bielsc:fol: 318. Tandē an. 1425. Die S. Brictij, Fratres Petrus Lector, & Petrus Confessarius Sororum Opauien: atq; Ioachimus Kromlouiensis, circa Kralicz prope Olumucium cremantur per Hussitas, Refert Wad: ad annum 1426. n. 21. *In Polonia Maiore & Regio Oppido Srzem siue Srem Posnaniensis Diæcesis, ad fluuium Vartæ concessum est Fratribus Cænobium à Vladislao Rege constructum Sacrosanctæ ecclesiæ 3. Kal: Martij. Restaurauit labentem, & vetustate deformem Sigismundus III. Poloniæ Rex, exorante Alberto Hoopez Guardiano. Aliud hoc eodem anno condidit Vladislaus Cænobium in Oppido regio Nieszeuia, prope flumen Vistulæ diæcesis Vladislauien: Pijs & honestis 3. Kalen: Martij, vtraq; domus paret PP. Conuent: Custodiæ Gnesn:* Sed locum Srem: iam priùs fuisse susceptum ostendimus, Art: 19, n. 5. Verosimilius tunc Conuentum ad alium locum commodiorem fuisse translatum, & à Vladislao, ligneo opere reædificatum : neq; à Sigismundo III. splendidiùs exorna-

xornatum, vt constat ex eius præsenti neglectu, & derelictu; cùm temporibus nostris fuerit reputatus pro inhabili & incommodo. Proinde nunc in alio loco per Fratres nostros Ecclesia latericia, extat constructa, priori ligneâ destitutâ.

14. VIGESIMVS OCTAVVS Min: Prou: fuit Fr. Ioannes Kmita electus Cracou: anno 1428. Sub cuius Ministeriatu fuit vnita Vicaria Russiæ Prõæ Bohem: & Polon: anno 1430. vt diximus Art: 17. n. 5. Quo anno celebratum fuit Capit: Gen. Assisij vt diximus Art. 14. n. 1. in quo noua Statuta fuère condita. Omnes Vicariæ præter Bosnensem vnitæ sunt Prouincijs. In Vicaria Russiæ Custodia Moldauiensis vnita fuit Prouinciæ Orientali in Caffa. Custodia verò Leopolien: Prou: Bohem: & Polon: Hoc eodem anno 1430. fuit Conuocatio vim Capituli habens celebrata Lelouiæ, quâ finitâ Fr. Ioannes Kmita Min. Prou. abijt in Russiam, & in Festo S. Martini intromisit se in Custodiam Leopolien: Anno 1431. Conuocatio Prou: Cracouiæ fuit coacta, Dominica post Festum Exaltat: S. Crucis. Deinde anno 1432. in Vigilia S. Iacobi, mortuus est Fr. Gregorius Lector Ordinarius Sacræ Metropolitanæ Ecclesiæ Gneſn: Anno 1433. Congregatio Prou: celebratur Neocorcinij, & sequenti anno 1434. Crac. Tandem anno 1435. die 2. April. Basileæ quatuor Gen: Ordinis Mendicantium, erigunt Societatem Philadelphicam, inter suorum Ord: Fratres.

15. Celebratas & alias Congregationes Prou. memorat Furstenhai: in m. s. vt anno 1436. Crac. in Festo Corporis Christi, & anno 1437. Neosadecij in Festo translationis S. Stanislai; & anno 1441. Cracou: in Festo S. Michaelis: in qua Fr. Iacobus Lector Carnouiæ, in Custodem Pragensem fuit institutus, quem repudiarunt Bohemi, & pro Custode acceptare noluerunt: tamen non indicat Fursten:, in qua Congregatione, vel Capitulo, & quot vicibus fuerit reelectus Fr. Ioannes Kmita in Min. Prou. dumtaxat hisce temporibus, scil: 1442. magnam fuisse in Prouincia recenset discordiam, suscitatam per Frem̃ Goczałkam Lectorem, qui absq; licentia Min: Prou. abijt ad Gen: procurans depositionem de Officio Ioannis Kmitæ, quibus obtentis, iunctus suis par-

tiarijs, eas Cracou: publicari fecit. Quare hoc anno fuerunt duæ Conuocationes in Prouincia; Vna Cracou: in qua Kmita Min: Prou: cum cæteris PP. Prouinciæ potioribus congregati, illas literas Generalis ab executione suspenderunt, & in archiuo Crac: deposuerunt: Minister tamen Prou: Kmita in ea Congr. ob amissum ex infirmitate visum, Vicarium suum Prouinciale Frem Andream Strzelec instituit, & sigilla Prouinciæ in Sacrario Crac: reposuit; quæ postea vnà cum regimine suasu amicorum reassumpsit. Quamobrem altera congregatio Opolij per Bohemos fuit coacta, in qua sine consensu potiorum Patrum, sigilla iubebantur restitui Kmitæ. Hinc schisma & discordia in Prouincia emersit, vt non immeritò de hoc tempore & anno 1443. Rodul. pronuntiauerit pag. 243. *Periculosum fuit schisma, & graues inimicitiæ vndiq; succreuêre: siquidem fuerunt duo Pontifices, duo Concilia, duo Gen: duo Capitula Gen: & duo Prouinciales Min: in Bohemia.* Tandem eodem anno 1443. de mandato Vicarij Gen: tunc Alberti de Sartiano Capit: Prou: fuit congregatum in quo.

16. VIGESIMVS NONVS Min. Prou. fuit Fr. Nicolaus de Carnouia, Lector electus Dominica Reminiscere, & à Capitulo Gen: eodem anno Paduæ celebrato, de quo diximus Art: 14. n. 14. confirmatus. Durauit nihilominùs schisma seu diuisio in Prouincia: quia eodem tempore duo Concilia, duo Papæ, duo Min. Gen. & duo Min. Prou. in Prouincia Bohemiæ & Polon. fuerunt. Licet enim Fr. Nicolaus Min. Prou. per Capitulum Paduanum fuerit confirmatus, tamen aliud Capitulum Gen: auctoritate Concil. Basilien: fuit celebratum Bernæ, cui Fr. Vincentius de noua domo adfuit, & literas à Gen. Minis. per Concil. Basil. confirmato secum detulit pro Ioanne Kmita. Vidisse confirmationem asserit Fursten. in m. ss. Cui Wad: ad eundem annum 1443 n. 9. in omnibus concordat inquiens. *Magnum aliunde inuexit malum in Religionem nostram & reliquas, Schisma Pontificium. Etenim adhærentibus Felici V. aliquibus Principibus & Prouincijs oportuit etiam subesse, siue per vim aut metum, siue per errorem, omnes illarum regionum Ecclesiasticos, non aliter quàm sub illo Vrbani VI. & Clementis VII. dissidio, qui ex nostris obsequebantur Basiliensibus, præsertim Germani,*

mani, hoc anno Conuentum indixerunt Bernæ apud Helaetios, in quo primicerium sibi statuerunt Fratrem Matthiam Doringum, prouinciæ Saxoniæ Ministrum, virum altàs doctum, qui defensionem Nicolai Lyrani suscepit contra Paulum Burgensem. Vtriusq; concertationes habentur in posterioribus editionibus Glossæ ordinariæ in Sacram Scripturam. Durauit annis sex in pseudo præfectura, sed authoritate & subditorum numero quotidie decrescens. Tandem ad res componendas & ad vnionem redigendas, destinatus fuit Commissarius Gen: Prouin: Bohem: & Polon: Fr. Ioannes de Tulna Minister Austriæ, per Min: Gen: Antonium de Rusconibus, sed non potuit introire in Prouinciam: Fratres enim Poloni & Bohemi aliqui adhærebant Concilio, & aliqui cum Morauis, Eugenio Papæ IV. Currente postea anno 1456. in die S. Fran: Conuocatio Olumucij fuit adunata; in qua velut postliminio, tota Prouincia fuit vnita, & Fri. Nicolao de Carnouia, tanquam vero & legitimo Ministro subiecta, & tunc primùm fratres patriâ extorres fuêre reuocati.

17. TRIGESIMVS MIN: Prou: fuit Fr. Martinus Leopolien: Crac: electus anno 1478: Vir in disciplina Regulari nonnunquam nimiùm seuerus, primùm Visitationes Conuentuum plus æquo splendidiùs perficiebat, paulò post humiliùs, propter Morauorum dominos sibi aduersantes, & animum deijcientes. Celebrauit Capitula Crac:, Leopoli, Sądecij, Glacij; Tandem Crac: mortuus & sepultus: rexit Prouinciam annis 17, vt alij volunt 22: sed contra calculi supputationem ab anno electionis metiendam: exclusis namq; annis electionis ipsius, & Successoris eius: remanent tantùm anni 17. Circa hæc tempora B. Ioannes de Oppido Ducla, in finibus Vngariæ sito, desiderio Religionis S. F. flagrans, Leopoli in Russia suscepit institutum Min: Con: inter quos virtutum suauitate, & vitæ integritate ita profecit; vt ad Officia Guardianatûs Crosnæ & Conuentus Leopolien: assumeretur, atq; ab omnibus ob raram virtutum fragrantiam impensè diligeretur, & insignem Ordini suo decorem & gloriam allaturus expectaretur. At ille strictioris vitæ cupiditate incensus, licentiam à suo Min: Prou: tunc Leopoli agente, vt posset transire ad Fratres de Obser: impetrauit: ibidem susceptus in loco S. Andreæ, in suburbio Halicien:

licien: multis virtutum charitatis,humilitatis,orationis & patientiæ documentis præmissis: in eodem loco obijt anno 1484. die S. Michaeli Arch: Sacra. ita Mart: Baron: in Cat: SS. fol: 129.

18. Diximus Art 14. n 27. PP. Obseruan: Ordinem suum primùm in poloniam inuexisse anno 1453. & ab eodem anno B. Capistranum promotioni eius strenuè insudasse, primosq; in Germania, Bohemia, & Polonia, Conuentus recepisse. Suoq; Vicario Gen: Baptistæ de Leuanto, teste Wadingo ad annum 1456. n. 106. sic scripsisse. *Aliqualem patior à PP. Conuentualibus contradictionem propter octodecim loca à me in his partibus recepta, & à primo lapide constructa, exceptis duobus duntaxat per ipsos Ministros mihi consignatis, vno in Bohemia, altero in Austria.* & infra subdit Wad: *In Registro ipsius ad annum 1454. ita inuenio à Sancti Viri Secretario annotatum. Loca Prõæ Austriæ & Bohemiæ recepta, cum auctoritate R. P. Fr. Ioannis de Capistrano. Viennæ locus S. Theobaldi siue S Bernardini, Nouumburgæ S. Iacobi, Brunæ S. Bernardini, Olumucij S. Bernardini, Vratislauiæ S. Bernardini, Cracouiæ S. Bernardini, Varsauiæ S. Bernardini, Bethem, Costæ, Opauiæ, Clupsicij, Leubsij, Iamnicij, Encestorsij, Voitspergij, Iudimburgæ.*

19. Et quia iam Ordo Obseru: vltra montes, locorum incremento, Fratrum numero, incessanter succrescebat sub vnius in his partibus Prõæ Austriæ nomine: Polonorum, Bohemorum, Silesiorum, linguâ & moribus nationum disjunctarum, conclusione manens circumscriptus; proinde non omnimodâ ad intra animorum copulatione stipulatus, vt refert Wad: ad annum 1466. n. 2. inquiens. *Celebrata est hoc anno Congregatio Prõæ Austriæ in Vrbe Vratislauiensi, aliquantulum dissidiosa, propter discordes animos Germanorum & Polonorum. Hi Conuentibus & incolarum numero sufficienter instructi, separari cupiebant ab Alemannis & Silesijs, penes quos maior auctoritas, potiorq; pars regiminis, non sine aliorum æmulatione longa serie perseuerabat.* & infra. *Confirmatus est in Vicariatu Iacobus de Glogouia Maiori, & delectus est Euangelista de Lince Commissarius Poloniæ,* Postea celebratum fuit Capitulum Gen: Vltramontanum PP. Obseru: de quo ad an. 1467. n. 3. sic loquitur Wad. *Interim in Capitulo proximè celebrato, seuerè cautum est, vt vnum ex illis tribus nationibus*

Vica-

Vicarium eligeret, Italum verò nequaquam. Hinc in eo Capitulo reelectus Vicarius Gen: Vltramont. Baptista Tagliacarne de Leuanto Romam venit, Pontifici quæ statuta erant exposuit, atq; Petrũ Neapolitanum, adiuncto Socio Angelo de Clauasio, auctoritate Pontificia suffultos, continuò misit vt cit: Wad: sub n. 6. refert. *Qui Germanorum Polonorum & Bohemorum animos explorarent, & suffragia exciperent circa Nationum & Prouinciarum diuisionem. Idipsum in mandatis habuit Rodulph: Episc: Lauantinensis, Pontificius Legatus ad Casimirum Regem, - - - qui Thoruniæ die Natali V. Mariæ, coram Rege & Proceribus in Cænobio Minorum ritu solenni Sacra peregit, & postridie mandata Pontificis exposuit.* Et pro Thoruniæ Conuentũ Min: citat Cromerum 26. de Reb: Pol: & *subdit Indictis porro triũ Nationum Comitijs Polon in Conuentu S. Bernar: Cracou: auditis omnium sententijs, & Iacob. de Glogouia Commissario Poloniæ suum Officium renuntiante, & sigillum consignante, Petrus Præses vnum illum diuersarum gentium Vicariatum, in tres diuisit: Austriacum, Polonicum, Bohemum: distributis per eosdem qui tunc existebant conuentibus.* Si sui non fuisset Wad: oblitus, non Iacobum de Glogouia, sed Euangelistam de Lince renuntiasse officio Commissariatus dicere debuisset: quem antea dixit fuisse delectum pro Commissario Poloniæ, ad annum 1465. n. 2. De initijs Ord: Obser: ampliùs diximus Art: 15. n. 16.

20. TRIGESIMVS PRIMVS Min: Prou: fuit Fr. Martinus de Praga, electus anno 1495, de quo etiam Marcus Corona in suo Spec: Prõæ Russiæ mentionem facit, asserens eum fuisse Ministrũ Prou: Bohem. & Polon: anno 1496. Hic confirmatus à Francisco Samsone Min: Gen: A principio fuit humilis & deuotus; postea violentus & vehemens. Celebrauit Capitulum Crac: anno 1498: & postquam abstraxisset Vineam in Znoim apud Morauos, & parũm æquum ac minùs propitium Fratri Laurentio Custodi Gnesn: se exhibuisset: multis contra eum querelis propositis, & expositis, tandem anno 1500. die 6. Maij per Patrem Bernardinum Cõmiss: Gen: ab officio deponitur, & condignis pænis afficitur. Cui successit in Officio Ministeriatus Fr. Stephanus de Bruna præsentis Historiæ Imperator: Imperio namq; suo vt innuimus supra

n. 1. Joannes Fursten: hanc scribendæ historiæ Proām suscepit, & admodum parco stylo ad hæc vsq; tempora ad calcem perduxit. Proinde hæc quæ sequenti Art: sumus recensuri, nonnisi ex Actis Prouinciæ antiquis, & aliquibus m. ss. fide dignis, Lectori sumus producturi.

ARTICVLVS XXIII.

In quo Prouinciales Min: tum Poloni, tum exteri, recensentur. Diuisio Religionis tum Prouinciarum Polon: & Bohem: atq; B. Al. xij Conu: Mors Reformatorum Con: in Polonia exortus, & occasus referuntur.

1. TRIGESIMVS 2dus Min: Prou: fuit Fr. Stephanus de Bruna electus Crac: anno 1500. TRIGESIMUS TERTIUS Minister Prouincialis fuit Fr. Valentinus de Crosna, qui anno 1513. Romæ præsens, collationauit originale a Leone X. anno Pontificatûs eius primò: expressas gratias Domino Panuszek Ciui Leopol: concessas continens, cum transcripto in membrana pargamena circa margines diuersis pigmentis colorata; subscriptionem nominis & manus suæ referente: quam in archiuo Calissiensi inuentam, & conseruatam teneo. Hic rexit Prouinciam vsq; ad annum 1517, qui fuit Ecclesiæ Orthodoxæ & Ordini Nostro Min: Con: climactericus, vt diximus Art. 16. n. 20. & sequentibus. Imò & ipsi Prou: Bohemiæ & Pol: siquide forsan cum huius Prouincialis Officio, expirauit simul & illa inscriptio, Min: Prou: per Bohemiam & Pol: Bohemiâ in seorsiuam Prouinciam disjunctim assurgente, & Prou: Poloniæ, distinctum Min: Prou. sortiente: fato nihilominùs occulto, sigillum antiquum cum illa inscriptione *Sigillum Min: Prou: per Bohemiam & Poloniam.* penes Prouinciam Polon: permansit, & vsq; in hodiernum diem persistit: forsan Prouinciali Pol: tunc in præfatum fauore influente, atq; eo nō obstante, quòd Fratres Nostri primitiui Minoritæ Con:, priùs in Bohemiam aduolarint, & postea in Poloniam penetrarint: tamen in hac diuisionis

uisionis partitione, ratione prioritatis temporis, Prouinciæ Bohemiæ, nihil remanserit, vel accesserit: imò in Const: Vrb: in cap: 8. Reg: tit. 9. n. 1. post Prouinciam Poloniæ in numero decimam nonam, Prouincia Bohemiæ locum in numero vigesimum septimum obtinuit, retinetq; vsq; in præsentem diem.

2. TRIGESIMVS 4tus Min: Prou: fuit Fr. Marcus à Turre, electus Crac: anno 1517. Hic rexit Prouinciam viginti & vno annis: & in actis Gnesnen: inuenitur anno 1521. impetrasse indulgentiã à Nuntio Apostolico nomine Zacharia, pro Ecclesia Gnesnen. Hic celebrauit Capitulum Crac: anno 1531. die 12. Ianuarij: cui ipsemet Prouincialis Marcus præsidebat Gen: Commissarium agens, vt moris erat antiquitus. In hoc Capitulo incorporatus fuit Prouinciæ & Conuentui Crac: Fr. Vlricus Constant. Idem Capitulum animaduertens Conuentum Crac. fuisse ad notabilem paupertatem redactum, & apertâ desolatione languentem, vt ei succurreret tanquam Prouinciæ Capiti, ac numerosam fratrum multitudinem fouenti: omnibus Prouinciæ Conuentibus taxatam Contributionem pro qualitate locorum imposuit. In hoc Cap: statutum fuit, vt quolibet triennio Capitulum Prouinciale celebraretur, in quo Prouinciales Minis: eligerentur. Item ad fouendam mutuam charitatem fraternam: Statutum fuit, nè amplius profugi ex Ord: Obseru: vulgò in Polonia de Ord. Bernardinorum ad nostrum Ord: ab aliquo Superiore reciperentur. Sub priuatione officij, & exilio a Prouincia. Item vt sumptus pro quatuor Fratribus Scholasticis in Italia studentibus, à Prouincia contribuerentur. Tandem hic Prouincialis gubernauit Prouinciam vsq; ad annum 1538: quo anno conuocauit Capit: Prouinciale Crac: cui ipsemet præsidebat, vbi liberè renuntiauit officio suo: amplius gubernio onerari detrectans.

3. Sub tempus huius Prouincialis B. Alexius Bithomiensis Ord: Min. Con. obijt. Hic erat Vir omnium virtutum exemplar atq; compendium, vitâ innocentissimus, & Verbi Dei concionator eximius, in viuis etiam miraculis clarens. Cilicium in nudo corpore semper ferens, disciplinis, Orationibus, Ieiunijs, cæterisq; virtutum exercitijs addictissimus, mortuus est in confinijs Si-

lesiæ Bithomij, anno 1528. 24. Maij, ibidem in Ecclesia Min: Con. honorificè sepultus, qui vsq; in hanc diem miraculis clarus, communi SS. Veneratione à circumiacente vicinia singulariter colitur. Post mortem eius ab impijs Luteranis deuastata miserabiliter Ecclesia Bithomiensis, mansit tota squalida per aliquod tempus, solo B. Alexij corpore diues & illustris: tunc quidam Luteranus Ciuis Bithomien: in eam desolatam, pecora impulit, ibidem ea stabulari volens: sed Diuinâ vltione, honorem loci corpore B. Alexij eminentis vindicante; illico occubuêre, & extincta fuere. Eius historia in eodem Monasterio m. s. patet in antiquis monumentis Auctor & Mart: Baron: in Cat: SS. fol: 6.

4. TRIGESIMUS 5tus Min: Prou. fuit Fr. Franciscus Lismanius Corcirensis Italus, tunc Cracouien: Custos, electus Crac: anno 1538. Capituli Præside Marco a Turre, tunc actuali Prouinciali. Hic Franciscus Lism: fuit Confessarius & Concionator Reginæ Poloniæ cognomento Bonæ, Sigismundi primi consortis, & Sigismundi Augusti Genitricis. Celebrauit Capit: Crac: an. 1544, cui præfuit ille idem Marcus à Turre, Commiss: Gen: in quo Capitulo idem Lism: reelectus est. Tractabatur tunc de modo instaurandæ Prouinciæ nonnihil labascenti submittendo. Decretum fuit, vt continuò Fratres idonei, expensis Prõæ: in studijs Italiæ fouerentur, tum vt soli Min: Prõali liceret, Suscipere ad Ord: Nostrum Fratres de Obseru: seu Bernardinos nuncup:, iuxta Breuia Clement: VII. & Pauli III. quæ asseruantur in Sacrario Crac: & vt Monasteria Monialium contribuerent pro victu, & alijs necessarijs, illis Fratribus in Italia studentibus. Huic Prouinciali & suis Successoribus, Conuentus Gnesnen: Monialium S. Claræ, de consensu vnanimi omnium Sororum, ius patronatus, seu collationem, duarum Ecclesiarum Parochialium Vnam in oppido Kostrzyn, Aliam in Pago Strzyzowo, perpetuis temporibus liberè concessit & donauit, Anno 1548: vt latiùs instrumentum Notarij Apostolici, Actis Gnesn: Cust: penes me manentibus insertum obloquitur fol: 64. b. eodem ipso anno 1548. Tandem hic Prõalis non attingens sui Officij legalem terminum, de eo excidit: in humana incidens, tunc temporis nouitatem eiaculantia.

5. TRI-

5. TRIGESIMUS 6tus Min: Prou: fuit Fr. Maſſa Venetus Italus, electus anno 1554: ſed vbi & quid ſub eo geſtum fuerit, ſilentij inuolucto eſt ſepultum. Hoc tantùm aduerto, hos tres Miniſtros Prou: Italos, ab anno 1517. diuiſionis, tum Religionis primitiuæ Min: Con: à filiali Ord: Obſer:, tum Prouin: Pol: à Prouincia Boh: forſan hæc circa tempora factæ: rexiſſe Prouinciã Pol: vſq; ad annum 1562. per annos 45. Duobus poſtea Miniſtris Prouincialibus nationalibus eos ſequentibus. TRIGESIMUS 7mus Min: Prou: fuit Staniſlaus Opiczno Polonus electus anno 1562. rexit Prouinciam Polon: per annos 16. Sub hoc Prouinciali, vixit & mortuus eſt Iacobus Dziaduſki Epiſcopus Ennenſis, & Suffraganeus Poſnanienſis Ord: Min: Con. cuius rei in Cathedrali Poſnanienſi templo, in capella poſt altare maius, perhibet teſtimonium, epitaphium intra pauimentum ad gradus, altaris in lapide ſepulchrali, in hæc verba ſcriptum. *Rñdus in Christo Pater Dñus Iacobus Dziaduſki, Epiſcopus Ennenſis, Suffraganeus Canonicusq; Poſnanienſis, Ordinis Minorum. Vir pius in pauperes, obijt anno 1568.* Stemma eius tres haſtæ in Campo rubeo, vulgò Ielita. In hoc Epitaphio dicitur ſimpliciter fuiſſe Ordinis Minorum, ſine adiunctо Conuentualium, quod intelligi debet per antonomaſiam, vt deduximus Art: 43.

6. TRIGESIMVS 8uus Min: Prou: fuit Fr. Staniſlaus Kwiatkowſki Polonus, electus anno 1578. Iſti trium annorum gubernium fuit: hinc vterq; Polonus Prouinciam Pol: annis 19. adminiſtrauit. Iterùm eos ſequentibus Italis. TRIGESIMUS 9nus Min: Prou: fuit Fr. Camillus Tachetus Veronenſis Italus, electus anno 1581. QUADRAGESIMUS Min: Prou: fuit Fr. Georgius Benignus Belunenſis Italus, electus anno 1584. QUADRAGESIMUS 1mus Min. Prou: fuit Fr. Bernardinus Pariſinus Bononien: Italus, electus anno 1587. Succeſſor huius, in Min: Prou: fuit Fr. Staniſlaus Kwiatkowſki Polonus, iam ſecundò electus anno 1590.

7. QUADRAGESIMUS 2dus Min. Prou: fuit Fr. Clemens Scalbimirienſis Polonus: vir non graduatus ſed ſimplex & rectus: electus anno 1593. Sub huius regimine vt vulgari traditione fertur, Moniales S. Claræ ad S. Andream Cracouiæ, & in

antiqua Sądec ad SS. Trinitatem, à iurisdictione Min: Prou: Prouinciæ Pol: exemptæ dicuntur per Clementem VIII, vt patet ex Breui ad Georg: Radziwił Card: & Episc: Crac: motu proprio dato, anno 1596. die vltima Febr: quod Breue asseruatur Crac: apud easdem Moniales, cum altero eiusdem Pontificis anno sequenti edito: in quo eas subijcit tàm in spiritualibus quàm in temporalibus præfato Episc. Crac: & Successoribus eius*. Verum quia in m. ss. inuenio Frēm Clementem Scalbimiriensem tantùm vnico anno, in Officio Prouincialatus durasse: & statim anno sequenti in Min: Prou: Caputum electum fuisse: hinc ex suppositione annalis in Officio durationis Clementis, & sequenti anno electionis Caputi, indice annorum calculo, ex Breui Clem: VIII. supputato: dictæ Moniales à iurisdictione Ministri Prou: veniunt exemptæ sub Caputo, non sub Clemente: qui si durasset integrum triennium, ipsi adscribi debere censerentur. QUADRAGESIMUS 3tius Min: Prou: fuit Fr. Joannes Donatus Caputus à Copertino Italus de Apulia, electus anno 1594.

8. QVADRAGESIMVS 4tus Min: Prou: fuit Fr Ioannes Romatowski Polonus, electus anno 1598 QUADRAGESIMUS 5tus Min: Prou: fuit Fr. Joannes Camillus Cracou: Polonus, electus Præmisliæ anno 1601. vt colligitur ex Actis Cust: Gnesn:, mihi præsentibus fol: 154. b. vbi ex speciali mandato in anno 1602. die 13. Julij præfati Joannis Camilli pro tunc Min: Prou: in tota Cust: Gnesn. facta fuit dislimitatio seu disterminatio Quæstuationum, omnium Conuentuum in Custodia Gnesn. pro tunc etiam Conuentus Cust. Culmensis nondum diuisæ, intra se comprehendente: vbi annus memoratus Capituli Præmisliæ celebrati exprimitur; & ibidem fol. 156. b. Citatio pro Capitulo in anno 1603. Cracou. die 21. Augusti celebrando inseritur, sub nomine Iosephi Pisculij Melphiensis, Vniuersi Ord. Min Con. tunc Ministri Gen: Data Viennæ in Conuentu Nostro S Crucis, die 19. Julij 1603. Tandem in ijsdem Actis subiungitur tabula fol. 159. cum hac inscriptione. *Anno Dñi 1603 die 25. Augus: publicata per ipsummet Rñdissimum Prēm Iosephum Pisculium S. T. D. & Generalem totius Ord: qui solus* (præsens scribere debuit) *Cracouiæ Capitulo Prouinciali*

inter-

intererat, anno & die quo supra. In hoc Capitulo fuit reelectus ipsemet Ioannes Camillus Cracou. Polonus.

9. QUADRAGESIMUS 6tus Min. Prou. fuit Fr. Lelius Fauentinus Italus; electus Leopoli anno 1606. vt constat ex cit. pro Capitulo intimata citatis Actis inserta fol. 161. Hic Min. Prou. malè audit in m. ss & Actis Gnesn. vti siti cupiditatis ardens. Post hunc Min. Prou. Lelium, fuit electus Min. Prou. Crac. anno 1609. Fr. Ioannes Romatowski Polonus. Hic quia iam secundo fuit electus, & aliam a se personam distinctan non adducit, ideo & numerum in Catalogo Minist: Prou. cum cæteris reelectis non adauget: iuxta doctrinam à nobis datam, de texendo Min: Gen. Infausto fato decessit Leopoli, nè quidquam eius animam lædente, à quo locus sui decessus, Romatouius fuit appellatus.

10. QUADRAGESIMUS 7mus Min. Prou: fuit Fr. Adamus Goski Polonus, electus anno 1612. in Capitulo Mederecii in Russia, sumptibus Magnificis, & liberalitate extraordinaria Illrmi Ianussij Ducis in Ostrog celebrato. Hic magnanimus Dux per amplum Monasterium, cum Ecclesia Fratribus nostris ex latere cocto construxit: & sub tempus Capituli præfati, Fratres introduxit. Hic Min: Prou: Goski, ob seueritatem sui regiminis, vulgò vocabatur Gorzki: postea factus fuit Episcopus Bachouiensis in Valachia, & Nostram Ecclesiam Belchatouiensem consecrauit; Huic Ministro Prou: successit Fr. Ioannes Donatus Caputus Italus: electus anno 1615. Cracou: 20. Junij, vt constat ex Actis Cust: Gnes. fol 166. iam secundò reelectus. Hic curauit fieri maius Altare de marmore Crac: eius discipulus fuit Fr. Josephus de Copertino: & in vita & post mortem miraculis clarus: Et hic conclusit externorum regimen in Prouincia Poloniæ.

11. QUADRAGESIMUS 8uus Min: Prou fuit Fr. Æmilius Cibo, ex Patre Italo Medicinæ Doct:, & Matre Polona, Ciuibus Cracou: electus Crac: anno 1621. in Capit:, cui ipse Præsidebat vt Commissarius Gen: Caputus enim profectus in Italiam, in loco suo Commissarium Prou: Prem Antonium Ceruinum, olim Academiæ Crac: Professorem reliquerat; sed auctoritate P.

Ministri

Ministri Gen: Fr. Æmilius Commiss: eius & Præsidens Capit: factus, tandem electus est Min: Prou. De eo m. ss. testantur, quòd fuerit Vir Jouialis, facundus, Orator disertissimus, Philosophus, & Theologus eruditus: linguæ latinæ, Italicæ, Polonicæ, Germanicæ, & Bohemicæ peritissimus; omnibus amabilis præter æmulos: vt enim verum est mundum non capere duos soles, ita experientiæ non aduersum illud adagium, *Vnicum arbustum haud alit duos erithacos*. Hoc in facto expertus Æmilius, in sole obambulans, comitem visus est habere vmbram: quare extra Prouinciam natiuam egreditur, & in Prouinciam Bohemiæ demigrat; vbi Bohemi virtutibus viri & prudentiâ illecti, eum suæ Prõæ in Min: Prou: præficiunt, anno 1634: tandem in eadem Prouincia Bohemiæ extra Patriam, mortuus est Pardubicij anno 1648, acsi trium Prouinciarum Pater. Iste fuit vltimus Prouincialis, nunc disjunctarum Poloniæ & Russiæ Prouinciarum: & tunc sub vnius Prouinciæ nomine indiuisim existentium.

12. Cessante itaq; Officio huius Prouincialis, diuisa fuit Prouincia Polon:, à Prõa Russiæ & Lith:, penes Polonos remanente sigillo antiquo, cum illa toties nominata primæua inscriptione. Hanc diuisionem innuimus Art: 17. n. 5. quæ fuit facta anno 1625. quo magnum celebrabatur Romæ Iubileum per Vrbanum VIII, & Comitia Gen: Ord: nostri ibidem peragebantur. in quibus per Breue Apostolicum fuerunt facti Prouinciales, vtriusq; Prõæ ab inuicem diuisæ. Prouinciæ Pol: Fr. Adalbertus Dębołęski: Vir ingeniosus, Theologus, Philosophus, Miles, Musicus, Aulicus; hic idem Officium Prouincialatus resignauit Romæ, præsentiens sibi malè fuisse addictum Sigismundum III. Poloniæ Regem: in cuius locum pro Commissario fuit substitutus, Fr. Adrianus Bratkowicz Prõæ Russiæ & Lithu: fuit institutus Prõalis. Fr. Adalbertus Giza, Vir doctissimus, antea Regens Ferrariæ, Bononiæ, Patauij & Leopoli: in lingua Polonica & Italica, Concionator celebris, & proceribus Regni amabilis.

13. Sub regimine præfati Æmilij Cibo, exorta fuit Reformatio in Maiori Polonia. Primus istius Reformationis motor, fuit Fr. Adamus Siecha Pyzdrensis, Diffinitor perpetuus, qui ob suam pie-

am pie-

am pietatem, & vitam integritate fragrantem, Custos & Guardianus Cracou: primùm factus, post Sacristiæ Cracou: præfecturam suscepit: in eo munere, eximia eius industria pietati coniuncta eluxit: cùm enim optimo conuersationis odore plurimorum corda ad se, & suam Religionem conuertisset, insigni liberalitate pro exornanda Ecclesia, copiosam ei benefactores frequentes, elargiuntur eleemosynam: quam Vir pius & cultui Diuino deuotus, totum quidquid accepisset, in ornamentum Ecclesiæ Crac: conuertit. Inter cætera memoratu digna, ingenuæ pietatis eius symbola extant: in Choro Minori Crac: ab vtraq; parte ex opposito locata exedria segmentata, mira varietate ac pretiosa frustillorum ligneorum, concharum, argenti, æris, imaginum sculpturæ subtilis, textura suffarcinata, atq; virgata.

14. Hic ergo deuotus Pater pacatam vitam ducere volens, Pyzdras ad Conuentum natiuum se contulit, Patriq; Fernando Antonio Wilczek, pro tunc Guardiano Calis: se associauit: factoq; consilio, inter se priuatas Constitutiones pro rigorosa, & exacta vita communi compilarunt, cum subscriptionibus aliorum Fratrum. Interea Romam adeunt, à Rndsm̃o P. Iacobo Bagnacab:, pro tunc Min: Gen: patentes procurant: qui eos à iurisdictione ordinaria Ministri Prou: exemit. & Prem̃ Adamum Custodem Cust: Gnesn: Commis: suum instituit. Feruet interea principium, & incrementa suà profert laudabilia, inchoata Reformatio; concurrunt ad eam augendam multi Viri, Nobiles, & docti, Benefactores largam eleemosynam impartiuntur: ingentem æstimationem impendunt; interea Pr. Adamus pertæsus Officij, Prem̃ Fernandum Wilczek Ministro Gen: commendat pro Commissario: qui assumpto Magistratu, cæpit in dies effingere nouitates, sandalijs vti Fratribus ad instar Capuccinorum imperauit, pallia quoq; breuia distribuit, & vt absq; illis nemo auderet Ecclesiam intrare, & extra commorari, seuerè prohibuit. Visâ hac difformitate, quòd in alijs Custodijs tales nouitates non seruarentur, & exinde sæculares multi scandalizarentur, Fratres abierunt in partes, & supplicarunt Fri. Felici a Cassia Ministro Gen: electo, vt ad obedientiam & ad vnionem, in victu & habitu locoq; præfati Re-

formati redirent: quibus libenter annuit, pallia cum sandalijs sustulit, Commissarium amouit, & sub vnius Pröalis obedientia viuere decreuit: sic anno Dñi 1626. redijt in Cap: Prou: Crac. celebrato, Custos & Guard: Gnesn: ad obedientiam Prouincialis, sicut ab antiquo fuit. Porrò Fr. Adamus Reformationis auctor Româ rediens, Patauij moritur & sepelitur: non absq; opinione sanctitatis. anno 1626.

15. QUADRAGESIMUS 9nus Min: Prou: fuit Fr. Adrianus de Ilza Bratkowicz electus Cracou: 1626. pro Festo Visitationis B. M. V. fuit Vir doctus & deuotus: scripsit in Metaphysicam Scoti grande satis volumen, quod in Biblioth: Crac: asseruatur m. s. Scripsit & Conciones de septem verbis, quas ipse in Capella Compasi: declamauit, & Typis edidit. De inuocatione SS. aliaq; m. ss. reliquit; Fuit Regens Viennæ Austriæ; post Cracou: Guardianus & Regens: & illis Reformatis in hoc Capitulo ad vnitatem reductis, impensè fauit, multos ex Conuentualibus ad reformatos discalceatos, qui ex Obseru: vulgò Bernardinis prodierunt, ad statum eorum profitendum præmisit: ipsos secuturus, Officium Prouincialatus in manibus Nuntij Apostolici resignauit, quod postea meliùs recollectus, & in se reuersus reassumpsit; & eo finito Calissij obijt, apud primitiuos Patres Min:Con: cum maxima contritione, & opinione sanctitatis anno 1639. Die 14. Martij tumulatus ad cornu Euangelij.

16. QVINQVAGESIMVS Min: Prou: fuit Fr. Franciscus Madalenski electus Calissij 1629. pro Festo Immaculatæ Concept: Præsidente Prē Adriano Bratkowicz, ipsius Promotore & Magistro, tamen eodem reliquas actiones Capitulares non continuante. Solius enim Nuntij Apostolici auctoritate Capitulum Prouinciale fuit congregatum, pro cuius Præside cùm nondum literæ à Nuntio Apostolico peruenissent, Fr. Adrianus præfatus, tum quia Prouincialis actualis, tum quia ipsemet sperabatur eiusdem Cap: præses à Nuntio per literas designandus, cæptis & prosecutis actionibus Capitularibus præsidebat. Tandem venerunt à Nuntio Apost: literæ pro Præside Capit: Frem Franciscum Bobrouium, Virum non graduatum sed Concionatorem celebrem designan-

tes;

tes. Hic vnà cum alijs confirmatis & acceptatis: præcedentibus actionibus, reliquas prosecutus est, vsq; ad finem Capituli. Et quia Nuntius Apost: in suis literis Cap: congregari absq; assensu Min: Gen: permittentibus, hanc clausulam apposuerat. *Dummodo Reuerendissimus Pr. Generalis vester actiones illius confirmet.* Igitur Min: Gen: præfatum electum Min: Prou: confirmare noluit: tum quia Capit: absq; sua licentia fuit celebratum: tum quia electus, non fuit laureâ Doctoratûs insignitus, ad normam Constit: Vrb: tunc recenter editarum. Recurrit ergo Fr. Franciscus electus, ad Regem Polon. tunc Sigismundum III: qui literis expeditis ad Summum Pontificem, obtinuit responsum gratiosum, ab Vrbano VIII: qui ad intercessionem Regis, iussit eum confirmari à Min: Gen.

17. Interea antequam hæc expedirentur: receptâ Min: Prou: electionis formâ, instituitur à Ministro Gen: Commissarius Gen: Pater Magister Antonius Ferbesz: quem inter & Ministrum Prouincialem electum, partiariæ & sibi aduersæ consecutæ sunt turbæ: quæ etiam Prouincialatum electi, confirmantibus & publicatis literis, sedari tàm facilè non potuerunt: studia in contraria partibus discissis, & simultatibus obductis. Auxit malum discors Collegialium in Collegio Szyszkouiano nouiter tunc erectus conuictus, ex Nationalibus & extraneis commistus: Ministro tamen Prouinciali confirmato & acceptato, parere omnibus erat necesse: qui exacto sui regiminis triennio, alternis vicissitudinibus obnoxio, Obijt Thorunij, quò curandæ valetudinis causa diuerterat anno 1641. sepultus Culmæ apud suos Fratres.

18. Tempore huius Prouincialis in Capitulo Calissij celebrato, susceptus est locus Grabouiæ, prout constat ex instrumento sub sigillo Maiori Prouinciæ Pol: & manu propria præfati Prouin: subscripto penes me manente, & hæc verba referente. *Anno Christi Dñi Millesimo sexcentesimo vigesimo nono Die 14. Decembr. Feria sexta A. R. P. Antonius Wilczek Diffinitor electus, & Guardianus Calissiensis. in Venerando Diffinitorio legitimè pro Capitulo Prouinciali congregato, exposuit situm Hospitij in Ciuitate Grabow, petens &c.* & infra Diffinitorij consensum exprimendo subiungit. *Sessione 14. statuit & decreuit Hospitium dictum pro Conuentu Calissiensi suscipere, prout & su-*

& suscepit, dans potestatem præfato P. A. R. Antonio, illud omni meliori modo continuandi, supposità applicatione ad Conuentum Calissiensem, cum Oratorio pro Diuinis.

Fr. Franciscus Madalinski Minister Prŏalis electus. (Locus Sigilli)

m. pp.

19. QVINQVAGESIMVS 1mus Minister Prouin: fuit Fr. Hyacinthus Korniewicz electus Petricouiæ anno 1633. in die Concept: B. M. V. Capit: Præsidebat Pater M. Faustus de Bononia; homo variantis ingenij & in nouitates prosilientis, non solum moribus & victui Patrio, noluit acquiescere, sed neq; etiam ritibus & cærimonijs in Ecclesia celebrari solitis vti volebat: proinde alias nouas inuisas, & in toto Regno nunquam obseruatas excogitauit cerimonias, cuius tamen peregrino genio, nullus ex maioribus contraire audebat, quia Ministri Generalis: auctoritate Commissoriali præfulgebat: cui innixus, alas nido maiores extendebat. Vigebant tunc in Prouincia, occasione Reformationis, in duas partes discissi animi: ex vna Patres antiqui & genuini Conuentuales: ex altera reliquiæ Reformatorum (de quibus supra in hoc Art: n. 13. egimus) insistebant: Vna quæq; pro suo affectu eligere Prouincialem studens. Hinc occasionem nactus Præsidens Capituli, non obscuris signis quò collimabat mentem suam insinuabat: nimirum inter duarum partium controuersiam, se ipsum tertium summâ rerum potientem inueniri desiderabat. Sed cordibus Polonis, ex extraneo regimine adhuc tunc recens & virens cicatrix relicta, contraria meditamenta suggessit: Quare Capitulares rediuiua vulnera verentes, partiarijs affectibus sopitis, in vnum conglomerati & radunati, nationalem supra dictum elegerunt Prouincialem. Faustus interea Commissarius & Præses Capituli, ex apprehensione contracto iracundiæ cordolio, ipsemet contractus redijt in Italiam, spe sua & fine frustratus.

20. QVINQVAGESIMVS 2dus Minister Prou: fuit Fr. Modestus Wybranowski, electus Culmæ anno 1636. in Prussia, Capitulo Præsidebat P. Adrianus Bratkowicz Hic Prouincialis licet st de vetusta rosarum seu Poraiorum familia esset, & Senatoriæ dignita-

gnitatis in domo sua tunc coruscante, illustraretur splendore: nihilominùs spreto natiuo lumine, impensè gloriabatur sola cineritia humilitate. Rectus, deuotus, Religionis amans, boni publici, non minùs quàm bonorum promotor eximius: erronum autem ac deuiorum blandus reductor, & temerè peruicacium vindex perpetuus. Hic primùm commisit P. Antonio Wilczek tunc Cust: Gnesn: pro fratribus procurandi & erigendi valetudinarij curam. Posnaniæ depromendam; Anno 1637. Die 20 Julij Dat. Inouladislauiæ. Tandem exacto sui triennij Officio, mortuus est Crac: ibiq; apud suos Fratres sepultus anno 1653. 14 Augusti.

21. Celebratum fuit Capitulum Neo-Corcinij anno 1639. circa Festum S. Lucæ in Octobre: & tunc in Ministrum Prouincialem electus fuit secundò Fr. Hyacinthus Korniewicz qui cùm iuxta dicta n. 9 non faciat in se vno numerum, ideo non auget secum catalogum Ministrorum Prou: reelectorum. In eodem Capitulo & sub eodem Ministro Prou: susceptus est locus ad S. Annam prope Smarzouicium Nostræ Religioni oblatus, ab Illustrissimo Dño Matthia Lubienski tunc Episcopo Vladislauiensi, & postea Archi-Episcopo Gnesnensi atq; Regni primate. Post mortem Joannis Lipski Archiep: Gnesn: ab Vladislao IV. Vrbano VIII. probante designato: qui cælesti pietate permotus, erga locum dictum, quasi sibi à Deo reuelatum, & pro Diuinis laudibus destinatum, Fratribus Nostri Ordinis circumscriptum & distermi-natum, obtulit, donauit, dotauit, & Deo dicauit, in honorem D. Annæ JESU Christi Auiæ, & Matris Beatissimæ Virginis, simul & Matris: Ecclesiam & Monasterium pro Fratribus ligneo opere extrui fecit, certis annuis pro victu Fratrum redditibus relictis. Iam nunc eo loco Ecclesiæ, à fundamentis de lateribus coctis inchoatæ atq; extructæ, vltimam manum imponere prosequitur, Pater M. Adrianus Kozłowicz Prouinciæ, & dicti Conuentus Pater eximius, mediante diligenti & solicita sua operâ atq; succursu eleemosynario, ab ipsa inchoatione continuato. Huius loci primam adijt possessionem anno 1641. P. Ignatius Opoiowski, Guardianus protunc Petricouiensis, Vir rerum gerendarum dexteritate pollens, à memorato Ministro Prou: loco præfato pro Superiore desti-

destinatus: Verosimile est ad eum modum, quo fuit designatus
Superior pro loco Grabouiensi: vt diximus supra n. 78. Porrò
præfatus Prouincialis, iteratò sui officij exacto triennio: mortuus
est Vetero-Sadeciæ anno 1642.

22. QVINQVAGESIMVS 3tius Minister Prou: fuit Fr.
Franciscus Marćinkowski electus Neo-Sadeciæ anno 1642. Capi-
tulo Præsidente P. Modesto Wybranowski. Hic Min: Prou: fuit
Vir rectus, Obseruantiæ Regularis amans, bonum publicum ze-
lans, non solùm pro Religione sua, sed etiam pro fide orthodoxa,
sui zeli Religiosi luculentum reliqnit testimonium: dum aucto-
ritate Inuictissimi Ferdinandi III. Imperatoris, destinatus Com-
missarius, multas in Dominio Bithomiensi ab Heterodoxis recu-
peratas, orthodoxis restituit Ecclesias: fuit Vir strenuus, & con-
tinuo labore indefessus. In exordio exorientis Conuentus Po-
snaniensis, tempore suscepti officij sui Guardianatus, pluribus in-
sudauit: cum aduersarijs prauo spiritu afflatis, immoto pede con-
gressus: Validis rationibus certauit, neq; retulit pedem, donec
Censuris Ecclesiasticis publicè, auctoritate loci Ordinarij denun-
tiatis, eos in Officio continuerit. B Salomeæ singularis Hypera-
spisten, & cultus eius promotor singularis; vt potè cuius præci-
puâ curâ. officium de eadem Beata Virgine & Regina, recitatur
per vniuersum Regnum Poloniæ, à S. Congreg: Ritum approba-
tum. Ad instantiam eius Marius Philonardus Nuncius Apost:
Anno 1643. Die 26. Augusti, Dat: Varsauiæ. concessit faculta-
tem celebrandi Missam Posnaniæ in lapidea sub Arce pro valetu-
dinario Fratrum tunc ibi residentium, à G. D Bartochowski resi-
gnata. Eodem anno die 25. Septemb. Dat: Grodnæ. Vladislaus
IV. ad instantiam Illsmi Andreæ Szołdrski Episc: Posn: tum sup-
plicationem M. D Francisci Sandiuogij Medirecensis & Pysdren-
sis Capitanei concessit Priuilegium erigendi Conuentum & Ec-
clesiam sub Tit: Annunt: B. M. V. & XII. Apost: Sub Arce Po-
snan: in fundis eiusmodi M. D. Czarkowski, tum Perillustris D.
Sigismundi Cielecki Præpositi Posn: Can: Gnesn: & præfati G.
Bartochowski. Atq; etiam eodem Anno die 9 Septembr: S. Con-
gregatio decreuit erectionem Conuentus & Ecclesiæ Posn: stabi-
lien-

liendam. Postmodum idem Serm͂us Vladislaus IV. Anno 1644. Die vltima Iulij. Dat: Crac: commutauit memoratum Priuilegiū & nouum indulsit pro erigendo Conuentu & Ecclesia Posn: sub ijsdem Tit: in nouo aggere suburbano, in fundo per GG. Martinum & Petrum Zawackie Ordini Nostro Min: Con. ad hunc finē resignato. Hic Prou: vixit sanctè, & obijt cum opinione sanctitatis Crac: an:1675. Eius Prouincialatus tempore, ego qui hæc scribo suscepi Deó vocante Seraphici Patris vestem 1645. Die 5. Martij in Dominicam primam Quadragesimæ incidente: Sub sequenti Ministro Prou: anno posteriori vitam Franciscanam professus.

23. QVINQVAGESIMVS 4tus Min: Prou: fuit Fr. Stephanus Tarcinas, electus Calissij anno 1645. Capitulo Præsidente P. Vincentio de Valentia Italo, sed Prouin: Pol: incorporato, qui per multos annos in Prouincia Pol: commoratus, Capellæ Regiæ Musicus egregius fuit: ipse est, qui locum pro Conuentu Varsau: ab Vladislao IV. procurauit, in eoq; diu Guardianum egit. Porrò præfatus Prouincialis fuit Vir doctus, & antiquitatum indagator strenuus: de cuius m. ss. egomet multa deprompsi circa Ministrorum Prou. seriem describendam; incipiendo à Francisco Lismanio. Hic Prouincialis Prouin: Pol: & præcipuè Conuentui Crac: magnum præstitit beneficium, dum à Capitulo Gen: anno 1647. Celebrato (in quo fuit electus Minister Gen: Vir æternâ memoriâ dignus, & in simili historia de Primicerio Ordine Min: Con: benè meritus, Fr. Michael Angelus de S. Mauro Catalanus) obtinuit liberam electionem Guardiani Crac: ab eo tempore ad mensam Definitorij Prouincialis, ex Nationalibus more consueto peragendam nunc spectantem (cùm ante ad mensam Min: Gen: spectaret) quod beneficium quàm proficuum sit Conuentui præfato, & Prouinciæ nostræ: condigna subiecta pro loco deligenti, ille tantùm non videt, qui prauo affectu peruicaciter cæcatus; hoc tantùm de vertiginoso cerebro emanans bonum putat, in quod impetu belluino impellitur. Sub hoc Prouinciali Perillustris D. Felix Mietlicki Canonicus Posnaniensis, Authoritate Illrm͂i Andreæ Szodłdrski Episc: Posn: erexit Crucem, locumq; Ecclesiæ & Conuentui ædificando, in nouo aggere suburbano Posn: designauit, Anno 1646. Die 26. Iunij nullo

con-

contradicente. Tandem præfatus Min. Prou. tempore nonnullo, post suum Prouincialatum superuiuens, Obijt Lublinij anno 1656.

24 QVINQVAGESIMVS 5tūs Min. Prou. fuit Fr. Alexander Dayczewicz, electus Crac: anno 1648. Præsidente Capitulo Fratre Vincentio de Valentia, cuius meminimus supra. Hic Min: Prou: tanto fuit Vir præditus ingenio, atq; in acuminibus speculatiuis, tum in Concionibus perorandis, tanto excellens dono: vt si ad ingenij valorem patem laboris censum, ei impendere collibuisset: inter primos non solùm in Prouincia Polon:, sed etiam in toto Ordine, connumerari potuisset. Obijt Crac. anno 1654. die 4. Septem. ibidem sepultus.

25. QVINQVAGESIMVS 6tūs Min. Prou: fuit Fr. Franciscus Mielzynski electus Petricouiæ anno 1651. Præsid: Capitulo Fre Bonauentura Theulo Italo. Hic Prouin: erat Parentum Nobilium, & Religioni Nostræ multùm addictorum, de Maiori Polonia oriundus, fuit Generosus; paccati animi, & in lenitatem, seu lentorem magis condescendens; quâ de causa populari aurâ suffultus, fuit secundò reelectus. Tempore ipsius pestilentia grassabatur; Hinc tali occurrente fato, vt in humanis fieri consueuit, non nihil remissiùs rerum series moueri visebatur. Obijt Sacramentis munitus & bona dispositione paratus, Posnaniæ anno 1675 in mei scribentis præsentia, ac pro ipsius anima solenniter sacra litantis, & obsequijs ipsius parentantis.

26. QVINQVAGESIMVS 7mūs Min: Prou. fuit Fr. Ludouicus Cichocki, electus Inouladislauiæ in Cuiauia anno 1654. Præsidente Capitulo P. Francisco Marcinkowski. Hic Min. Prou. in iuniori ætate fuit vltra vires suas studiosus, & laboriosus: non nihil vigore ingenij reluctante. HuiusOfficium Prouincialatus fatali irruptione Suecorum fuit infelix, sed menti aduersis non adeò impactæ, minùs graue: post exactum sui officij tempus, antequam annosior effectus, fuit Vir in oeconomicis non postponendus, Varsauiæ Conuentum ligneo opere extruxit, & Petricouiæ multa in Conuentu præclara reliquit: ibidem mortuus anno 1683.

27. QVINQVAGESIMVS 8uūs Min. Prou: fuit Fr. Antonius Rokoszowicz electus Petricouiæ anno 1658, in Festo Purific: B. M. V.

B. M. V. Præsid. Capitulo P. Antonio de Trabe, tunc Regente Pragensi Italo. Hic Min: Prou: & meus in Philosophicis amantissimus Magister, quantùm toti præstitit emolumentum Prōæ,indefesso suo studiorum labore,tot eius deprædicant Discipuli: quorum numerum, exceptis ijs qui Superiorum & Prædicatorum officio functi, soli ostendunt Ministri Prouinciales; nam incipiendo à secundo ab eo, maior pars, vel eius Discipuli fuêre, vel Discipulorum partus. Sed præcipuum singulariter Conuentus Crac: eius beneficium in oculis tenet, & venerari tenetur; quem postquam in Cinerem Sueticæ irruptiois interuentu fuerit redactus, ipse in eam formam quâ nunc splendidus in Superiori contignatione conspicitur, mirabili Diuinæ prouidentiæ succursu restaurauit: sartis tectis muniuit, atq; Ecclesiam testudine, pteromate collapsam reparauit. exedrijs ornauit; supellectili pretiosa ditauit æterna Vir dignus memoriâ. Doctus, deuotus, modestus, pacificus atq; frugalis, viuit adhuc, sed infirma valetudine suiipsius impos. Sub eius Prouincialatu post demolitionem Sueticam Ecclesiæ & Conuentus in nouo aggere Posn: fundati: translatus fuit Frattum Conuentus ad Ecclesiam S. Rochi, in suburbio Posn. Łacina dicto Sitam, de licentia Illrmi D. Adalberti Tolibowski Episc. Posn:. Hanc Ecclesiam S. Rochi vnà cum cura animarum, Petrus Vidonus Nuntius Apost: Auctoritate Pontificia incorporauit Conuentui Ord: Nostri in perpetuum: siue ad eandem Ecclesiam mansuro, siue aliò demigraturo.

28. Hunc secutus est in Prouincialatu Fr. Franciscus Mielżyński secundò electus in Capitulo Crac: celebrato anno 1660. cui præsidebat P. Ignacius Opoiowski, Guardianus tunc Petricouiæ, non graduatus quidem, sed Vir multa praxi ornatus, & prudentiæ qualitate grauis, plurimaq; tum extra tum intra Religionem æstimatione pollens: qui suâ dexteritate & dulcifluâ inter Benefactores conuersatione, tantùm à pietate Polona eleemosynæ collegit, vt de ea Ecclesiam & Conuentum de lateribus coctis Petricouiæ affabrè extruxerit. Eo igitur Præsidente, præfatus Min: Prou: electus, non adauget numerum Min: Prou: quia non instituit aliam à seipso personam; vt etiam de Ministris Gen: deduximus, Art: 5. n. 17. & n. 18.

29. QVINQVAGESIMUS 9nus Min: Prou: fuit Fr. Valerianus Gutowski electus Calissij anno 1663. Præsidente Capitulo, & Magistro electi P. Antonio Rokoszewicz. Hic expleto sui Prouincialatus Officio, edidit luci Concionum duo opera, vernaculo idiomate: sed re & stylo vernante. Sub hoc Prouinciali designatur Posn. sub Arce in monticulo locus Conuentui & Ecclesiæ erigendis, atq; de suburbano S. Rochi loco incommodo transferendis Ibidemq; Anno 1664. Die 22. Februarij erigitur Crux, per Perillustrem D. Adalbertum Dobrzelewski, Archidiaconum & Officialem Posn: de consensu Illrmi Stephani Wierzbowski Episc: Posn.

30. SEXAGESIMUS Minist: Prou: fuit Fr. Casimirus Biernacki præsentis historiæ consarcinator, electus Crac: anno 1666, in Festo transl: S. Stanislai Episc: & M. Capitulo Præsid: P. Benedicto Spruszenski, protunc Minist: Prou: Russiæ. Ingenuè fateor per exactum triennalis Officij mei tempus, vltra Lycurgi legem, hanc didici Regulam: si omnes maiores in Religione, vel Prouincia, extarent vnicordes, vel eorum identica vnanimitate compaginarentur mentes, exemplaritate præeuntes: facilè obseruantiam Regularem reliqua inferiorum sequeretur turba: & ad amussim in ea integra totius cœtus conseruaretur caterua; prout scitè & expertè Chrysost: Hom: 40. ad pop: dixit. *Exemplaria disparuerunt, propterea iuuenes non fiunt admirabiles*. Porrò exacto triennio, habuit Prouincia immediatè, per bimatum; Commissarium Prouincialem Nationalem, à Ministro Gen: institutum.

31. SEXAGESIMUS 1mus Min: Prou: fuit Fr. Ludouicus Starkiewicz, electus Petricouiæ anno 1670. Præsidente Capitulo P. Francisco Mielżynski. Hic Min: Prou: fuit Vir rectus, & simplex, atq; exinde more Polono multis amabilis. Sub hoc Prouinciali Anno 1670. transfertur solenniter Posn: Conuentus de loco suburbano S. Rochi, ad Monticulum seu collem sub Arce intra mœnia situm: simulq; Imago Miraculosa B. M. V. tum Domus Lauretanæ deuotio, necnon Confraternitates S. P. F. S Antonij ad Ecclesiam ibidem sub Tit: S. Antonij erectam, celebriter introducuntur & instituuntur, sicq; Ecclesia & Conuentus Posn: in

hoc

hoc colle antea inferni nunc Paradisi nuncupando assurrexit, adinstar Sacri Conuentus & Basilicæ Assisiensis, in colle antea inferni, postea à Gregorio IX. Paradisi appellato, Saxo vetusto fundatæ, atq; eiusdem Diplomate Vniuersi Ord: Min: Matricis Titulo eminentis, & Corpus Christiforme Seraphici S. P. F. condentis. Istæ circa Conuentûs Posn: erectionem varietates & locorũ adeptiones, potissimè fiebant ingenio & industriâ P. Alberti Zawadij, de quo infra vide n. 34. Tandem hic Prouincialis mortuus est Varsauiæ peste sublatus, anno 1675.

32. SEXAGESIMUS 2dus Min: Prou: fuit Fr. Adrianus Kozłowicz electus Petricouiæ anno 1673. Capitulo Præsidente P. Francisco Mielżynski. De hoc Min: Prou: mentionem fecimus supra n. 21.

33. SEXAGESIMUS 3tius Min: Prou: fuit Fr. Basilius Rychlewicz electus Crac: anno 1676. Præsidente Capitulo P. Valeriano Gutowski. Hic Ministeriatu Prouinciali perfunctus, triennale Concionatoris Ordinarij compleuit Officium Cracouiæ: nunc strenuam & sedulam nauat operam in Casibus Conscientiæ euoluendis: aliquando Deo auspice fructum laboris sui, luci donaturus.

34. SEXAGESIMUS 4tus Min: Prou: fuit Fr. Adalbertus Wąsowicz, meus in Theologicis discipulus, electus Petricouiæ anno 1679. Præsidente Capitulo Pre Ludouico Cichocki. Pro huius Capituli Præside, per literas patentes à Min: Gen: iam denuntiatus fuerat, Fr Adalbertus Zauadius, non graduatus, sed vir incomparabilis: cuiusuis sortis hominibus amabilis, vsq; ad miraculum ingenio naturali & actiuâ dexteritate pollens: huic tamen officio Præsidiali subseruiens vniuerso, tunc circumacto, omnis boni strictiori obseruantia valens, sponte & generosè cessit. Posthumæ tanti Viri memoriæ, insculpenda esset Sacrato in marmore forma, ni potiori stylo, viuo morum eius schemate sacratior humanis impressa mentibus præcessisset idæa. Quanta operatus est pro Prouincia, & præcipuè pro Conuentu Posnaniensi, Acta illius Conuentus fusiùs testantur: cuius locum ex suburbano commutatum in vrbicum, & ad interiora ciuitatis Conuentum transtulit

tulit mænia, atq; dexteritate suâ eum acquisiuit in ciuitate collem, vbi Conuentum à fundamentis maiori ex parte de latere cocto erexit; itidem Ecclesiam à fundamentis iam inchoatam & delineatam, alteri complendam, & perficiendam reliquit; insigniora facinora & semper grandi animo producturus, nisi inuida fata, pijs, & sors ingentibus ausis, rara comes: filum vitæ eius præcidissent: omnibus mærentibus anno 1680. Primum climactericum decussatim bis inscriptum agenti. Hoc Parergon subijcere placuit in gratiam tanti Viri, & mei in Nouitia Religiosi Tyrocinij Palæstra Magistri amantissimi. Mortuus est moderante Prouinciam supra nominato Min: Prou: qui in Ministeriatu officij sui pertæsus, cum consensu Ministri Gen: priùs debito tempore octo mensibus accelerauit Capitulum Prouinciale, & suo Regimini finem imposuit. Eius Prouincialatus tempore, incorporatus est Prouinciæ, Auctoritate Apost: *locus* miraculis clarus, S. Antonio Bulionio Vlyssiponensi Sacer, moderante tunc eiusdem loci Conuentum P. Adriano Piądzikowski Viro industrio, eumq; locum, Ecclesia ædificatâ, ædibus constructis, atq; suppellectili Sacra, vsq; nunc præclarè exornante.

35. SEXAGESIMUS 5tus Min: Prou: fuit Frater Antonius Broun, integer meus tum in Philosophicis quam Theologicis discipulus, electus Neo-Corcinij anno 1681. Capitulo Præsidente P. Casimiro Biernacki præsenti Chronologo. Hic Prouincialis operis præsentis extitit censor designatus, cuius etiam voluit esse Approbator.

36. SEXAGESIMUS 6tus Min: Prou: fuit Fr. Valerianus Karwacki, meus in Theologicis Discipulus, electus Calissij anno 1684. Die 18. Septemb. in Festo S. Thomæ de Villa Noua, Præsidente Capitulo P. Vito Lepori de Goritia Veneto, contra Statutum Capituli Gen: in quo fuit electus in Ministrum Gen: Pater Josephus Amati, sancitum, vt in posterum Commissarij Gen: in Prouincijs Vltramontanis, & Capitulorum Præsidentes, à Ministro Gen: non deligerentur: nisi vel ex natiuis, vel vicinioribus Prouincijs.

37. SEXAGESIMVS 7mus Min: Prou: fuit Fr. Franciscus Biegan-

Bieganski, electus Posnaniæ anno 1687 in Octaua Natiuitatis B. M. V. Præsidente Capitulo P. Basilio Rychlewicz. Hic Minister Prou: ad præsens Prouinciam gubernat, & vt feliciter diu sospes & incolumis, cum alijs sibi succedentibus gubernet. Votum meum huic per seriem Ministrorum Prouincialium descriptioni, tum & Prouinciæ Sarmatiæ delineationi, pro colophone affixum relinquo.

Describi oportuerat aliquorum locorum seu Conuentuum receptionem: maximè hoc currenti sæculo nouiter atq; recenter receptorum, & Prouinciæ Corpori adscitorum, quando & quibus motoribus fuerunt recepti: vti enixè ab eorum manibus, qui hæc præstare poterant & debuerant expectaui, & scripto postulando requisiui: sed tanta est mortalium inertiæ, & ignauiæ impotentia, vt non solum ea quæ sunt notatu historico, & memoratu digna, posteritati ad notitiam grauetur transmittere, sed etiam otiosa oscitantia grauida, & rigens, laboranti informando, non dignetur curtas periodos, saltim materna lingua exarandas, ministrare & submittere.



ARTICVLVS XXIV.

In quo proprius & genuinus cognomenti Conuentualis, à Conuentu deriuati, sensus statuitur: & antiquitas eius ostenditur.

1. VT proprium & genuinum huius Apostolici, primitiuis Minoribus adiuncti cognominis *Conuentualis* Sensum statuamus: oportet vt hunc terminum *Conuentualis*, in ea significatione, quâ primarij in Orbe vniuerso homines vsi sunt, indiscriminatim accipiamus. Significationem enim terminorum seu sensum, à primo instituentium Voto sancitum, veritatem indaganti adulterare non est concessum; maximè quia sensu vocum variato, seu terminorum significatione immutatâ, naturam, statum, & Ordinem rerum, necesse est pessum ire. Vnus quisq; enim qualis est, tale quodq; ei videtur: talia dicit, & operatur, & viuit sic; vt aduertit Arist: 4. Æthic: Proinde nè sensum huius termini *Conuentualis*, ad placitum vt multi faciunt, ex libertate delirantes, ad libitum effingamus: eum à Maioribus Nostris, qui non solùm Grammaticis Institutionibus, sed summâ Theologiæ & Iurisprudentiæ mole, instructissimi apices fuêre, depromere debemus; maximè à Summis Pontificibus.

2. Ante omnes, tres Summi Pontifices occurrunt, huius Nominis *Conuentualis*. Sensum proprium & genuinum definientes, terminantes, & probantes. Primus Innocentius IV. in Bulla quæ incipit. *Cùm tanquam.* Secundus Pius IV. apud Flauium Chesrub: in Compend: Bullarij sub Bulla Pij IV. quæ incipit. *Sedis Apostolicæ.* Vbi in præfatione ad Constit: Pias, hæc verba referuntur. *Innocentius enim IV. Pont: Max: Vir doctrina & sanctitate clarus: per Breue, quod in Archiuo Ecclesiæ Nostræ SS. XII. Apostolorum Romæ integrum seruatur: declarauit Ecclesia Fratrum Min: vbi eorum Conuentus existebant, Conuentuales vocari, vnde Conuentualium Nomen Minorum titulo adiunctum est; Nomen quidem humillimum, quod nullum honoris, nullum dignitatis, vel sanctitatis titulum præfert, Sed tantùm Minorum*

norum Fratrum, ad vnam Regulam ad vnamq; vitæ comunitatem, animum significat. Tertius est Vrbanus VIII. in sua Bulla quæ incipit. *Militantis Ecclesiæ.* data in arce Gandulphi 15. Maij anno 5. confirmante has quæ eidem sunt annexæ Constit: Vrbanas: in quarum prima tit: 1. hæc sunt Pontificiæ Constit: verba. *Seraphicum P. N. S. Franciscum, Diuino lumine afflatum Ordinem suum sub titulo Fratrum Min: instituisse: hocq; nomen delegisse, nè fratres sui (vt D. Bonau: testatur) de vllo dignitatis gradu contenderent, neq; honorificum nomen sibi vendicarent; sed omnibus, saluo Dei honore se subijcerent, & ad temporalem magnitudinem non aspicerent, satis compertum est. Huic autem in ipsis quasi primordijs Religionis, ex Apostolica Auctoritate nomen Conuentualium accessit, quod vsq; hodie apud nos perseuerat; idq; verò nihil aliud quàm Minorum Fratrum, ad vnam Regulam, vnamq; vitæ Communitatem vniformem animum significat.* Hæc Vrbanus VIII. Ex quorum Pontificum auctoritate, verus & genuinus huius Apostolici cognomenti *Conuentualis* depromitur sensus: Scilicet terminum *Conuentualis* nil aliud significare in singulari, nisi personam ex instituto suo, ad vnam Regulam, ad vnamq; vitæ communitatem, vniformem animum habentem, cum alijs coniunctum.

3. Sed quia non solùm personæ appellantur Conuentuales, sed etiam domicilia, habitacula, & Ecclesiæ denominantur Conuentuales; ideo ad percipiendum medullitùs sensum termini *Conuentualis*, iuuabit eius deriuationem, & etymologiam pernoscere, originem, & effluentiam aduertere. Certum autem est, hoc adiectiuum *Conuentualis*, ortum suum à Conuentu deriuasse, ab eoq; defluxisse, vt intuenti & conferenti definitionem *Conuentualis*, à præmissis tribus Summis Pontificibus supra stabilitam, cum definitione Conuentus à iure Communi expressa, manifestè patere potest. Ius Canonicum dist: 15. cap: 1. in fine sic Conuentum definit. *Cætus verò Conuentus est, vel congregatio à coeundo, id est à conueniendo in vnum. Hinc Conuentus est nuncupatus, eò quòd ibi homines conueniunt in vnum, sicut à Conuentu Cætus dicitur, sic & Concilium à societate multorum in vnum.* Ex quibus manifestè constat, illos Cōuentuales dici debere, qui ab hoc primitiuo Conuentus nomine,

ortum

ortum & appellationem ducunt, ſcilicet qui conuenientes & coeuntes in vnum, faciunt Conuentum, ſimulq; congregati ſimultaneam vitæ communitatem, vniformi animo conſtituunt. Et in hoc ſenſu *Conuentualis* accipitur communiter ſignificatiuè, vt aduertit Wadin: anno 1252. n. 23. inquiens. *Apertus eſt ſenſus nominis Conuentualis, illudq; accipi pro Collegio ſimul habitantium, ſub communi ſorte viuendi & in Clauſtro. Atq; in hac acceptione vſurpatum eſt vocabulum hoc ſemper inter Noſtros, vt tandem frequenti vſu, & admiſſo apud omnes ſenſu, idem ſignificarit Nomen Conuentualis, quod clauſtralis: quia viuebant ſimul in Collegio, Conuentu atq; Clauſtro, idq; videre eſt in multis Bullis Pontificiis, præſertim Iulij II. Cùm multæ & graues.* Dat: anno 1506. die 16 Iunij. Ex hoc eodem ſenſu poſtea deriuata eſt, per auctoritatem Summorum Pontificum (vt infra dicetur) *Conuentualis* nomenclatura, ad domicilia, habitacula, & Eccleſias, hoc cognomine *Conuentualis* inſignitas, imò ad ipſa Diuina Officia, ipſasq; Miſſas Conuentuales, ita vt hæc omnia *Conuentualia* dici debeant, quæ ad eiuſmodi congregationem conuentualiter adunatam, quoquo modo ſpectare noſcuntur.

4. His præmiſſis ſenſum *Conuentualis* à Conuentu deriuatum, & iam explicatum, vti originaliter à ſuo fonte ſcaturientem, Nomini *Conuentus* coæuum euidenter cernimus. Nomen verò *Conuentus*, vt Joannes Franchinus Procurator Ord. Noſtri, in ſuo Apologem: de Antiquior: Min: Con: ſatis eruditè Sect: 7. n. 2. probat. *Tantæ antiquitatis eſſe, quantæ Grammaticis hoc verbum conuenire, prout ſignificat congregationem, coitionem, & ſimul aduentum plurium ad vnum locum, vel ad deliberandum de Repub-, vel ad iudicialia, vel ad mercimonialia.* Ibiq; Romanos Conuentus enumerat, quod ſatis canonicè dictum, approbat ius commune: dum Synodum, Cætum, *Conuentum*, Concilium, in principali ſignificato, pro eodem ſumens Diſt: 15. cap: 1. inquit. *Concilij verò Nomen tractum eſt ex more Romano: tempore enim in quo cauſæ agebantur, conueniebant in vnum, communiq; intentione tractabant. --- Cætus verò Conuentus eſt, vel congregatio à coeundo, id eſt à conueniendo, eò quòd ibi homines conueniunt in vnum, ſicut à conuentu cætus dicitur, ſic & Concilium à ſocietate multorum in vnum.* Sed in gratiam tàm docti

Viri

Viri (quem unicè diligo vel eo titulo, quia non Philosophica vel Theologica seu Prædicabilia, quibus in superfluo abundat Ordo Noster, sed Historica præsetulit scribenda) demonstrare audeo rei per Nomen primitiuum *Conuentus.* (à quo adiectiuum *Conuentualis* deriuatur) significatæ, tantam esse antiquitatem, vt & ipsos Grammaticos, & hoc eorum verbum *conuenire*, & nomen *Conuentus*, antequam literarum syllabarumq; forma constructa apparuissent, tempore præcedere non ambigam: potior enim & prior est rerum, quam Nominum institutio. Statim namq; in ipsa mundi infantia, eodem creationis cæli & terræ primordiali die, mundialis exortus, creatiua Dei virtus, primum in multitudine Angelorum congregata, instituit *Conuentum*, vt Communis sententia post Conc: Lat: cap: *Firmiter de Summa Trinit: & fid: Cath:* tenet. Huic Angelico Conuentui re significata per nomen *Conuentus*, apprimè & intimè congruit, secundùm præmissum Conuentus sensum, adductis auctoritatibus definitum: fuit namq; Cælestis ille Conuentus in prima sui creatiua institutione congregatus, Cætus Angelicus, sub vna Regula gratiæ Dei conseruandæ collectus, ad eandem vitæ perennis communitatem vniformi animo, ex intentione Dei conueniens, & adunatus, quæ est Statuta supra definitio, veri atq; realis Conuentus: à quo ipsi Angeli eum Cælestem Conuentum constituentes, & complentes, primi in mundo exoriente *Conuentuales* rectè veniunt appellandi: communi ratione Nomenclaturam à Conuentu nanciscentes; Cælumq; ipsum materiale, tanquam habitaculū *Conuentuale* denominantes.

5. Verùm quia ex Conuentu illo Angelico, bifariam diuisa fuit hæc prima Conuentualitas. Alijs vitæ perennis gloriâ potientibus: Alijs in Conuentum malignantium abeuntibus: Hinc benè aduertit Petrus Bercorius in suo repertorio Morali V. *Conuentus*, quadrifariam distinguens Conuentum, dum inquit. *Primus Conuentus est bonorum, vt simul maneant. Secundus malorum, vt simul bonis noceant. Tertius damnatorum, vt simul mala subeant. Quartus Beatorum, vt simul bonum habeant. Primus Conuentus est bonus virtuosè degens, Secundus malus vitiosè agens. Tertius pessimus, dolorosè lugens. Quartus optimus, gaudiosè vigens, & viuens.* Nos in præsenti

tantùm bonum & optimum (malo & pessimo reiectis) Conuentus & ab eis Conuentuales nuncupatos accipimus : atq; ita solos B. Angelos Cælestes Administratorios Spiritus, primos in vniuerso *Conuentuales.* in Angelico Conuentu per creationem coeuntes, congregatos, & adunatos confitemur. Quibus vniuersam Ecclesiam triumphantem, claram visionem & charam Dei fruitionem complectentem : atq; inobliquabilem sempiternæ gloriæ Regulam, tum B. Vitæ æternæ Communitatem, copulato animo, vniformi lumine, multifariam perfuso possidentem : non incongruè adnectere valemus ; & in eo Cælico Conuentu, Cælestes incolas Stola gloriæ indutos, æterna perfruentes Maiestate, asseuerare Conuentuales, triumphantes possumus. Ab hac Nomenclatura non excludendo etiam Ecclesiam militantem, quæ in sua exulari vita, verum fidelium Conuentum faciens : omnes ceu Conuentuales in fide, charitate, Sanctorum communione, conuenientes ad vnam Christianam Regulam, vnamq; vitæ Communitatem vniformem animum gerentes, manifestè comprehendit. Hanc coæuam antiquitatem, non tantùm nominum primitiui *Conuentus*, & deriuatiui *Conuentualis*, sed etiam ipsius prioris absq; nomine realis Conuentus, & Conuentualis, in gratiam amici citati placuit ex reflexione subijcere.

6. Asserit præterea cit: doctus Franch: n. 3. *Celebrari Conuentus antiquissimo tempore cæptum patet, ex Amphictionijs, ita denominatis ab Amphictione Deucalionis filio, qui ad Thermopylas & Delphos, Summates, Ionas, Dolopas, Thessalos, Aemianos, Magnetas, Maleenses, Phthiotas, Dorienses, Phocenses & Locros, ad hoc conuocabat, vt tradit Pausani: lib: 7. Achaicorum & lib: 10. Phocicorum.* Cui ego morem gerens (cum propius perspecta fortiùs moueant) patrios etiam inter domesticos lares, pro more gentis, à perantiquis temporibus celebrari solitos, adiungo *Conuentus* : dum Comitia siue Generalia Regni, siue Palatinatuum particularia, siue territoriorum peculiarium, patrio more, vocamus Conuentus. Hinc mos inoleuit dicendi : in Conuentu Sredensi, in Conuentu Prosouiensi & c. articuli bonum plenum, & vtile, integrum Reipub: conseruandæ concernentes ; laudantur & probantur. Quorum sicut apud Romanos,

manos, vt scribit Dyon: lib. 7. hist: Alij *Consulares*, Alij *Quaestorij*, Alij *Tribunitij*, Alij *Ædilicij*, Alij *Calati*, Alij *Centuriati*, Alij *Curiati*, dicebantur: Sic Sarmatico ritu, pro diuersi muneris functione, diuersi celebrantur Conuentus: siue dum Regum inaugurandorum causa magnificè celebrantur, siue dum Nuntij terrestres velut Lacedæmoniorum Ephori, vel Romanorum Tribuni plebis deliguntur, & renuntiantur, siue dum Judices Areopago Tribunalitio, ex præcellentibus deputantur, siue alij, alio Magistratus munere, Suffragijs cumulantur. Hos *Conuentus* postquam in vnum locum omnes conuenêre constituentes: *Conuentuales* ritè appellari possunt.

7. Hunc modum dicendi Ecclesia S. secuta, edocta non solùm à Sacris paginis coitiones hominum, in vnum quacunq; de causa conuenientium, appellari Conuentus: vt Mach: lib: 1. cap: 14. *In Conuentu Sacerdotum, & populi.* & cap: 13. *Congregatus est Conuentus, vt essent parati ad prælium.* & Iacob: cap: 2. *Si introierit in Conuentum vestrum vir.* Sed etiam in Rebuspubl: temporalibus, hunc ritum speculata, ratum transtulit ad Religiosas congregationes, eas more approbato, vocando *Conuentus.* vt euidenter constat ex cap. *Edoceri.* de rescriptis & ex cap. *Monasteriorum.* in Clem: de rebus Ecclesiæ non alienandis: vbi personæ Dei famulitio dicatæ, in suas congregationes coeuntes *Conuentus* vocantur, à quo nomine nō incongruum postea visum, vt deriuatiuè, & in concreto *Conuentuales* inde appellarentur. Et hanc imitationem Ecclesiæ ab Ordine Rerumpub: temporalium tractam, maximè ex more Romano vt diximus n. 4. Suo primordio synchronam affirmat esse, Bruno Chasaingus in Priuil: Regul: tract: 1. cap. 1. inquiens. *Petrum in distributione iurisdictionis spiritualis, secutum fuisse Ordinem iurisdictionis temporalis à Romanis institutæ, vt sic faciliùs inter subditos & Prælatos Ecclesiæ communicatio haberetur, quem Ordinem alij Pontifices successiuè secuti fuerunt.*

8. Postea hoc Nomen *Conuentus* ipsis Congregationibus Religiosis impositum, atq; ex vsu & more receptis, iniunctum est domibus Religiosorum: præcipuè mendicantium prout à Monachis distinguuntur: ita refert Siluester V. *Conuentus.* dicens. *Apud*

Mendicantes quorum domus non habent proprium Nomen, sicut domus Monachorum Monasteria: Conuentus dicitur propriè, locus habitationis eorum. Supple Fratrum Mendic: & Rodericus Obseru: quæst: Regul. Tom: I. Q. 4. Art: I. *Antea enim domus Fratrum Mendicantium, non habebant nomen proprium, sicut domus Monachorum, quæ propriè vocantur Monasteria, & ideò Mendicantium & aliorum Regularium habitationes cæperunt vocari Conuentus.* Ex his igitur rectè inferendum deducitur, tantæ antiquitatis esse cognomentum *Conuentualis*, quantæ extat nominis, vel rei *Conuentus* seu conuenire.

ARTICVLVS XXV.

In quo diuersæ acceptiones sensus Cognomenti Conuentualis aperiuntur, & cum præfato Pontificio Sensu coincidere ostenduntur.

I. INueniuntur etiam multi, qui ex hoc appellatiuo & respectiuè collectiuo *Conuentus*, tum adiectiuo *Conuentualis* nominibus, diuersos eliciunt & excutiunt Sensus: qui si non fuerint merè gratis absq; fundamento efficti, congruam & consentaneam ad sensum explicatum Innocentianũ Pianum, & Vrbanum, reductionem sustinere possunt, & supportare explicationem. *Primus* sensus est eorum, qui dicunt hæc nomina *Conuentus* & *Conuentualis*. ideò in principio vsurpata fuisse, vt eis vtentes, haberent per ea notam distinctionem, tum Monasteriorum, seu Conuentuum formatorum ab eremitorijs & locis solitarijs: tum personarum Conuentualium, in huiusmodi Monasterijs seu Conuentibus Conuentualiter in vita communi viuentium, ab eremicolis seu Anachoretis: qui hærebant in solitudinibus, ab aspectu hominum remotis, solitariè non conuentualiter habitantes: & parua ac particularia Oratoria habentes; non Ecclesias Conuentuales, quibus ea Priuilegia, & gratiæ Ecclesijs Collegiatis concessæ, communicabantur: non verò illis eremitorijs vti priuatis Oratorijs: quem sensum Nominum *Conuentus* & *Conuentualis* acceptat Wad: ad annum

tum 1252. n. 23. & alij Obseru: vt March: in Expos: Reg: pag: 490. Hic sensus reuera vti rationabili nixus fundamento susti- neri potest, & ad Nostrum ex Innocentio IV. Pio IV. & Vrba- no VIII supra explicatum Art: 24. n. 2. non inuitè reduci. Si enim verum est quòd principia rerum essentialiter distinctiua, ea- rum etiam debeant esse essentialiter & constitutiua: iam si *Con- uentus* & *Conuentualis* distinguebantur ab Eremipetis, & Eremi- torijs; clarum est quòd in illis Conuentibus, in quibus Conuen- tuales in vita communi conuentualiter viuebant, formaliter & realiter constituebantur per hoc, quòd in vita Conuentuali col- legialiter erant conuenientes, & cænobitico non eremitico more ex instituto suo viuentes, ad vnam Regulam, ad vnamq; vitæ Cõ- munitatem, vniformem animum cum alijs coniunctum haben- tes: & sic eo distinguebantur ab Eremicolis in Eremis manen- tibus, quo per se constituebantur in suis Conuentibus: quæ est ipsissima definitio *Conuentus* & *Conuentualis* supra assignata. Et in hoc sensu Nomen *Conuentus* & *Conuentualis*, omnibus Ordinibus Regularibus collegialiter & cænobiticè viuentibus conuenire & appropriari potest.

2. *Secundus*. Sensus horum nominum *Conuentus* & *Conuen- tualis*, singulariter applicari & appropriari potest, primitiuis & antiquioribus Religionibus Mendicantium, scilicet Ordini Domi- nicano, Franc:, August:, & Carmel: prout hi Ordines his Nomi- nibus *Conuentus* & *Conuentualis*, signantur esse antiquiores suis re- formationibus, postmodum superuenientibus: & hoc charactere *Conuentualitatis* imprimuntur & insigniuntur; ad denotandum, quòd dicti Ordines sint Matrices, Fontes, & Origines suarum postea superuenientium Recollectionum, seu Reformationum: ad instar riuulorum primitùs ab eis scaturientium. Et licet à suis Reformatis ab eis & ex eis profluentib⁹, & sub eadem Regula mi- litantibus, hoc nomine *Conuentualitatis*, non distinguantur aliæ primitiuæ Religiones, vt nos Minores Con: à nostris Reformatis Obseru: distinguimur, hoc ideò euenire, quia habent aliunde no- mina, se & suos Reformatos distinguentia, tamen ad ostenden- dum eas Religiones esse primitiuas Matrices, Fontales Origina-

rias; & Reformatos posteriùs profluentes, esse scaturiginem deriuatiuam, non minùs ab eis, & ex eis assurgentem, & distinctam: etiam Summi Pontifices eo titulo & nomine *Conuentualium*, eas Religiones appellauêre specialiter *Conuentuales*, vt habetur clarè ex Bulla Sixti IV. quæ incipit. *Dum singulos Regulares &c. Dat: Romæ apud S. Petrum Anno 1475. Kal: Maij Pontificatus anno IV.* & habetur in lib: Monum: Ord· Min: tract: 1. procefs. fol: mihi 195. approbando Bullam Pauli II. & sub excommunicationis pæna inhibendo, occupationes domorum Religionum Conuentualium (vt aliàs diximus Art: 15. n. 16.) dat hæc verba. *Post nostram ad Summi Apostolatus apicem assumptionem, à dilectorum Filiorum Fratrum Prædic:, & Min:, & Eremit: S. August: & B. M. V. de Monte Carmelo, Ordinum Generalibus Magistris Ministro, & Prioribus, qui pro tempore fuerunt & aliorum dictorum Ordinum professorum relatione, non sine querela accepimus, quòd Laici in diuersis mundi partibus constituti, proprijs incumbentes affectibus, dum Magistri, & Ministri, & Priores ipsi tàm Generales quàm Prouinciales, & domorum eorundem Ordinum Custodes, Guardiani, & Fratres, Conuentuales nuncupati dictarum domorum iura prosequuntur* &c. Subiungit verò inferiùs. *Tot malis quot Prædicatorum, Min:, Eremit: S. August:, Carmelitarum S. Mariæ, Ord: Mendicantium professores prædicti, Conuentuales nuncupati, quorum scientià & doctrinâ, militans Ecclesia continua suscipit incrementa.* Declaratq; non licere laicis se ingerere vel occupare bona eorundem Fratrum primitiuorum, scilicet quatuor Ord: Mendicantium; Fontalium seu *Conuentualium, etiamsi domus ipsæ ad Fratres dictorum Ord: de Obser: nuncupatos perueniant,*

3. Ex hac Bulla videmus euidenter, iam tunc à præfatis primitiuis Ordinibus Mendicantium, prodijsse Reformatos, præfatorum Originariorum & fontalium Ordinum Conuentus occupantes, quod maximè memoratus Pontifex de Nobis Min: Con: verificari agnouit: vti ex gremio Nostro de Generalatu ad Cardinalatum, mox ad Summum Pontificatus apicem assumptus, vt ostendimus Art: 16. n. 10. quibus Reformati Obseru: nostri eblandito Principum fauore, vel Communitatum sæcularium promotione prensata, plurimos Conuentus tunc occuparant, & posse-

derant.

derant. Proinde huiusmodi occupationes Conuentuum prohibens Pontifex, generaliter vocat antiquas Originarias Mattices, & Fontales Religiones *Conuentuales.* Fratres verò Nouarum reformationum, a prioribus emergentium appellat Fratres de Obseruantia, sicq; Matricibus cunctis Religionibus antiquis dat nomen *Conuentualium*, filiabus vero nomen Obseruantiæ: & ob istam rationem præcipuè, quia primitiuæ & Matrices Religiones, prius primos sub eadem Regula inceperunt, & constituerunt in Communitate Conuentus, posteris deinde Reformatis se a Communitate subtrahentibus, & in posteriores familias diuidentibus, ac rigidiorem Regulæ Obseruantiam zelantibus separatis. Proinde priores dici anthonomasticè *Conuentuales*, à principali ex antiquioritate & prioritate analogato meruerunt, & posteriores de Obseruantia appellationem sortiti sunt. In quem sensum maximè de nostro Min: Ord: Con: & nostris Obseruantinis collimat Emin: S. R. E. C. Brancatus de Laurea in suo Epitome V. *Fratrum Min: Reformatio & diuisio* inquiens. *Fratrum Min: prima diuisio legitima ac reformatio facta est in Conc: Constant: Sess: 19. & ibi qui à Communitate Ordinis se diuidunt, Reformati seu Obseru: dicuntur ; & assignatur ibi, quomodo hi debeant regi & gubernari à Vicarijs, tamen sub Generali Ordinis. Alij autem fratres remanent sub communitate Religionis, cum titulo Minorum seu Conuentualium, ad distinctionem Reformatorum, seu Obseruantium diuisorum.*

4. Subest & alia ratio, cur antiquiores originariæ & Matrices Religiones, in stipite suo persistentes vocantur in Bullis Pontificijs *Conuentuales*, & posteriores ipsarum, superuenientes Recollectiones seu Reformationes appellantur de Obseruantia, quia nimirum pleræq; si non omnes Reformationes, inceperunt Obseruantiam suam à vita eremitica, vt patet de PP. Nostris Obseru: vulgò in Polonia Bernardinis nuncupatis: qui teste Wad: Obseru: ad annum 1368. n. 12. *Bruliani in loco horroris & vastæ solitudinis.* & Roder: itidem Obseru: Q. Q. Reg: Tom: 1. Q. 4. art: 2. & March: in Expos: Reg: pag: 490. à Paulo de Trincis Laico in Eremitorijs inceperunt, Originariæ autem & Matrices Religiones, statim ab exordio vitam inceperunt Conuentualem, colle-

gialiter

gialiter & non eremiticè viventes, vt patet de nobis Min: Con: qui Riuotortii in primo Religionis Conuentu, antequam Ecclesia S. M. Angelorum Religioni concessa fuisset, iam ab Innocentio III. tunc approbatæ: in B. P. Francisco, & illo duodenario numero, statim post approbationem Regulæ Innocentianam, collegialiter & Conuentualiter viuere incepimus, vt ostensum est, Art: I. n. 12.

5. *Tertius* Sensus horum Nominum *Conuentus* & *Conuentualis* est; vt Conuentus pro Magnificis & sumptuosis claustris materialiter sumantur: & exinde huiusmodi Conuentus incolentes *Conuentuales* nuncupentur: ita de Nobis Franciscanis Conuentualibus sentit Barbarosa Iuris Eccl: lib: I. cap: 41. n. 175. inquiens. *Conuentuales sic dicti à Magnificis & sumptuosis Conuentibus, & amplis ædificijs ac claustris erectis, vnde quandoq; Claustrales appellabantur, Ordinis statum & modum primitiuum Religionis in summa paupertate prætereuntes, magnas possessiones & reditus acquirere cæperunt. Sed vt ea bona in Communi possidere possent, impetrarunt indultum ab Innocentio IV. anno 1244. trigesimo quinto post institutum Ordinem, & profiteri exinde cæperunt Regulam, cum limitatione Priuilegiorum inuentam & approbatam.* Idem sentit Roder: Obseru: QQ. Reg: Tom: I. Q. 4. Artic: I. dicens. *Et ideo his temporibus, ampla ædificia Magnificasq; domos, huius Religionis professores ædificare curarunt: in quibus amplissima claustra erigebantur, quorum ratione forsan Claustrales vulgariter appellati sunt.* Et Art: 3: eiusdem Quæst: in fine adiungit. *Sed verius puto ab amplissimis Claustris, suorum Monasteriorum vulgus hoc illis tribuisse nomen.*

6. Sed hæc acceptio Nominum *Conuentus* & *Conuentualis*, nulla ratione vel auctoritate fulcitur: sed ex mero citat: Authorum placito, simplici assertione profertur. Proinde simplici quoque par pari referendo, repudiari posset negatione. Auctores eius remittendo ad primum Periher: vbi dicit Arist. *Quidquid conuenit affirmare, conuenit & negare.* Maximè quia aliæ priores, vel coetaneæ Religiones, æquè Magnifica, vel magnificentiora inhabitabant claustra: tamen exinde Nomenclaturam *Conuentualium* seu Claustralium, non legitur eis imposuisse vulgus. Sed

vtcunq;

vtcunq; sit, nos Scotum sequentes in Imo Dist: 8. Q. 5. D. dicente. *Ex dictis eorum* (id est Arist: & Auicennæ) *volo rationabilem intellectum accipere quem possum.* Sic pariter nos rationabiliorem, ex præfata acceptione intellectum sumentes, dicimus id potuisse fieri, ex ratione; quia B. P. Franciscus & Fratres eius à principio, habuerunt habitacula paupercula, Casellas ligneas, vili schemate constructas, & paleis coopertas: prout Spec: vitæ cap: 5. & 6. & 7. luculenter recenset. *Modico deinceps elapso interuallo* vt refert Roder: cit: loco. *per spatium viginti annorum, ita fuit Religio per vniuersum Orbem propagata, vt Patres istius Ordinis intelligerent statum primitiuum Recollectorum, non esse satis commodum ad cultum Diuinum, & literarum exercitia, neq; exiguitatem Monasteriorum esse capacem, ad tantorum Fratrum habitationem &c.* ideo ampla ædificia magnificasq; domos ædificare curarunt, & sic vulgus hac nouitate repentina Conuentuum, veluti inopinata Metamorphosi percitum; deniq; Innocentij IV. appellationem Nominis *Conuentualis* tectricem, crebrescere internoscens, & ironiam sæcularium Prælatorum, ægrè a Collegiatis domicilijs, ad Religiosas ædes, hunc titulum transferri sustinentium, perstrepere sentiens: facile Minores poterat ob Magnificos Conuentus vocitare *Conuentuales.* Hoc videtur innuere Roder: Obser: cit: Quæst: Art: 3. inquiens. *Qui vulgò per ironiam vocati sunt Claustrales à Claustris.*

7. Sed eos Conuentus Magnificos, à quibus Min: secundùm sensum cit: Auctorum appellantur *Conuentuales.* Vsitato idiomatis sensu accipere debemus, per Metonymiam nomine contenti continens appellando: quod denominationem appellatiuam deriuat, non nisi ratione contenti, quia contentum propriè est. *Conuentus* Cætus, per coitionem & conuenientiam, plurium personarum collectus, qui sensus *Conuentus* & *Conuentualis* præterquam quòd sit antiquissimus vt ostensum est: in quo sensu dicitur teste Cic: pro Sestio perorante 4. *Et cùm Conuentus ille Capuæ, me vnum patronum adoptauit.* Sed etiam est intentus à lege Canon: supra cit: Art: 24. n. 3. & 4. & coincidit cum sensu ex Auctoritate ttium præfatorum Summorum Pontif: supra explicato.

Art: cit: n. 2.

ARTICVLVS XXVI.

In quo cognomenti Conuentualis sensus fabulosus, auctoritate Marchan: contra auctoritatem Pontificiam intrusus reprobatur: quo admisso etiã suus Ordo Obser: ipsomet designatur.

1. SPonte & intimo studio erranti Marchæ, vt ampliùs exerret, non est necesse subdere calcar: sufficiens est per totam irregularem Regulæ expos: maximè in 1. & 8. caput eius errabundus contra Conu: obseruantiæ affectus, quos vsq; ad nomen odiuit, non solùm Ordinem, Statum, vitam, & professionem criminatus, sed etiam cognomenti *Conuentualis* sensum, auctoritate Pontificia affirmatum inuertit, detorsit, effinxit, & commentus est: Nudo afferto, solo titulorum typho, quâ Commissarius & Diffinitor Gen: sui Ord: Obser: & Ord: primicerij Conu:, vsq; ad cognomentum Jubilatus detractor: Dignum ergo est, vt ipsemet suo receptui, classicum palinodiæ canat: nobis in irrationabili commento, quod temerariè effinxit veritatis stimulo contra quem calcitrat, Marcha: perurgentibus. *Non nocet immisso, subdere calcar equo.* Et imprimis vt cuiuis pateat sensum cognomenti *Conuentualis*, non solùm contra auctoritatem Præfatorum Pontificum, sed etiam contra rationem, & cum inuoluta contradictione figmentasse, & cæco impetu contra Min: Con: malitiam suam euibrasse: antequam ad sensum cognominis *Conuentualis* ab eo confictum deueniamus, pro præludio prius expendamus eius Nænias, quas exponit pag: 66. n. 2. his verbis. *Igitur ab Ecclesijs nomen deriuatum est ad Fratres, vt illi Conuentuales siue Claustrales nuncuparentur: qui in Conuentibus, seu Claustris formatis, collegialiter siue Conuentualiter habitabant.*

2. Quòd non sit nomen Conuentus, vel Conuentualis ab Ecclesijs deriuatum ad Fratres: manifestè euincunt, tum auctoritates trium Summorum Pontificum, tum legis Canonicæ adductæ Art: 24. n. 2. & 3: vt cuiq; præfatas definitiones Conuentus & Con-

& Conuentualis, tum Pontificum tum legis Canonicæ ad inuicem conferenti, euidenter patere poteſt. Eſt etiam prædicta Marchantij illatio, contra rationem Communem, cuius vſus obtinuit media ſpecificari debere à fine, & non ſolùm denominationem, ſed etiam perfectionem media ſortiuntur finis: vt patet in hoc termino analogo ſanum, à quo dieta ſiue Cibus, deambulatio, ſiue medicina, homini dicuntur, & denominantur ſana, denominatione ſui finis, ad quem ordinantur; ſcilicet ſanitatis humanæ; à qua homo dicitur propriè ſanus: & præfata nonniſi extrinſecè, tanquam media ſui finis denominatione denominantur ſana; ſic Eccleſia & Domus dicuntur Conuentuales, quia ordinantur tanquam media ad finem ſuum, ſcilicet ad Conuentus & Congregationes formaliter pro cætibus perſonalibus ſumptas, Eccleſia enim & domus ſunt propter Fratres, non Fratres propter Eccleſiam vel domum, ſed propter Diuina Officia in Eccleſia à Fratribus celebranda, & domus propter Religioſam vitam ducendam; Eccleſia autem & domus vt ſunt Materiales, non ideo debent dici Conuentuales, quia ex lapidibus, lateribus, vel lignis per manus artificum, & opificum dolatis, collineatis, complanatis, conquadratis, innexis, & ſibi cohærentibus, in ſtructuram aſſurrexerunt ædificia conſtructa: nam in huiuſmodi ædibus conſtructis, ſi non conuentualiter ibi ſeruiretur, & viueretur, per Conuentus perſonales, ſed eremiticè dumtaxat: tunc potiùs illæ ædes eremiticæ deberent appellari, non Conuentuales: & ſic nō ab Eccleſijs nomen *Conuentualis* deriuant Fratres Conuentualiter viuentes, ſed potiùs Eccleſiæ & domus materiales dicuntur Conuentuales, à Conuentibus Conuentualiter viuentibus: quod eſt proprium hominibus, ſeu Communitati perſonali: & in hoc ipſo ſibi ipſi contradixit Marcha: dum ab Eccleſijs nomen *Conuentualis*, in Fratres deriuatum aſſeruit, & poſtea non ab Eccleſijs, ſed à Collegiali & Conuentuali vita, ſeu habitatione, eos Conuentuales vocauit, his verbis *Qui in Conuentibus, ſiue Clauſtris formatis, collegialiter ſiue conuentualiter habitabant.* Collegialiter enim & Conuentualiter habitare, afficit perſonas, non ædes materiales, ſi ergo in illis formatis clauſtris dicit Fratres habitaſſe

collegialiter siue conuentualiter, iam à tali collegio seu Conuentuali habitatione denominauit eos *Conuentuales*, per hoc dictum. *Conuentualiter habitabant*: Nam conuentualiter habitare, dicit Conuentuales esse: hoc ergo dicendi modo, dum dixit Conuentuales, nomen deriuasse ab Ecclesijs, falsum dixit, & postea dum eos dixit quia *collegialiter siue conuentualiter habitabant* Conuentuales. Verùm dixit, sed cum manifesta contradictione prolatum; potiùs enim Ecclesiæ à Conuentibus personalibus denominationem sumunt & deriuant, vt statuit Innocentius IV. in Bulla quæ incipit. *Cùm tanquam* inquiens. *vt Ecclesiæ vestræ vbi Conuentus existunt Conuentuales vocentur*. Vbi terminus *Conuentus* tanquam causalis exprimitur, propter quem Ecclesiæ, vbi Conuentus existunt, seu Cœtus personales, Conuentuales vocari debent, nō è contra: quia etiam Ecclesiæ seu Oratoria tum & Monasteria ibi inueniuntur, vbi Eremitæ Deo deseruiunt, & tamen hæc omnia nequaquam Conuentualia sed duntaxat Eremitica denominari possunt.

3. His præludijs præmissis, statuit Petrus Marchan: ex suo cerebro nominis *Conuentualis* Mythologicum sensum, dum licentiâ Poeticâ, contra definitionem præfatorum Pontificum; ipsius loco cit: n. 4. comminiscitur in hæc verba. *Tandem omnibus Reformatis vt dictum est, in vnum Corpus Ordinis ex sanioribus membris constitutum adunatis, sub vno nomine Obseruantiæ Regularis, Conuentualitatis nomen fratribus omnibus Regulam cum Priuilegijs relaxantibus profitentibus remansit, & datum est ita, vt iam Conuentuales, non à vita collegiata, siue à modo viuendi conuentualiter dicantur præcisè, sed translatum est auctoritate Pontificia nomen ad significandos Fratres, qui reditibus viuunt, & Regulam Priuilegijs in suo rigore relaxatam profitentur. Et ita loquuntur passim Bullæ Pontificum, vbi distinguunt Conuentuales ab Obseruantibus.* Ad eundem sensum Wad: Obseru: ad annum 1252. n. 23. Vbi postquam cum Pontificia acceptione, seu sensu, nobiscum conuenisset, in hoc nomine *Conuentualis*, vt supra Art: 25. n. 1. retulimus, hæc addit verba, Rodul: impugnando. *Nescio itaq; quos alios sensus ex hoc verbo Conuentualis, exsugere velit Petrus Rodulph:, ad Congregationem suam PP. Conuentualium aliunde multis*

titulis

titulis illustrem commendandam, sed neq; illum iam sensum, dum de his Patribus fit mentio, ex vulgi vsu retinuit. Vbi per dicta verba innuere voluit nomen *Conuentualis*, non iam retinere sensum consuetum, à nobis hucusq; explicatū, sed aliū ex vulgi vsu retinuit. Sensum forsan eundem, quem expressit cit: Petrus Marchan: sed cultior Hibernus Flandrensi, pingui & incrassata, librum onerare noluit Mineruа, cuius absurdæ luis Marchan: Expos: suam maculosâ fœdauit liturâ, & sicut in cæteris statum Min: Con: concernentibus, factus Mythologus: ita etiam in sensus cognominis Conuentualis fabulosa transformatione: erroneus expositor effectus. Non expressit Wad: alium sensum, quem nomen *Conuentualis ex vsu vulgi retinuit.* Sed lectoris menti subaudiendum reliquit; qui si idem est cum sensu Marchantij, eodem argumento veniet feriendus.

4. Et quòd Nomen *Conuentualis* non significat Fratres Min:, Regulam Priuilegijs in suo rigore relaxatam profitentes, & redditibus viuentes, sufficeret nobis supra Art:24. n. 2. adducta trium Summorum Pontificum auctoritas, qui oppositum huius nominis *Conuentualis* sensum, huic Mythologico à March: confecto, pro nobis Min: Con: determinarunt, atq; definierunt. Sed quia Marchan: sicut nouus Priscianus, noua grammata nominis *Conuentualis.* in sua Expos: Lit: Reg. vulgauit, & peregrinam extrauagantem de verb. sig. contra auctoritatem Pontificiam edidit, conuenit vt fabulosum eius, huius nominis *Conuentualis* sensum, reali paulò amplius subuertamus documento. Et imprimis falsum assertum inducit inquiens. *Conuentuales non à vita collegiata, siue à modo viuendi conuentualiter dicantur præcisè, sed translatum est auctoritate Pontificia Nomen ad significandos Fratres, qui redditibus viuunt, & Regulam Priuilegijs in suo rigore relaxatam profitentur.* Hoc assertum cumulatâ alia falsitate conficta probat inquiens. *Et ita loquuntur passim Bullæ Pontificum, vbi distinguunt Conuentuales ab Obseruantibus.* Forsan existimauit Marcha: geminatam falsitatem vni posse æquipollere veritati? Sed augere falsum, non est probare vel demonstrare verum, ostendat hanc auctoritatem Pontificum auferentem sensum proprium huius nominis *Conuentualis* à nobis

explicatum, & transferentem in alium ſenſum ad ſignificandos Fratres Min: redditibus viuentes, & Priuilegijs Regulam relaxatam profitentes? Adducat genuina Bullarum verba? nominet Pontifices, originalem hunc ſenſum in alium à March: adulteratum conuertentes, & transferentes: vt nos hucusq; præſtitimus, demonſtrantes Pontifices, eundem primæuum ſenſum verbatim aſtruentes & retinentes: vel ſi ex vſu vulgi, vt Wad: in diuerſum vult eſſe conuerſū, neq; eundem retentum probet. Hinc vt iſtiusmodi vulgariſtis efflictī credam⁹, vnus qui hæc prior figmentauit, oſtendat primùm nobis, an ita ſit perſona vulgaris, ſicut homo Platonis? an in eius ſenſu communi, vniuerſi vulgi, exercitus, vel ſignatus, reluceſcat vſus? maximè quia ſcinditur incertum in contraria ſtudia vulgus: neq; differentiam definitionis Pontificiæ & Marchantinæ, ſenſus nominis *Conuentualis* diſcernere ſoleat. Hinc vnus fronti, alter occipiti, ocream adaptat pro ſenſu Conuent: vnus Pontificis, alter vulgi auctoritatem fingens.

5. Et quòd nulla auctoritas Pontificia, ſenſum adulterinum à March: excogitatum tueatur, oſtendit Leo X. in Bulla quæ incipit. *Ite & vos in vineam.* hæc præciſa dicens. *Ceterùm, vt diſſenſionum, ſcandalorum & partialitatum fomes penitùs ab ipſo Ordine tollatur, præcipimus firmiter & mandamus ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ, à qua nullus præterquam in mortis articulo, niſi à nobis aut à Sede Apoſtolica poſſit abſolui, nè aliquis Frater Ordinis S. Franciſci appellet alium fratrem eiusdem Ordinis malitiosè, irriſoriè ſeu improperiosè Priuilegiatum &c. Sed omnes fratres ipſius Ordinis Fratres Minores, vt præfertur ſeu S. Franciſci à ſeipſis & omnibus alijs nominentur.* Si autem Nomen *Conuentualis* nouum contineret ſenſum ſignificandi Fratrem Min: redditibus viuentem, & priuilegijs Regulam relaxatam profitentem, iam *Conuentualis* ſignificatiuè appellaretur *malitiosè, irriſoriè, & improperiosè Priuilegiatus*, quæ transnominatio tam ſeuera interminatione Pontificia prohibetur; ſed vt à ſe ipſis & omnibus (etiam vniuerſo vulgo) *Fratres Min: S. Franciſci* vel Min: Conuentuales, id eſt ad vnam Regulam, vnamq; vitæ communitatem, nullam reformationem & ſciſſuram molientem, vniformem animum habentes nominentur, & non

iuxta

iuxta Priuilegia viuentes *Priuilegiati* appellentur. Neq; facessit quidquam, quod in cit: Bulla Leo X. dicat. *Conuentuales verò secundùm Priuilegia viuentes &c.* quia hoc dicto non instituit Pontifex alium sensum nominis *Conuentualis*, neq; transtulit primæuum in hunc adulterum, à Marchan: figmentatum, pag: 62. cùm nullibi constituerit, vt sic cum hoc adiuncto Conuentuales secundùm Priuilegia viuentes nominentur, sed oppositum præceperit, prohibens nè *priuilegiati* appellentur: quod fuit prohiberi fabulosum March: sensum, nè redditibus viuentes, & Priuilegijs Regulam relaxatam profitentes cognominarentur. Hoc autem quod addidit Pontifex. *Conuentuales secundùm Priuilegia viuentes.* iustum fuit quia verum: nam Conuentuales secundùm Priuilegia viuunt, sed vt Nomen *Conuentualis*, hoc significet, & hunc sensum retineat, de primæuo translatum: fabulosissimum est, cùm Pontifex eum se transtulisse, & nouum instituisse nullibi asserat: certùm autem est, significationem verborum nullum transferre, vel immutare posse, præter Pontificem, quia à propria verborum signif: non est recedendum, vt dicitur cap: finali *de verb: signif.* Accedit Ecclesia Orthodoxa, in præsenti potest dici, quòd retineat bona stabilia, & annuos redditus, etiam in particulari; tamen nullus sanæ mentis potest asserere, sensum nominis Ecclesiæ præsentis, esse translatum, & transmutatum, atq; alium, à sensu primitiuæ Ecclesiæ: vbi erat cor vnum & anima vna, & omnia fidelibus erant communia: atq; qui nominaret Ecclesiam præsentem, translato sensu significaret fideles, redditibus & bonis stabilibus in particulari viuentes, ac per sibi indulta Priuilegia, statum relaxatum profitentes, proinde alium à primitiua Ecclesia statum innouatum complectentes appellaret: quod est absurdum; quia cum hac varietate accidentali, substantialem inuariatum, præsens Ecclesia conseruat statum, à Christo institutum, & cum hac accidentali mutatione conseruatum, non minùs quàm primitiua. Sic à pari discurrendum est de cognomine Conuentualium, ad obstruendum os loquentium iniqua.

6. Deinde Min: Con: hoc titulo *Conuentualium* fuerunt insigniti ab Innocentio IV. anno 1250, quando adhuc nullum Priuilegi-

uilegium expressum, paupertatem Regulæ in Communi temperans, inueniebatur concessum, sed dumtaxat rigorosos paupertatis vsus modificans, vt diximus Art: 5. n. 5. Quare ab eo tempore cognominati Conuentuales, eundem sensum Nominis *Conuentualium* retinent, quo fuerunt ab initio insigniti, non à Priuilegijs Regulam relaxantibus: quæ licet postea ab Apostolica Sede obtinuerunt, per hæc tamen sensum sui cognominis non adulterarunt: neq; commutauerunt originem suam sicut illi, de quibus Psal: 105. *Mutauerunt gloriam suam, in similitudinem vituli comedentis fænum.* quia nullus sensum semel à Pontificibus institutum, potest immutare, addere, vel minuere, præter ipsum Summum Pontif: vt docet August: de Ancona libr: de potest: Papæ Q. 67. Art:1. in Firm: 3. Ord: part: 4. fol: 155. relatus inquiens. *Interpretatio seu declaratio Doctorum est per modum disputationis; perquirendo sanum intellectum ipsorum* (puta à Papa statutorum) *saluis verbis eorum, sine additione & diminutione: sed interpretatio Papæ est per modum determinationis, eò quòd sua determinatio ligat omnes, ad tenendum ipsam nõ autem interpretatio Magistrorum.* (in proposito Marchantij, & aliorum sensum Nominis Conuentualium adulterantium) *similiter interpretatio seu declaratio Papæ, potest esse cum additione, & diminutione sensus, vel sententiæ: sed aliorum minimè.* Hæc ille. Constat namq; Summos Pontifices, per Priuilegia Apostolica Conuentualibus concessa, Regulam non transubstantiasse, neq; conuertisse Substantiam in vmbram, neq; deprauasse, non dissipasse, non relaxasse, non dissoluisse, sed rigorem dumtaxat in modificantibus temperasse, mitigasse, & lenijsse: Priuilegia enim Pontificia nullam Regulam Religiosam semel approbatam deprauant, dissoluunt, relaxant, vel dissipant in substantia, quia nefas est Pontifices Summos esse deprauatores, corruptores, dissolutores, dissipatores, seu relaxatores, cuiuscunq; Regulæ ab Ecclesia approbatæ: cũ ipsi sint totius rectitudinis regula inobliquabilis, in scrinio pectoris sui omnis rectitudinis, & æquitatis leges circumferentes. Proinde tantùm per Priuilegia Apostolica, Regulas Religiosorum in accidentalibus temperant, mitigant, & modificant, sed sensum primitiuum cognominis Religiosorum, ob eandem modificationem,

nem, non immutant nec transferunt præsertim in essentialibus.

7 Quod vt ampliùs intelligatur, notanda est illa maxima quâ Ordo Primicerius Min: Con: ab Ord: filiali Obseru: in Obseruantia eiusdem Regulæ differt atq; distinguitur, eamq; esse paupertatem in Communi, quam simul cum paupertate in particulari Ordo Obseru: seruare obligatur. Ordo autem Min: Con: tantùm ad paupertatem in particulari, cum alijs Regularibus Originarijs, manet obligatus. Clarum verò est paupertatem in Communi, non esse de essentia voti Regularis paupertatis, sed duntaxat paupertatem in particulari, & paupertatem in Communi, voto paupertatis esse accidentariam: vt communis tenet sententia, quam exprimit cum Nauar. Roderic: Obseru: Tom: 3. QQ. Reg: Q. 29. Art: 14. & nos dicimus infra Art: 37. n. 8. alioquin soli ipsi Obseru: essent essentialiter & adæquatè Religiosi: non verò cæteri Regulares, quibus paupertas in communi tanquam pars essentialis, voti paupertatis deficeret: & sic posset contra alios Regulares, vt Publicanos quilibet Obseru: illud ex Euangelio sibi vsurpare. *Non sum sicut cæteri.* quod est falsum & contra determinationem Concil: Trid: de Reform: Reg: Sess: 25. cap. 8. Proinde si Ordo Min: Con: cum alijs Regularibus, redditibus viuit, & Priuilegijs Apostolicis votum paupertatis, in accidentaliter modificantibus, temperatum seruat, adhuc tamen eandam substantialem Regulam, & votum paupertatis cum alijs Regularibus substantialiter seruat: nonnisi in accidentalibus votum paupertatis modificantibus differens, vt rectè aduertit Gratianus Carmelita Discalceatus, lib: de discipl. Reg: docens nullam esse differentiam in essentialibus, inter Regulam Reformatorum sui Ordinis, & illam quæ obseruatur à Carmelitis non Reformatis, quæ est ab Eugenio mitigata; Idem dicendum de Regula D. Franc: respectu Obseruantinorum, & Conuen:, qui cum ipsis in substantialibus conueniunt, & tantùm accidentaliter differunt: ac proinde per hanc accidentalitatem, substantiam sensus huius Cognominis *Conuentualis* ab Innocentio IV. illis impositi, non perdunt, nec amittunt; nisi ex erroneo affectu, apud falsa fingentem, & vana obseruantem Marchantium.

 8. Cuius

8. Cuius sensum imaginarium contra significationem originariam cognominis *Conuentualis* sine ratione effictum, reprobat Illustris Ordo PP. Prædicat: qui cùm in eodem rigore paupertatis, etiam in accidentaliter modificantibus fuerit fundatus, sicut Ordo Min: vt fusè ostendit S. Antoninus tit: 23. cap: 4. §. 3. Castillo, & alij Dominicani à Wad: ad annum 1324. n. 10. cit: tum S. Bonau: tract: de paupert. Christi art: 3, & primum Priuilegium dispensatiuum Modificantium, votum paupertatis in Communi, pro vtroq; Ordine fuit simul editum, & ad vtrumq; Ord: Prædic: & Min: simul directum, à Clem: IV. anno 1265. per Bullam quæ incipit. *Obtentu Diuini.* Vt refert Flauius Cherub: in Compend: Bull: ad eandem Bullam, & tamen cognomentum primitiuum Ord: Prædic: ob parem & eandem cum primitiuis Min: Con: rationem non habet sensum immutatum, & variatum; Neq; valet dicere sensum primæuum nomis Prædic: exinde esse translatum ad significandos Fratres Prædic: redditibus viuentes, & Priuilegijs Regulam relaxatam profitentes, si enim vt ait Marcha: Nomen *Conuentualium* significat Fratres Min: Priuilegijs Regulam relaxatam profitentes, iam cum vtraq; Regula vtriusq; Ord: tàm Prædic: quàm Min: in ijsdem paupertatem modificantibus est tẽperata: vtriusq; Ord: cognomentum pariter immutatum, variatum, debet retinere sensum, vel saltem per eandem rationem identicè, tàm Prædic: quàm Min: debebunt vocari Fratres Conuentuales, quod tamen cuiquam videtur esse ridiculum: cùm soli Minores primitiui, hoc titulo potiantur, licet non soli Priuilegijs votum paupertatis modificantibus vtantur: sic & de alijs Regularibus discurrendum in modificantibus paupertatis à Concil: Trid: sess: 25. cap: 3. dispensatis: nam vt dicitur l. illud ff. de leg: *Vbi est eadem ratio, ibi est eadem legis dispositio.*

9. Imò propter hanc rationem Ordo PP. Obseru: vulgò in Polonia Bernardinorum nuncupatorum, deberet dici ob identitatem rationis Ordo Min: Con: quia & apud ipsos multa Priuilegia rigorem Regulæ in paupertate mitigantia, & puritatem Regulæ relaxantia inueniuntur, quorum plura ipsemet testis practicus Roderic: Obseru: refert in sua collectione Bullarum fol: 408.

in hæc

in hæc verba inquiens n. 16. *Anno 1566. & die 6. Maij, idem Pontifex Pius V. ad instantiam dicti Patris Ioannis de Aquilera Commissarij Romani, prout ipse in literis suo sigillo, & nomine munitis est testificatus, concessit viuæ vocis oraculo, vt omnes tutâ conscientiâ, vti concessionibus quæ sequuntur prout ego vidi in quibusdam literis propria manu scriptis, nostro Rñdmo Patri Generali Francisco à Sosa.* & inter ea hæc reperiuntur, quæ referimus infra Art:40. n.6. & sunt Priuilegia præcisè puritatem & rigorem Regulæ temperantia, in paupertate: seu vt Marchantino termino vtar relaxantia, & dispensantia. Neq; valet dicere quòd Ordo Obseru: seu Bernardinorum, nunquam admisit relaxationes, & Priuilegia dispensatiua, eò quia in eorum hodiernis Constitutionibus in cap: IV. Reg: §. 1. hæc interponatur declaratio inquiens. *Declaramus iuxta multorum Generalium Comitiorum sententiam, in nullo præcepto Regulæ hactenùs dispensatum esse, nec Ordinem vllam vnquam dispensationem admisisse vel admittere. Hinc iuxta Regulam & Declarationes per Dominos Nicolaum III. & Clem: V. factas, quas solas Ordo noster recepit & recipit.* Sed scriptum chartæ, sicut specie & genere differt à facto vitæ: ita vnum pro alio supponi & confundi non debet: maximè cùm illa Priuilegia à Roderico recensita, non motu proprio Pontificis sed ad supplicationem Obseruantinorum concessa fuêre: cum Nicolai III. & Clementis V. determinationibus pugnantia, contra Declarationem præfatam admissa: ergo non nunquam Ordo Obseru: Priuilegia admisit.

10. Sed gratis suppositâ puritate Obseru: in Ord: Obser: quæro vnde ortum duxerint nouæ reformationes sub Clem: VII, ab eodem Ord: Obseru: prodeuntes: vt Capucinorum, & Recollectorum Discalceatorum, qui à strictiori Obseru: nuncupantur? quæ reuera inanes & superfluæ fuissent, si pura Regulæ Obseruantia in Ord: Obseru: extitisset. Hac enim potissimum de causa Reformationes, ab aliquo Ordine pullulant, quia in pura Obseruantia refriguit, & relaxatus est: Reformati namq; consuetè ideò à primario Ordine recedunt, vt seorsim secundùm puram Obseruantiam viuere valeant. Stante enim purâ Regulæ Obseruantiâ, à Leone X. iuxta literam Reg: statuta & ordinata, & à Fratribus de

de Obſeru: Summo Pontifici promiſſa, cum interdicto nouarum Reformationum: Sanè dum nouæ emergunt, relaxationem manifeſtè ſupponunt, & arguunt alienationem, ab illa pura Regulæ Obſeruantia, quam Reformati priſtino feruori reſtituere intendunt, & anhelant. Reformatio ſiquidem eſt reductio alicuius ſtatus ad illam priſtinam formam, quæ priùs obſeruabatur, & quæ conſuetudine, relaxatione, aut indulto, ſeu priuilegio laxata, aut mutata eſt, vbi autem pura Regulæ Obſeruantia viget, & perfectus viuendi modus, nulla reformatio introduci poteſt. Quocirca neceſſario inferendum eſt; aut reformatio de nouo emergens eſt ſuperflua: aut Obſeruantia in Ord: Obſeru: à quo emanauit relaxata: & conſequenter Ordo Obſer: ob dictam per Priuilegia relaxationem, deberet deſignari, & nuncupari, Nomine *Conuentualium:* vti indigitatis Priuilegijs, Regulam relaxatam profitens.

II. Hanc eandem relaxationem, ipſe Marcha: palam fatetur in ſua Expos: Lit: Reg: (licet eius cauſam in Conuentuales contra rationem ſuæ peccabilitatis refundat pag: 543. conſueto, abſq; probatione figmentato ſomnio innixus.) Sic contra Reformatos ſuos imprimis murmurat pag: 546. inquiens. *Sub Clemente VII. cæpiſſe idem ferè inſtitutum, in Italia ſub nomine Reformatorum, idq́; etſi feliciter ſibi, non tamen adeò vtiliter Ordini. Hi enim pro ſua quiete & tranquillitate, ſe ſeparauerunt in Cuſtodias, & à Communi Regimine Prouincialium ſe ſubduxerunt: vnde factum eſt vt Ordinis Communis Reformationi, vix deſeruierint, contenti paucis veteribus Conuentibus, cum ijs quos nouiter ædificarunt. Quorum Reformationem ſub ijsdem Priuilegijs, & exemptionibus aſſumpſerunt, Fratres Recollecti Galliarum: relinquentes Prouincias & Conuentus Obſeruantiæ, ſuo curſui abſq; reformatione.* Quod idem eſt, ac cum relaxatione relinquentes. Quo dicendi modo, etiam ſuæ Obſeruantiæ fronti talitrum infringit, & tam Conuentualibus quàm ſuis Reformatis obliquus eſt, & anomalus: ac reuera contra ſe ipſum, fatetur Nomen *Conuentualis* ſignificare, Fratres Regulam Priuilegijs relaxatam profitentes, cùm & ipſe in ſuo Ord: Obſeru: Regulam relaxatam fateatur, quam abſq; reformatione reformati, in Ord: Obſer: reliquerunt, ſuo curſui non reformato, & conſequenter nomine

Con-

Conuentualium Regulam relaxatam habentium, nuncupando. Hoc tamen non obstante, se & suum Ord: non appellauit Conuentualem; sed de Obser: sicq; dum se ipsum à sensu Pontificio cognominis *Conuentualium*, à Conuentualibus, à suis Reformatis; insuper à suo Ord: Obseru: & à se ipso alienum & contradictorium præstat; reliquum est vt nullius Ordinis dicendus remaneat, & nomen *Conuentualis* in sensu præfatorum Pontificum Innocentij IV. Pij IV. & Vrbani VIII. illæsum permaneat: atq; de sensu insensato Marchantino, hoc pronuntiatum inconcussum existat. *Conueniet nulli, qui secum dissidet ipse.*

ARTICVLVS XXVII.

A quo & quare primitiuus Ordo Min: adiunctitiam Nomenclaturam Conuentualis sumpsit. Vbi sensus agnominis Conuentualis, secundùm Innocentij IV. Diploma explicatur.

1. FRanciscana Religio Apostolicum *Conuentualium* ab eiusdē nominis Pontifice sortita est cognomentum, à cuius nominis, primùm tàm Regulæ quàm cognominis Minorum, per confirmationem sumpsit exordium, scilicet ab Innocentio III. mansit confirmata, ab Innocen: IV. *Conuentualium* Nomine est cognominata. Vel ipso eodem nomine Pontificio indigitante, Franciscanam Religionem; Regulam & Nomen Minorum Innocentio III. confirmante, & agnomine *Conuentualium* Innocentio IV. intitulante, existere eandem, vnam & indiuisam, totamq; in omnibus præfatis esse Innocentianam. Huius autem Apostolici *Conuentualium* agnominis, sub Innocen: IV. enati, præcessit figura B. P. Francisci, statim natiuitatem sequens, vt quasi in ipso Natali Minorum horoscopio, Minores fuerint præfigurati *Conuentuales*, dum natus infans. B. Pater à S. Bonau: dicitur. *Primùm vocatus Ioannes à Matre, dehinc Franciscus à Patre, vocationis quidem paternæ vocabulum tenuit, sed & rem Materni Nominis non reliquit.*

quit. quod in ipsis Min: Con: S. Francisci primogenitis completum, & verificatum vsq; in hodiernum diem, ad amussim cernimus: dum ipsorum primitiuus Ordo primùm vocationis Maternæ, id est Religionis Seraphicæ cognomento Minorum appellatus, postmodum à Summo Patrum Patre Innocentio IV. titulo *Conuentualium* anno 1250. existat condecoratus; ita vt vocationis quidem Paternæ, scilicet Pontificiæ, *Conuentualium* nomen in præsenti teneat, sed & rem Materni nominis, scilicet Religionis Seraphicæ Minorum non relinquat.

2. Non alia autem de causa hoc Apostolico *Conuentualium* cognomento Primitiui Minores sunt insigniti, nisi vt possent vti Priuilegijs, & gratijs, Ecclesiarum Conuentualium aut Collegiatarum, & aliarum honorabilium Congregationum. In primordijs enim exorientis Mendicantium instituti, multas molestias & grauamina ab Ecclesiarum Prælatis patiebantur Ordines Mendicantes, contra quorum impetitiones, primi coram Summo Pontifice comparuêre Minores: adiutorium & suppetias oppressis, à suprema Sede ferendas suppliciter mendicantes. Molestiæ autem & grauamina, quæ Prælati sæculares recenter natis Mendicantibus inferebant, hæc erant. Eucharistiam in Ecclesijs Fratrum seruare non permittebant; in ijsdem fratres defunctos humare prohibebant, nec Campanam nec Cæmeteria habere sinebant. Ad processiones Parochiales leui ex causa eos adigebant. Excommunicationis sententiã in Benefactores ipsorum fulminabant. De hortorum fructibus decimas, de habitaculis Fratrum redditus & census extorquebant: quæ grauamina & alia plura in corpore Iuris de excessibus Prælat: cap: *Nimis iniqua.* & cap: *Nimis praua.* recensentur. Ideo autem Prælati sæculares nouellos mendicantes, his grauaminibus onerabant, quia putabant congregationes eorum, tum Ecclesias & loca fuisse priuata, nec potuisse gaudere Priuilegijs & gratijs congregationum, locorum & Ecclesiarum collegiatarum, siue Conuentualium; quæ recensitis molestijs priuabantur, & oppositis gratijs ac Priuilegijs potiebantur.

3. Et licet per Gregorium IX. huiusmodi infestæ diuexatio-

nes,

nes, locis cit: fuerint prohibitæ, quia tamen congregationes & loca Mendicantium, gratijs & Priuilegijs aliarum honorabilium Congregationum, & locorum Collegiatorum seu Conuentualium, nominatim non fuerunt insignita, & communicatione tam Priuilegiorum, quàm nominis Collegialis seu Conuentualis, magistraliter & energicè laureata: primi omnium Minores Summo Pontifici Innocentio IV. anno 1250. ab obitu S. P. 24. vt eorum Religio & loca: adinstar aliarum honorabilium Congregationum, & locorum collegiatorum, seu Conuentualium, non tantùm gratijs & Priuilegijs, sed etiam nominetenùs, specialiter & expresse insignirentur, humiliter supplicarûnt: forsan videntes post mortem Greg: IX, præfatum modum repullulascere quam gratiam illico obtinuerunt: impertiente eis Pontifice Innocentio IV. gratiosum Diploma: in hæc verba. *Cùm tanquam veri & fideles Christi Ministri, elegeritis vobis in domo Domini mansiones, dignum esse credimus, vt habitacula vestra, inter alias honorabiles Congregationes fidelium statuamus. Hinc est igitur quòd vestris supplicationibus inclinati, præsentium auctoritate decernimus, vt Ecclesiæ vestræ omnes vbi Conuentus existunt* Conuentuales *vocentur: Concedentes vobis nihilominùs licentiam, vt in ipsis Ecclesiæ ad opus Fratrum vestrorum habere liberè cæmiteria valeatis. Dat: Lugduny Non: April: Pontif: Nostri anno 7.*

4. Ex hoc Diplomate Innocentiano, à quo Min: Con: suum primæuum *Conuentualium* sortiuntur agnomen, aduertendum notabile venit. Pontificem in narratione introductoria istius Diplomatis, præmittere causam suæ determinationis fauorabilis, mox in eo statuendæ, & promulgandæ: quam causam præmittit per has particulas, *Cùm tanquam.* Vnam causalem, alteram reduplicatiuam, quæ designant Fratres Min:, veros & fideles Ministros, eligentes sibi in Domo Dñi mansiones: ex qua causa sic reduplicata; dignum credidit & censuit Pontifex, Fratrum supplicationibus inclinatus, vt hæ mansiones seu habitacula Fratrum, inter alias honorabiles congregationes fidelium statuerentur, quod idem est, vt hæ mansiones & habitacula, quæ sibi in domo Dñi elegerunt Fratres: ijsdem gratijs & Priuilegijs gauderent &

deco-

decorarentur, quibus gaudent & decorantur inter fideles, aliarum honorabilium Congregationum mansiones, & habitacula. Hæc in narratiua. In Corpore autem determinationis eodem Diplomate latæ, non mansiones neq; habitacula, inter alias honorabiles congregationes statuit, vt dignum in Præloquio credens, narrauit Pontifex, sed statuit & decreuit, vt Ecclesiæ Minorum omnes vbi Conuentus existunt *Conuentuales* vocentur.

5. Quare percontari libet, cur habitacula ex condigno antea narrantur, inter honorabiles fidelium congregationes referenda, & statuenda: & postea non habitacula, sed Ecclesiæ inter illas referuntur, ac statuuntur, & agnomine *Conuentuali*, honorabilibus congregationibus appropriato, insigniuntur, ac decorantur? Nō enim Ecclesiæ sunt Mansiones & habitacula Fratrum, cùm in Ecclesijs Fratres ordinariè non maneant neq; habitent, nisi certis temporibus in Officio Diuino Dn̄o famulantes: cæterùm ibi ordinariè non degunt, sed in mansionibus seu domibus, & habitaculis suis: vbi cibum & potum sumunt, dormiunt, conuiuunt, & vitæ humanæ conseruandæ, compendia tenent: & sic eis Ecclesiæ pro Aris, & habitacula pro focis seruire noscuntur. Cur ergo loco habitaculorum, quæ sunt diuersa ab Ecclesijs, Pontifex Ecclesias priuilegiauit, & nomine honorabili Congregationi Conuentuali appropriato insigniuit?

6. Ad hoc resoluendum, sciendum est Habitaculum Mansionem, Conuentum, Collegium & Ecclesiam dupliciter sumi: Scilicet Materialiter, & Formaliter, seu æditer, & personaliter, Materialiter seu æditer sumuntur prædicta, pro ipsis Ædibus, ex Materia saxorum, laterum, lignorumuè constructa, siue Sacro cultui dicata, siue humano commodo deputata; Formaliter seu personaliter sumuntur pro hominibus seu personis, quæ in huiusmodi materialibus ædibus degunt, seu habitant, vel in extructis Ecclesijs Diuina persoluunt. Habitaculum, Mansio, Conuentus, Collegium, Ecclesia, formaliter personaliter sumuntur, ex vsu Rhetorico, per tropicam locutionem Metonymiæ: vt docent Rhetores, dum continens accipitur pro contento, seu quod idem est, dum continens nominatur, & contentum per illud significa-

tur &

tur & designatur, vt fit in his dictionibus, Theatra plaudunt, Domus personant, Templa iubilant, Prata mugiunt, in quibus continens nominatur, & contentum accipitur, seu significatur.

7. Et hic vsus Metonymiæ frequens est in Can. SS., vbi habitaculum, Conuentus, Mansio, Collegium, Domus & Ecclesia materialiter dicta, pro personis ipsis, seu Congregatione personali accipiuntur, vt patet ex cap: *Edoceri. De rescriptis.* & in Clem: *De rebus Ecclesiæ non alienandis.* cap. *Monasteriorum.* Vbi dicitur. *Nè Religiosus Monasteria* &c. *Iura, redditus, aut possessiones alicui* &c. *quouis modo concedat, nisi necessitas aut vtilitas Monasterij* &c. *hoc exposcat Conuentus sui, aut si Conuentum non habeat, Prælati assensu ad hoc nihilominùs accedente.* Vbi nomine *Conuentus* assensum præbentis, congregatio personalis Religiosorum significatur, cùm materialis Conuentus consensum præstare nequeat: & maximè ex hoc agnoscitur, quod additur, aut si *Conuentum* non habeat, Prælati proprij assensu accedente, ex quo constat Conuentum non sumi materialiter pro domo seu habitaculo materiali, cùm eo non possit Religiosus carere, cuius iura & bona nè alienentur, eidem Religioso interdicitur. Idem habetur in Canon. *De Iure Patronatus* cap. *Nobis fuit.* vbi dicitur *Cæterùm in Conuentuali Ecclesiæ, non electioni Prælati faciendæ sed iam factæ* &c. quo loco nomine Conuentualis Ecclesiæ electionem sui Prælati facientis, Congregatio personalis significatur, nam Ecclesia materialis electionis Prælati non est capax. Vnde Glossa ad cap: cit: inquit. *Conuentualis Ecclesia dicitur, ex quo duo vel tres in Collegio sunt.* & Bartholus Baldus in Rubrica. *De Sacrosancta Ecclesia* dicit. *Ecclesia & Collegium idem sunt.* Collegium autem idem est quod Conuentus, iuxta Glossam cit: dicentem. *Ex quo duo vel tres in Collegio sunt.* Quo numero Cõuentum faciunt in pluralitate personali etiam disiunctiuè, nam *pluralis locutio duorum numero est contenta.* ex 6. *De Regulis Iuris.*

8. Est etiam frequens vsus huius tropicæ locutionis per Metonymiam, in Scripturalibus seu Theologicis: siue dum accipitur continens pro contento, vt illud Matth: 23. *Hierusalem quæ occidis Prophetas.* Vbi habitacula Hierusalem accipiuntur pro habitatoribus seu personis: siue dum causa accipitur pro effectu, vt

illud Thesal: cap: 5. *Spiritum nolite extinguere.* Vbi spiritum accipit pro effectu, scilicet pro donis eius. Siue dum effectus ponitur loco causæ, vt illud 2. ad Corin: cap: 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit peccatum.* Hoc vltimum *peccatum* ponitur pro causa, scilicet pro oblatione seu victima, quæ est causa expiationis peccati: vt satis feliciter & rotundè explicat in suo Enchiridion Rhetorico de Metonymia pag: 155. Felix Rotundus à Monte Leone: Theologus publicus Patauinus, & meus in Theologicis amicissimus Condiscipulus.

9. In hoc igitur sensu formali seu personali, in Canon: & Scripturis vsitatissimo, Innocen: IV. per Metonymiam Ecclesias appellat Conuent: , dum decernit vt Minorum Ecclesiæ omnes. *Vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur.* Et dum præmittit Mansiones à Minoribus in Domo Dñi electas, prout sunt habitacula eorum, inter alias honorabiles congregationes fidelium statuere: ipsas FF. congregationes, in dictis habitaculis manentes, & recensitis Ecclesijs seruientes, tanquam principale significatum, respexit primò & per se, & nonnisi secundariò, & per accidens, tanquam minus principale Ecclesias, & habitacula, materialiter sumpta connotauit. Ob hanc causam habitacula præmisit & Ecclesias priuilegiauit: quia ipsas Congregationes tàm in habitaculis manentes, quàm Ecclesijs seruientes, formaliter & personaliter significatas easdem esse manifestè aduertit: proinde rationabiliter habitacula narrauit, & in Ecclesijs vti in digniori conclusit, vt simul ostenderet vtrumq; materialiter sumptum, tàm Ecclesiam quàm habitaculum, tanquam inanimata: non nisi ratione formalis & personalis significati: Priuilegij, & gratiæ, esse capacia & habilia. Imò tàm Ecclesia quàm habitaculum pro materiali sumpta, vt ædes sunt, ipsius etiam denominationis expertia essent, reciso formali & personali significato: Scilicet Conuentu, & Collegio personali, à quibus Ecclesiæ & habitacula materialia, denominantur Conuentualia vel Collegiata. Quod idem Pontifex hac adiectione *vbi Conuentus existunt* expressit. Nullibi enim magis intrinsecè Conuentus existunt, quàm in ipsa congregatione personali, intrinsecè Conuentum impor-

importante: & intrinſecam denominationem Conuentus retinente vt Art: 24. oſtendimus.

10. Vltra prædictas rationes ampliùs patet hic ſenſus formalis perſonalis, nomine habitaculi, Manſionis, Conuentus, & Ecclesiæ ab Innocentio IV. intentus: eò vel maximè, quia Pontifex inter alias honorabiles congregationes, habitacula Minorum ſtatuere, præfato Diplomate promiſit, quâ ratione, per habitacula congregationes Minorum, formaliter & perſonaliter acceptas intellexit, & has inter alias honorabiles congregationes aggregare ſtatuit, & in Priuilegijs coæquare decreuit; vti easdem aggregauit hoc ipſo, dum eas Eccleſias Conuentuales. *Vbi Conuentus existunt* appellauit. Quod non poteſt verificari de materialibus ædibus Eccleſiæ, quia hæ ad alias nequeunt referri honorabiles Congregationes. Aliæ namq; dicuntur Congregationes, in Ordine quoq; ad alias Congregationes: à quibus diſtinguuntur: quæ non poſſent dici aliæ, in ratione Congregationis, reſpectu Habitaculorum, Domorum, & Eccleſiarum materialium, niſi etiam illæ ad quas referuntur correlatiuè eſſent itidem congregationes diſtinctæ: quod nullo modo applicari poteſt ædibus materialibus, ſeu habitaculis, ſed dumtaxat Conuentibus (vbi exiſtunt) formaliter ſumptis.

11. Deinde per prædictum Diploma concedebantur Minoribus gratiæ, & Priuilegia, quæ alijs honorabilibus congregationibus, iam tunc erant conceſſa: vt Euchariſtiam in Eccleſijs ſeruare, Campanas habere, mortuos humare, à cenſibus & redditibus Parochialibus Eccleſijs contribuendis, immunes & exemptos eſſe; ſed huiusmodi Priuilegiorum, Eccleſiæ, & habitacula materialiter ſumpta, incapacia ſunt & inhabilia, non enim poſſunt Euchariſtiam ſeruare, & adminiſtrare, nec poſſunt cum iure campanam habere: cùm iuris ciuilis tanquam inanimata ſint expertia, & ideò non poſſunt campanam pulſare, mortuos humare, Sacramenta adminiſtrare, quæ ſolùm perſonæ ad id deſtinatæ exequi poſſunt. Ex quo clarum eſt prædicta Priuilegia Eccleſijs. *Vbi Conuentus exiſtunt* conceſſa ipſis congregationibus concedi, ſeu Eccleſijs perſonaliter ſumptis. Vnde hæc verba Pontificia. *Vt Eccle-*

Ecclesiæ vestræ vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur. faciunt hunc sensum. Vt congregationes vestræ in quibus Conuentus intrinsecè existunt & subsistunt, Conuentuales vocentur, & Ecclesiæ vestræ, vel Conuentus materiales, vbi Congregationes commorantur, extrinsecè Conuentuales vocentur. Habitacula enim, & Ecclesiæ nonnisi propter congregationes, & Conuentus personales Conuentuales vocantur, & localibus Priuilegijs gaudent: propter quod enim vnum quodq; est tale, & illud magis.

12. Tanto exarserant amore erga hoc suum *Conuentualium* agnomen a Summo Pontifice sibi fauorabiliter indultum, Primitiui ab exordio Ordinis, Minores Con:, vt iteratâ vice idem superiùs relatum Diploma, per eundem Innocentium IV. ad petitionem eorundem opus erat renouari, vt refert Wad: ad annum 1252. n. 23. qui idipsum Priuilegium refert datum in alio loco, & tempore nimirum Perusij 12. Kal: Septembr. Pontificatus anno X. Qui loco cit: dicit: *Hoc anno renouauit Pontifex Priuilegium aliud iam ante concessum Lugduni.* In quo dicendi modo sibi ipsi improprius est. Si illud ipsum est de verbo ad verbum transcriptum, quomodo aliud? Si aliud, cur excepto loco, & tempore, idem verbatim resonat exscriptum, dicitur renouatum? certè per renouationem, in aliud non transformatum.

ARTICVLVS XXVIII.

An primitiui Minores quasi ab exordio Ordinis fuerint appellati Conuentuales: & in quo sensu hodie appellentur Conuentuales. An idem sint ac communes. Cur eis solis hoc cognomen alijs commune appropriëtur vt distinctiuum. An sint ijdem ante & post cognominationem.

1. PRæfati Pontifices Art: 24. n. 2. sufficienter primam partem huius Articuli resoluunt, præsertim Vrbanus VIII. prioris Innoc: IV. Statuta declarans & sequentis Pij IV. innouans & confirmans sic cit: Art: Verbatim decernit de Ord: nostro Conuen-

uen-

uentuali: *Huic autem quasi in ipsis primordijs Religionis ex Apostolica auctoritate Nomen Conuentualium accessit, quod usq. hodie apud nos perseuerat.* Huic sententiæ innixus Rodul: pag: 149. ei subscribit his verbis. *Conuentuales ergo B. Francisci primogeniti ab ipsius* quasi *Religionis primordijs, anno 1212. per annos ducentos, & eò ampliùs ab Innocentio huius Nominis IV. sic appellati, & Apostolica auctoritate muniti.* In quibus verbis eum errasse, animaduertit Wading: ad annum 1252. n. 23. inquiens. *Atq. in eo magis mihi errasse videtur, quòd sub anno 1212. ab ipsius exurgentis Religionis primordijs affixum cognomen affirmet, ab Innocentio IV. idq. ad supplicationem B. P. Nostri Francisci, qui annis sexdecim ante assumptionem Innocentij ad Pontificatum ex hac vita decessit.* Sed meminisse debuit Wadin: Petrum Rodul: insignem Theologum, & rei historicæ optimè gnarum, non potuisse in tàm stolidum errorem manifestè prolabi, cuius lapsus etiam nouitio calamo criminalis censeretur, in re euidenti. Dum enim Rodul: ait loco cit: *Transumptum Bullæ Innocentij IV. per quam ad supplicationem B. P. N. Francisci Minores appellati fuerunt Conuentuales.* Error est omissionis vocabuli *Fratrum* per Typographum, vel amanuensem, vel correctorem Typi commissus: qui nullo negotio tollitur, dum addito vocabulo *Fratrum* sic legetur. *Transumptum Bullæ Innocentij IV. per quam ad supplicationem Fratrum B. P. N. Francisci, Fratres Minores appellati sunt Conuentuales.* Maximè in Typographicam incuriam, non in Auctorem hic error a Wadin: Obser: refundi debuit, qui in Rodulphi Hist: Seraph: lib: 2. pag: 303. hæc expresse posita, vel legit, vel si ritè reprehendere voluit, legere debuit, quæ Typographus Lectori narrat in hæc verba. *Auctor huius operis dum imprimeretur* (benigne lector) *procul aberat, & Romæ pluribus curis iniuncti sibi muneris intendebat. Itaq. cùm properantiùs urgeretur impressio, haud quidem sua Nostrâne culpa, qua plures diuersasq. paginas componendo versabamus, an illius, qui pro Auctore manu scripta curabat, eaq. frustatim nobis subministrabat contigerit ut hæc* &c. & Venetijs opus Rodulphi cudebatur. Hoc si aduertisset Wadin: Obseru: non dixisset etiam contra Rodul: illud quod dicit ad annum 1321. n. 43. de Conuentu & Oppido Taussiniani scribens. *Natus hoc in Oppido Petrus Rodul: Auctor Hist: Seraph: in qua describenda multa leuiori discussit examine.* Ad

2. Ad illud in quo Wadin: Obſeru: corrigit Rodulph: quod ſub anno 1212. ab ipſius exurgentis Religionis primordijs affixum hoc nomen affirmet ab Innocentio IV. ipſe potiùs Wad: Obſeru: corrigendus eſt; dum non fideliter refert textum Rodul: qui ſic ſyllabatim inquit. *Conuentuales ergo B. Franciſci primogeniti ab ipſius* quaſi *ſurgentis Religionis primordijs anno 1212. ab Innocentio huius Nominis IV. ſic appellati.* Wadingus autem ſic refert. *Quod ſub anno 1212. ab ipſius exurgentis Religionis primordijs affixum hoc nomen affirmet ab Innocentio IV.* &c. Vbi omiſit particulam aduerbialem *quaſi* à Rodul: adiunctam, quæ idem ſonat, ac quodammodo, tanquam, & addita alium ſenſum definit, in ſenſu Rodul: ab eo quem eâ detractâ format Wadin: nam eâ adiectâ facit hunc ſenſum, Anno 1212. ab ipſius *quaſi* ſurgentis Religionis primordijs: id eſt nō ab ipſius exurgentis Religionis primordijs ſimpliciter & abſolutè, prout vult Wadin: cùm talis ſenſus ſit falſus, ſed *quaſi* ſurgentis, id eſt quodammodo, tanquam ab ipſius ſurgentis Religionis primordijs: quia non longè ſed prope, & modicum diſtantibus, Socijs etiam S. Patris aliquibus tunc ſuperuiuentibus: & talis ſenſus eſt verus, nec indiget cenſura Wadingi. In hoc ſenſu locutus eſt Apoſt: 2. ad Corinth: cap: 6. *quaſi triſtes ſemper autem gaudentes.* Vbi non abſolutè triſtes loquitur Apoſtolus, alias non eſſent ſemper gaudentes, ſed modificatè per particulam *quaſi* triſtes: id eſt propinquâ & modicum diſtante ſimilitudine ad triſtitiam accedentes, vt in ſuo Catholicon Joannes de Janua V. *quaſi* doctè explicat hos terminos. *Quaſi, ſicut, tanquam, velut,* aliquando poni pro ſimilitudine, aliquando pro veritate, & affirmatione, & hic in propoſito pro ſimilitudine, non pro affirmatione, & veritate poſita eſt particula *quaſi* à Rodul: quam ſuſtulit Wadin:, vt verteret ſenſum ſimilitudinis, in ſenſum affirmationis, & veritatis; aduerbia enim iuncta vocibus, earum ſignificationem explanant ac definiunt: vt ſcribit Priſcianus in lib: 15. de aduerbijs dicens. *hoc proficit verbis additum aduerbium, quod adiectiua appellatiuis nominibus adiuncta.*

3. Poſuit autem Rodul: anno 1212. quo deſignaret perfectum Franciſcanæ Religionis, per totam Italiam ampliationis exordi-

xordium: eo enim anno Franciſcana familiâ ita plena extitit tota Italia, vt vltra eius limites, neceſſe fuit palmites Franciſcanos vſq; in Angliam extendi, pro vbertate fructus D. Honoris & humanæ ſalutis proferenda: citato namq, anno 1212. quinque Franciſcanos ſcilicet Frem̃ Albertum Piſanum & Fr. Adamum cum alijs tribus intraſſe in Angliam, tertia Maij Spec: vitæ pag: 173. enuntiat. Quem annum comparatiuè & ſimilitudinariè non longè diſtantem, vti perfectum ampliationis Religionis Franciſcanæ exordium ſignauit Rodul: dum inquit. *Conuentuales ergo B. F. primogeniti, ab ipſius* quaſi *ſurgentis Religionis primordijs, anno 1212 ab Innocentio* &c. Non quòd eo anno Minores fuerint cognominati *Conuentuales*, ſed non procul anno diſtanti 1250. ſcilicet in ſenſu ſimilitudinis non veritatis intelligendo Rodulph: ſicut illud 1. Reg. cap: 14. *Et accidit* quaſi *miraculum à Deo:* tum illud Eccl: cap:24. Quaſi *Cedrus*, quaſi *Cypreſſus*, quaſi *palma exaltata ſum*, In quo ſenſu locutus eſt Rodul: modicam diſtantiam ab initio Religionis ab anno 1212. vſq; ad annum 1250. annos 38. complectentem, & modum accommodum intelligendi capientem, paruam pro quaſi nullam cenſentem, iuxta conſuetam paræmiam. *Quod parum diſtat, nihil diſtare videtur.* Hoc ſenſu intelligi Rodul: a Wadin: correctum, eſt in Rodul: à Wad: inueniri intelligentiæ, cor rectum: quam intelligentiam approbant eâ vſi particulâ *quaſi* Pius IV. & Vrbanus VIII.

4. Poteſt equidem quælibet ſcriptura non canonica corrig- à quouis rationabiliori, ſi error mitiorem interpretationem ſubire detrectat, ſi autem abſq; errore, ſenſu alio veritas ſaluari valeat. charitatis eſt, atq; Religioſæ propenſionis, quæ perfectiùs præſtatur, interpretatione eam temperare, quàm erroris condemnare: Si verò falſitas contumaciter veritatem & interpretationem reſpuat, malitiæ veneno illita, confeſtim hæc acuti ferri cuſpide in vulnus icta concidat, atq; intereat, vt ſunt nugæ Marchantinæ contra cognomentum & ſtatum Min: Con: de fuſo anili, in alabrum, poſt in girgillum, vltimo in glomicellum anliter congeſtæ, nullo conſtantis ſtamine, vel ſubtegmine veritatis ſubſiſtente contextæ; Sed dumtaxat falſitatis & nugacitatis inuolucro mu-

cro munitæ: prout ipsemet Wadin: ad annum 1247. n. 25. Gonzagæ Ex-Generalis Obseru: & post Episc: Mantuan: relationem nulla veritate constantem repudiat, quando dixit Conuentum Clarensem dicto anno à B. Francisco fundatum, ex beneplacito Innocentij IV, quem vt ait cit: Wad: S. Franciscus non nouit, neque Pontificem vti mortuus anno 1226. Talis error rectè reprehenditur, quia aliam pro veritate interpretationem non patitur, vti ille superficialis in Rodul. primæ cogitationi sine reflexione apparens, sed in reflexione disparens.

5. In eodem sensu quem retulimus Art: 24. n. 2. ex definitione trium Pontificum, hoc Apostolico *Conuentualium* cognomento, ab anno 1250. vsq; ad hodiernam diem appellantur Min: Con:: ita, vt succedentibus post cit: annum temporibus vsq; ad præsens, nunquam fuerit sensus nominis Conuentualis auctoritate Pontificia variatus, immutatus, seu translatus: & qui hoc temerariè sine ratione cum Marcha: pag: 62. asserit, ostendere tenetur expressæ immutationis, & translationis Pontificiæ Mandatum, quo determinat Pontifex, vt alium non præfatum à nobis explicatum Nomen *Conuentualis* debeat præseferre sensum, vt etiam diximus Art: 26. n. 5. Alioquin nominis Conuentualis sensus alij excogitati, sunt fabulosi & insensati, quia vt diximus Art: cit: n. 6. Nullus sensum à Pontifice determinatum immutare potest: non enim est recedendum à propria verborum significatione, vt ibidem dictum est. Propria autem verborum significatio est (cæteris vt fictitijs reiectis & repudiatis) quam præfati Pontifices statuerunt & determinarunt, cuius determinationi standũ est.

6. Per illos autem textus ex Bullis Leonis adductos pag: 62. Marchantius more solito eludit Lectorem, & fascinat imperitum, inuoluitq; sciolum: quia ibi Pontifex vti Art: 26. n. 5. diximus, non imponit nouam significationem huic nomini *Conuentualis*, antiquâ immutatâ, & abolitâ, alias ostendat vel verbulum huius nouæ impositionis seu mandati, nouum sensum vel significationem Nomini Conuentuali, ex determinatione Pontificia infundentis, ita, vt se declaret Pontifex de cætero in posterùm se nolle antiquum sensum Nominis *Conuentualis* in vsu permansurum, sed

tantum

tantùm nouam à ſe impoſitam ſignificationem conſeruaturum, & retenturum: ſcilicet, vt Conuentualis idem ſignificet ac ſecundùm Priuilegia viuens: cùm potiùs oppoſitũ mandet, vt cõſtat ex Bulla. *Ite & vos.* vbi Pontifex ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. vt diximus Art: 26. n. 5. prohibens mandat, nè vnus alterum cognominet *priuilegiatum;* priuilegiatus enim & ſecundum priuilegia viuens, idem ſignificatum important, & ſub diuerſis nominibus ſynonima ſunt, idemq; ſignificant. Hinc dũ Marchantius violenter extruſit ſenſum antiquum Nominis *Conuentualis*, à Nobis Art: 24. n. 2. explicatum, & in nouum propriâ auctoritate commutauit: per ſuam Expos: Reg: tanquam Bullam extrauagantem de verb: ſignif: editam: ita vt ſecundùm eam *Conuentualis*, ſit idem ac ſecundùm Priuilegia viuens: id eſt priuilegiatus, rectè ſequitur eit: Bullæ Leoninæ contraueniſſe, & excommunicationem latæ ſententiæ incurriſſe; ex eo, quia conſtat eum per ſuum ſenſum Nomini *Conuentualis* impoſitum, Conuentuales *Priuilegiatos* irriſoriè vocaſſe. Prodeſt & paritas de Eccleſia adducta primitiua, & præſenti, quia primitiua non habuit dominium in particulari bonorum ſtabilium, redditũum, &c. Sicut præſens: & tamen, tantùm blaſphemus dicet & hæreticus, Eccleſiam præſentem, primitiuæ Eccleſiæ antiquum deperdidiſſe ſenſum, & in nouum tranſmutaſſe: ita, vt Eccleſia præſens idem ſit, ac ſecundùm Priuilegia ſibi indulta viuens, bona temporalia poſſidens, redditus & annuos prouentus colligens: qui ſenſus ab Acatolico non Ortodoxo eſſet confictus cerebro. Sic de Marchantino ſenſu excogitato arguendum.

7. Hinc ſenſus Nominis *Conuentualis* in eo ſtatu notionalis conſiſtit, in quo ſignificat perſonam eius inſtituti, quòd ad vnam Regulam, vnamq; vitæ communitatem, vniformem animum, cõmuni vinculo cum aliis colligatum profitetur. Quare *Conuentualis*, idem eſt quod communis, & *conuentualitas*, idem quod *communitas.* Conuentualis enim habet communitatem animi, Regulæ, ſtatus, vitæ, coitionis ſeu collegialis conuenientiæ, habet communitatem iuris & loci, tum Priuilegiorum Ordini ſuo competentium: & ideò Communis, ita poteſt in concreto, ſicut Conuentua-

uentualis definiri; & communitas in abstracto, sicut Conuentualitas explicari. Hoc statim quasi à principio, huius suæ cognominationis Pontificiæ nixi fundamento primitiui Min: in omni occurrente casu, contra Reformatos, seu reformatam vitam ducere cupientes, vocabantur Fratres *Communitatis* seu de Communitate, id est Fratres *Conuentualitatis* seu de Conuentualitate: quo termino primitùs eos designauit Concil: Constant: vbi primùm diuidi cæperunt Reformati à primitiuo Ordine Min: Con: vt diximus supra Art: 13. n. 5. Et hoc ideò Fratres Communitatis fuêre appellati, quia Concil: figebat respectum suum, in continuatione immediata, & non interrupta, illius communitatis, seu conuentualitatis, quæ primùm apud Riuumtortum in anno 1209. fuit inchoata, & anno 1250. *Conuentualium* cognomine denuntiata, & vsq; ad Constant: Concil: tempora, in anno 1415. celebrati, eadem duratione naturali perseuerauit, perseueratq; in præsentem diem. Reformatis collateraliter, & per traducem, in alium ramum abeuntibus.

8. Hoc totum euidenter elucescit in satis prolixa & molesta controuersia, contra Petrum Joannem Oliuij, reformatæ vitæ à communitate alienatæ, auctorem, de quo præfati sumus supra sub diuersis Ministris Gen: præcipuè Hieronymo de Asculo. Bonagracia à S. Joanne in Persicetto. Matthæo Aquaspartano, Raymundo Gaufredi: Joanne Minio de Muro: hic accusatus fuit in Comitijs Gen: vt refert Wadin: ad annum 1282. n. 2. *Quòd plurima liberè nimis contra Communitatem Ordinis frequenter proferret.* post cuius obitum vt diximus ex Wad: supra Art: 8. n. 1. multa Schismata & contentiones ortæ sunt, Reformatorum sciolorum & pertinacium, communitati Ordinis semet opponentium, Alexandro de Alexandria S. Th: Magistro, mox Ordinis Gen: Ministro *Communitatem* strenuè defendente: de quo diximus supra Art: 10 n. 1.

9. Hæc omnia allegata clarè euincunt Nomen *Conuentualis*, idem significare quod *Communis*, & Fratres de *Communitate* idem esse ac Fratres de *Conuentualitate*. Hoc confirmat Emsmus Brancatus de Lauræa S. R. E. C. in suo Epitome V. *Fratrum Minorum Refor-*

Reformatio inquiens. *qui à Communitate Ordinis ſe diuidunt, Reformati ſeu Obſeruantes dicuntur. Alij autem Fratres remanent ſub communitate Religionis, cum titulo Minorum ſeu Conuentualium, ad diſtinctionem Reformatorum ſeu Obſeruantium diuiſorum,* Et hunc ſenſum nominis *Conuentualium* optimi quiq; Auctores, etiam ex Obſeruantinis affectu erroneo non laborantibus, vti genuinum recipiunt, & ad eum reducunt, vt Roderic: Obſer: Tom: 1. Quæſt: Reg: Q. 4. Art: 1. circa finem inquit. *Et tempore Innocentij IV. Nomine* Conuentualitatis *ſunt inſigniti: ipſe enim per Bullam authenticam in Sacro Conuentu Aſſiſij vſq; hodie ſeruatam, ſtatuit vt Eccleſiæ Fratrum Min: & Domus, Conuentus appellarentur: à quo tempore Min: Con: vocati ſunt huius Religionis Fratres.* & Tom: 3. Q. 30. Art: 4. idem repetit dicendo. *prout in primo tomo latè diximus, quòd Fratres Conuentuales, in Ordine Min: dicuntur communiter clauſtrales, ſimul & Conuentuales: cuius nominis originem ibi explicauimus, nunc autem originaliùs huius nominis natiuitatem indagantes, inuenimus hoc nomen ad petitionem Fratrum Minorum fuiſſe ipſis impoſitum, ab Innocentio IV. Papa, vt ex eius Bulla patet.* Ludouicus Miranda itidem Obſeru: in eodem ſenſu Innocentiano Nomen *Conuentualis* accipit in Manual: Prælat: quæſt: 12. Artic: 1. concl: 3. dicens. *Extat Priuilegium quoddam Innocentij IV. &c. Vbi concedit præfatis fratribus Clauſtralibus, tanquam honorificum quoddam: vt ipſorum domus Conuentus nuncupentur* &c. *quod & tunc temporis pro magno habuerunt honore, tali ſcilicet Clauſtralium, ſiue Conuentualium inſigniri nomine.* In eo quoq; ſenſu accipit hoc nomen *Conuentualis* Flauius Cherub: in Comp: Bullarij Scholio 1. ad præfatam Bullam Innocentij IV. inquiens. *Vigore huius indulti, appellatæ ſunt Eccleſiæ Conuentuales, id eſt, in quibus ſimul conueniunt hi Fratres Religioſamq; vitam ducunt. Et hinc illi Fratres Conuentuales vſq; in hanc diem nuncupantur.*

10. Licet Nomen *Conuentualis* in ſenſu, quem Art: 24. n. 2. determinauimus, prout ad vnam Regulam, vnamq; vitæ communitatem, vniformem ſignificat animum, commune ſit omnibus Ord: Regularibus, in Eccleſia Orthodoxa exiſtenter vernantibus; tamen vt primitiuo Ordini Min: appropriatur, eiq; vt diſtinctiuum à cæteris Ordinibus attribuitur, maximè in vniuerſa Mino-

rum orbita, ab Ord· filialibus, per Reformationem siue immediatam, siue mediatam à primicerio & originario Ordine Min:Con: scaturientibus, variæ & peculiares attributionis specificæ, & incommunicabilis appropriationis ei assignantur causæ, & rationes: quæ nulli alteri Ordini cuiuscunq; sit speciei vel discriminis conuenire & appropriari possunt. Principalis ratio est, quia Originarij Minores primi fuêre & soli ex omnibus tunc Mendicantibus, seu alijs Ordinibus, supplicantes S. Sedi, pro hoc titulo *Conuentualis* Oratores, & primi suo Ordini, seu Ecclesijs, tum formaliter, tum materialiter sumptis, itidem & Domibus suis cognomentum *Conuentualis* obtinuerunt, & ideò soli ipsi hoc Conuentualitatis Priuilegio anno 1250. ab Innocentio IV. donati, appellantur *Conuentuales*. Nec omnibus omnia facta sunt communia: Constitutio namq; Innocentij IV. est pro solis Minoribus: nec potest dici, quòd ad petitionem alicuius alterius Ordinis, prætetquam ad supplicationem Primitiui Ord: Min: Con: fuerit edita, licetsi motiua Constit: Innocentianæ possint ostendi esse communia, pro omnibus Ordinibus, maximè Mendicantibus. Hinc in eo sensu Ordo primitiuus Minorum, cognomen *Conuentualis* sibi vt appropriatum & distinctiuum retinet, præcipuè appropriatum & distinctiuum in peripheria Minorum, ab Ordinibus filialibus, per Reformationem ab originario Ord: Min: tanquam à fonte deriuatis, & in diuersas familias dispertitis, & segregatis: Abundè enim ab alijs Ord: Regularibus distinguitur aliunde, sed ab alijs Minoribus Reformatis, nonnisi per hoc, quia primitiui Minores, à quibus hi per Reformationem posteriores sua natalitia deriuarunt, soli fuerunt huius tituli *Conuentualis* originales, ab Innocentio IV. precibus suis auctores, consecutores, & primiceria possessione huius gentilitij per vsum executores. Hunc sensum amplectitur Emsmus Brancatus de Lauræa S. R. E. C. in suo Epitome Canon: V. *Fratres Min: Con:* inquiens *Fratres Minores post reformationem, retinuerunt Nomen Conuentualium, iuxta Constit: 7. Innocentij IV.* Flauius Cherub: in Comp: Bullarij ad Bullam Innoc: IV. quæ incipit. *Cùm tanquam* Scholio 1. dicens. *Et hinc illi Fratres Conuentuales, vsq; ad hanc diem nuncupantur, cæteri verò si-*

miles

miles aliorum Ordinum Religiosi, non, quia illi (supple Min: Con:) *vt arbitror hoc Priuilegio Conuentualitatis donati fuerunt.* Ex quo Auctore exprimitur genuina ratio Nominis *Conuentualis*, quâ appropriati & distinctiui, seu appropriatè distinguentis primitiuum Ord: Min: Con: à cæteris filialibus Minorum Ord:, quia hi posteriores per Reformationem à priori Ord: deriuati, non fuerunt primi & originarij huius Nominis *Conuentualis* exoratores, auctores, possessores, & per vsum executores, nisi solus Ordo primicerius Min: Con.

11. Nec valet cauillatio Marchantij pag: 489. textui cit: Bullæ Innocentij IV. hæc subiungentis. *In hac significatione Nomen Conuentualis omnes Fratres concernit, tam de Obseruantia quàm Capuccinos, aut quosuis Recollectos, aut Reformatos: qui Conuentus formatos & Ecclesias habent, & tantùm excludit eos, qui extra huiusmodi Conuentus, in locis solitarijs siue eremitorijs habitabant.* Non valet inquam, quia licet præfati Reformati Conuentualiter viuant, eisq; diffinitiones *Conuentualis* & *Conuentus* accommodè adaptari possint, sicut & omnibus alijs Ordinibus Regularibus; tamen omnes in omnibus circumstantijs, & attributis, istius Nominis *Conuentualis* Ordini Min: Con: non possunt esse pares: quia nulli eorum huius Nominis *Conuentualis* primi exoratores, consecutores, auctores, & executores fuêre, Sed soli Min: Con:, qui hoc cognomen *Conuentualis* primi impetrarunt, & eo tanquam insigni sibi concesso, pro ordinaria & distinctiua Nomenclatura vti & frequentare cæperunt, præcipuè à Concil: Constant: & Eugenij IV. tempore: quando Reformati eorum Obseru: in Polonia Bernardini nuncupati, ab eis diuidi inceperunt, nouum agnomen ab Obseruantia in Regula S. Francisci innominatum, sibi præfigentes; ad signandam differentiam filialis Ord: a Paterno & Originario Ordine deriuati: qui videns diuisionem, & distinctionem in Ordine Min: inualescere, cæpit frequentiùs ad natiuum & gentilitium cognomen primitùs sibi ab Innocentio IV. incorporatum recurrere: illudq; sibi tanquam distinctiuam, à nouello filiali Obseru: Ord: tesseram, & originale insigne, pro Ordinaria nomenclatura nuncupatoria præseferre. Et cui originaliter absolutum Nomen *Mi-*

norum pro distinctiuo, à cæteris Ordinibus sufficiebat; multiplicato nouæ prolis fetu in Ord: Min: diuersas congregationes, sub eodem cognomine *Minorum* sortiente, necesse habuit primicerius Ordo tantæ variationi prouidere: qui vt vltra commune Nomen Minorum, distinctiuâ appellatione deprehenderetur, & absq; confusione nosceretur: originalia *Conuentualium* assumpsit insignia, sui denominatiua; vt quibus ante diuisionem & Reformationis multiplicationem, tantùm pro rei exigentia, & necessitate, velut diebus festiuis vteretur, postea succedentibus in Ord: Min: varijs Reformationibus; velut consuetum & quotidianum discriminis & differentiæ, retineret distinctiuum, ab ipsa quasi origine deriuatum, & sibi modo præfato appropriatum.

12. Secunda ratio Reformatis Minorum incommunicabilis, formale distinctiuum huius cognominis *Conuentualis* describit, quo distinctiuo Min: Con: appropriatè ab Obseru: cæterisq; in Ord: Min: Reformatis distinguuntur, est huiusmodi. Ideo cognomine *Conuentualis*, præ omnibus Reformatis primitiuus appellatur Ordo, quia statim ab exordio sui nascentis, nunquam voluit singularis apparere, sed communis, nec nouam viuendi formam in communitatem inducere, sed cum alijs communem Obseruantiæ ritum, in vita communi perficere. *Communis* autem & *Conuentualis*, idem significatum important vt diximus supra n. 7, quod ipsemet Marcha: pag: 66. acceptat inquiens. *Factum est vt ad eorum distinctionem, Fratres in Conuentibus remanentes, vocarentur Conuentuales siue de Communitate, aut de Communi vita: & alij alia Nomina assumerent, quamuis semper omnes sub vno Generali militarent. ita, vt Nomen Conuentualis communem quemdam modum collegialiter viuendi diceret distinctiuum.* Et si contradictionem velit euitare, idem tenetur consequenter asserere, dum pag: 401. dicit. *Clemens V. &c. vocat eos non Conuentuales, sed Fratrum Communitatem* &c, *Simili nomine vocantur in Decreto Concil: Constant:* &c. & Concl: 2. contradictoriè dicit. *Nomen Conuentualis* &c. *inditum est à tempore Concil: Constant:* Si in Concil: Constant: simili nomine vocantur non Conuentuales, sed fratrum communitas, quomodo à Concil: Const: inditum est primò Nomen Conuentualis? Et quia Ordo pri-

do primitiuus Min: semper in Communitate persistens, vnitatem Communitatis amauit, nunquam turbas & tumultus, ob rigidiorem Obseruantiam in communitate excitauit. sed si quid extra Orbitam Obseruantiæ excidere aduertit, nec ferulâ correctionis communis ad priorem statum reducibile, prudenti iudicio perspexit: iudicauit salubriùs communi bono, & animarum saluti in communitate, per Apostolica Priuilegia prouidere; quàm sub titulo Obseru: Regularis, animarum salutem euidenti periculo exponere: & ideò ob rigidiorem disciplinam, nunquam voluit in Communitate scissuras sectari, neq; Ordinis præfectos & totam Communitatem coram Suprema Sede, & principibus sæcularibus, cum publico dehonestamento spiritu vertiginoso criminari: Sed continuò vniformem animum, ad vnam Regulam, siue Apostolico indulto temperatam, siue in suo rigore eleuatam, iuxta communitatis perspectam indolem amplexari. Et sic omnes primitiui Min: in Communitate, vinculo pacis, & vnitatis constricti, sine vlla interpellatione Conuentualiter conuixerunt, & nullam Schismatis, & diuisionis vmbram, in corpore communitatis admiserunt: quæ communitatis ab omnibus in Communi laudatæ (exceptis Reformatis) perseuerantia: multis & diuersis temporibus durauit, donec plurimis Reformationibus à Corpore Communitatis (non absq; disturbio) repullulascentibus, deletis, extinctis, & rescissis, (vt sub Ministris Gen: latè deduximus) feliciter Trinciana PP. Obser: in Polonia Bernardinorum in anno 1368. prodierit, & primam suam particularem diuisionem à Corpore primitiuo, in Concil: Const: anno 1415. obtinuerit; tandem vniuersalem excorporationem ab Eugenio IV. anno 1446. finaliter terminauerit. Inde qui remansit in Communitate Ordo perseuerans, nec post Reformationem abiens, rectè ab antiqua communitate *Communis*, seu *Conuentualis* appellatus est: appellaturq; vsq; in præsentem diem.

13 Tertia ratio etiam Reformatis incommunicabilis, cur solùs in Ord: Min: primitiuus Ordo *Conuentualis* appellatur est, quia solus à suo Fundatore & Patriarcha Francisco, in vita Conuentuali fuit institutus, primùm Riuotorti in illo duodenario nume-

ro, vt diximus Art: I. n. 12. Cæteræ autem reformationes vitam suam Reformatam inchoarunt in Eremitorijs, vt patet de Ord: Obseru: qui teste Wadin: ad annum 1368. n 12. per Paulum de Trincis laicum; Patrum eorundem Obser: in Polonia Bernardinorum nuncup: Fundatorem, Bruliani in Eremo, *in loco horroris, & vastæ solitudinis*, vitam eremiticam exorsus est. Idem asserit Marchan: pag: 490. Ordo etiam Capuccinorum, fuit institutus & approbatus in vita Etemitica, vt patet ex Bulla Clem: VII. quæ incipit. *Religionis zelus* hæc verba continente. *Auctoritate Apostolica* &c. , *vt secundùm* &c. *Vitam eremiticam ducere* &c. *vt ad eremitoria* &c. *Vos conferre & in eis habitare vitamq́, eremiticam inibi agere* &c. Quapropter ad distinctionem in Ord: Min: omnium Reformatorum, primitiuus Ordo solus vocatur *Conuentualis*, ab originali institutione suam nomenclaturam retinens. Et licet postea Reformationes in Ordine Min: conuentualem vitam amplexatæ fuerunt; tamen quia in origine sua prius eremiticæ extiterunt quam Conuentuales: ideò nominis Conuentualis ex origine appellationem non sunt sortitæ, nisi solus Ordo Min: Con: qui ratione originis suæ, statum, & denominationem conseruans, illa ratione dicitur *Conuentualis*, quâ Ordo Eremitarum S. August: *eremiticus*, qui originis suæ eremiticæ, vsq; nunc ab eremo retinet nuncupationem; licet statum suum eremiticum, commutauerit in Conuentualem.

14. Quarta Ratio, cur hoc Nomen *Conuentualis*, primitiuo Ord: Min: adhæsit, potest esse vulgaris: nimirum imperitum, & vt dicitur incertum, atq; in contraria studia scissum vulgus: magis corticem quam medullam literæ obseruans; audiens concessum ab Innocentio IV. priuilegium, vt Ecclesiæ Minorum *Conuentuales* vocentur: non intellexit de Ecclesijs formaliter & personaliter sumptis, sed putauit hoc nomine *Conuentualis* Ecclesias Materiales affici; & inde ab Ecclesijs materialibus transtulit cognomen *Conuentualis* ad Religionem, vocando Min: Con:, prout sic vulgariter cum turba intellexit Marchan: pag: 66. Sed esto quòd ab Ecclesijs materialibus denominaretur Religio Min: *Conuentualis*, quid inde: non erit nouum in vniuerso Religionum

cætu,

cætu, ab Eccleſijs materialibus, vel titulo earum, Religiones ſuas denominationes ſortiri; vt reflexè aduertit Franch: Sect: 7. n. 13. Et prætereundo particulares Eccleſias, in ciuitatibus à quibus adnexi Conuentus, & Religioſi nomina referunt: conſideremus dumtaxat ipſas Religiones: Satis illuſtris Religio Canonicorum Regul: Later: tamen ſuam denominationem refert, ab Eccleſia ſeu Baſilica Laterana, quæ ipſorum ſeruitute colebatur octingentis ænnis, vſq; ad Bonifacium VIII. qui ſublatis Canonicis Regul:, ſæculares introduxit anno 1300, vt refert Barboſa Iuris Eccl: lib: 1. cap: 41. n. 101. Celebris eſt in Italia PP. Barnabitarum Religio, & hæc ab Eccleſiæ titulo S. Barnabæ Sacræ, quam primam Mediolani obtinuit, ſuam Nomenclaturam deriuauit. Sed ſufficeret nobis Ordinis Noſtrorum Obſeru: vulgò Bernardinorum in Polonia denominatio, dum à prima Eccleſia in gratiam aduentus B. Joannis Capiſtr: Cracouiæ in ſuburbio Stradomienſi, à Sbigneo Oleſnicio S. R. E. C. & Epiſc: Crac: ſub titulo S. Bernardini erecta, appellatus eſt Bernardinicus, vt teſtatur Franc: Dzielowſki Obſeru: in ſuo cibo quotidiano pag: 24. inquiens: *Sicq; à primæua hac fundatione Cracou: nomen* Bernardinicum *Fratres Minores de Obſeru: per totam ſortiti ſunt Poloniam, & hucusq; tale cognomen vocabulo retinent quotidiano.*

15. Non ergo indecorum eſſet nos quoq; Minores primitiuos, ab Eccleſijs Materialibus Nomenclaturam Conuentualium deriuaſſe: cùm multæ in Eccleſia Dei Perilluſtres Religiones inueniantur, quæ non tantùm ab Eccleſijs ſed etiam Aliæ à deſerto, Aliæ a Montibus, Aliæ à denominatione locorum, topicam ſumunt denominationem. A deſerto præmonſtrati Diæc: Laudun: in Gallia illuſtris Religio, ſicut originem ita appellationem ſortita eſt Præmonſtratenſium. A Caſſino, Carmelo Montibus; Caſſinenſes & Carmelitæ denominantur. Ciſtercienſes & Cluniacenſes, à locis topicam retinent Nomenclaturam. Sed non ſolum ab Eccleſijs & locis, ſed Minori etiam fundamento admodum modico, nixæ aliæ Religiones, ſuas ſuſtinent denominationes. Ommiſſis illis, quæ à colore albo, nigro, griſeo, album, nigrum, griſeum, appellationis tenent participium: pro

nunc duæ sufficiant. Satis ampla Religio PP. Capuccinorum, qui ab exiguo panneo acumine pyramidato, hoc Italici idiomatis diminutiuo *Cappuccini* cognominantur. PP. Obseruantini Religio satis numerosa, tamen à Soccis Calonibus seu Calepodijs ligneis, in Italia audiunt appellatione *Socculantium:* quæ tamen ab agresti & rustica gente inuenta, suam agnoscunt originem, vt testatur Wad: Obser: ad annum 1368. n. 12, inquiens. *Hominum ibi commercium nullum, vinum nullum, solatia humana nulla, omnia inculta & aspera: Montis aliquod incolæ Rustici, pauperes, horridi, quorum vestes caprarum ouiumq; pelles, calceamenta calepodia. Ab istis mutuatus Paulutius Calones, ijs vsus est, tum propter egestatem, tum propter commodiorem incessum, per loca petrosa & socijs eorundem vsum persuasit, obtenta priùs facultate à Gen: Ministro. Hinc Calonum seu Calepodiorum, inter Regularis Obseru: professores, maximè in Italia à quibus in rudi vulgo nuncupantur.*

16. Quinta ratio est aliquorum existimantium, primitiuum Ord: Nomine Conuentuali fuisse insignitum per Ironiam, vt imaginatur Roder: Obser: Tom: 1. Q. 4. Art: 3. inquiens. *Qui vulgò per Ironiam vocati sunt Claustrales à Claustris.* Sed cùm vlteriùs motiuum huius Ironiæ, & congruentiam rationabilem non explicet, dicendus est potiùs imaginari quàm ratiocinari. Meliùs quia cum ratione explicat hoc Franch: in Apologem: Sect: 7. n. 12. dicens. *Vnde & Minores notati hac nouitate & singularitate tituli, fortè & irrisi à Parochis, quibus hoc statutum erat odiosum: ac fortè videbatur irridenda concessio Conuentualitatis, pro humilibus ac nullius redditus Ecclesiolis Minorum, potuerunt ab Ironia Parochorum nomen hoc suscepisse.* Et reuera ingens est motiuum ironiæ, contrarium ostendere satagenti, quod maximè conabantur Parochi & alij sæculares Prælati (quibus illa mendicantibus iniuriosa iurisdictio supra Art: 27. n. 2. expressa annullabatur) intrudere. Et inuisum valde & ridiculum poterat eis apparere, Priuilegium Innocentianum, communicari pauperculis, & nullius redditus Ecclesiolis, hunc magnificum titulum *Conuentualium*, qui antea solùm collegiatis Magnificis, & copiosè dotatis tribuebatur Ecclesijs. Hinc ex ægritudine animi & corde bilioso, vitio pathetico affecto, hanc acrimoni-

moniam excire poterat, vt per exclamationem Ironiæ, appellarentur Min: *Conuentuales.* Reuera acrimonia animi ex perturbato orta affectu, sæpiùs per displicentiam hominem, animi impotem commouet, & contorquere facit vocabula iniuriosa, in eum quem ferire destinat: vt fecit Cornelius Agrippa Acatholicus Religiosos subsannans, camelum saltantem indutus: in libr: de incert: & vanit: scient: cap: 62. sic momicè delirans. *Sunt adhuc in Ecclesia diuersarum sectarum populi:* & infra. *tot palliata mendicabula, tot cucullata monstra, barbigeri, funigeri, restiferi, saccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, atrati, nigritæ, grisones, Albichlamydes, Versicolores, Multipeles, Linostoli, Retiarij, Palliati, Chlamydati, Pullati, Paludati, Præcincti, Bracchati.* &c. Siue autem per Ironiam, siue ab Ecclesijs Minores *Conuentuales* sunt appellati: tota hæc denominatio profluxit ex occasione Bullæ Innocentianæ.

17. Neq; hoc anno 1250. quo ab Innocentio IV. Minores cognominati sunt *Conuentuales* esse inceperunt, cùm constet eos incepisse post confirmationem primæ Regulæ Innocent: Riuotorti in primo Religionis Conuentu anno 1209. vt diximus Art: 1. n. 15. Sed tantùm suo Materno Minorum titulo, nomen paternum *Conuentualium* adiunctum fuit, propter causas in hoc Artic: superiùs recensitas. Vnde ex tunc, geminato titulo potiebatur gens Franciscana: & qui tantùm Minores dicebantur antea, postea ex indulto Apostolico Min: Con: appellabantur, vel appellari poterant: ijdem tamen nec mutati, nec variati, nec inchoati, quò ad rem, nisi quò ad denominationem: sicut enim Orthodoxi discipuli in primitiua Ecclesia primùm Antiochiæ cognominati sunt Christiani, vt dicitur Actor: cap: 11. tamen non tunc re ipsa esse inceperunt Christiani, cùm antea alibi initia præcessisse fidei Christianæ. diximus Art: 2. n. 8

18. Deinde S. R. E. Cardinales fuerunt à B. Petro instituti, vt determinat Eugenius IV. in Bulla 15. quæ incipit. *Non mediocri* & antequam hoc nomine *Cardinalium* appellarentur, vocabantur priùs *Consiliarij*, vt probat Flauius Cherub: in Compend: Bullarij textibus ex Iure adductis, sub Bulla 50. Sixti V. quæ incipit. *Postquam verus.* Scholio 2. Et hoc nomine *Cardinalium* pri-

mùm cognominari cæperunt, vel iuxta Volaterranum in Anthropologia, sub Benedicto IX. circa ann: 1031: vel iuxta Petrum Gregor: in syntag: Iur: Lib: 15. cap: 4. sub Siluestro: circa annum 314, quod probat per cauf: 2. Q. 5. per errorem in 4. transpositam cap: *Præsul*, & tamen ex adiunctione Nominis *Cardinalium* non licet inferre, quòd tunc primùm inceperunt esse *Cardinales*, quando hoc Nomen *Cardinalis* sunt sortiti, aut alij per hoc Nomen effecti, vel mutati, secundùm Const: Eugen: sic de Minoribus ab Innocentio IV. hoc cognomine *Conuentualium* insignitis discurrendum est. Maximè hæc paritas à Cardinalibus ad Conuentuales eosdem Minores à S F. institutos probandos, assumenda erat: quâ pariter probaretur, per adiunctum agnomen *Conuentualium* de nouo non incepisse, nec in alios abijsse, sicut nec Cardinales à S. Petro, secundùm Eugenium IV. institutos: quia sicut Cardinales vt cit: Petrus Gregor: in Syntag. Iuris loco cit: n. 11. testatur, ab eodem Innocentio IV, etiam eodem anno 1250, galero seu pileo purpureo (qui erat proprium huius Pontificis insigne, iuxta Onuphrium in notis ad vitam ipsius, citatum; ab Henrico Sedulio in Comment: ad vitam S. Francisci pag: 191.) insigniti fuerunt: ita & Minores ab eodem Pontifice, & eodem anno *Conuentualium* titulo decorati fuêre.

19. Hoc assertum vniuerso totius mundi comprobatur argumento, ex C. Suetonio Tranquillo deprompto in fine, pag: 713. in hæc verba scribente. *Ægiptij Reges suos partim Pharaones, partim Ptolomæos; Parthi, Arsacidas, Latini Murranos: Albani Syluios vocitauerunt. Romanorum verò Imperatores Cæsares dicti, quod nomen tantò est quàm superiora nobiliùs, quantò Romanum imperium cæteris Regnis maius fuit atq; excellentius. Illum itaq; qui primus Cæsaris nomen adeptus est, ab eo dictum autumant clarissimi Scriptores, quòd cæso Matris vtero sit natus, vel ab elephanto in pugna cæso, qui lingua Maurorum Cæsar appellatur, vel quòd oculis fuerit cæsijs, hoc est glaucis: vel à Cæsarie cum qua natus proditur. Plinius in 7. Natural: historiæ tradit, quod memoratu dignum est. Scipionem Africanum primùm fuisse dictum, Cæsarem à cæso Matris vtero, quâ de causa & Cæsones appellati. Plinianæ sententiæ Solinus adstipulatur, quam quidem aliter interpretantes conuellunt.*

uellunt. Certè quacunq; de Causa Cæsares nuncupati sint: hoc constat clarissimum, & duraturum æternitate mundi nomen istud effloruisse: quod non absurdè dici posse Nomen super omne mortalium Nomen. Hæc C. Suetonius: quod totum non inuitè, sed quadratè applicari potest *Conuentualibus* Min:, ab Innocentio IV. cognominatis. Sicut enim recensitarum gentium Reges, & Romanorum Imperatores, per accessionem specificatorum Nominum, mutati & alij à prioribus effecti non fuêre Reges, vel Imperatores, sed ijdē inæquali auctoritatis & dignitatis gradu cōstituti, & tantùm vocetenùs in appellatione differentes, sic dicendum est de Minoribus appellatis Nomine *Conuentualium*: comparando eos Conuentualitate insignitos, ad se ipsos, nondum hunc titulum, ab Innocent: IV. possidentes.

ARTICVLVS XXIX.

An Cognomentum Conuentuale, statim ab exordio Constit: Innocent: fuit in vsu continuo apud primitiuos Minores: sine interruptione: vsq; ad hodiernos Conuentuales.

I. APostolicum cognomentum *Conuentualium*, quod nullam sanctitatis iactantiæ, vel ostentationis speciem præsefert, sed humilitatis, dumtaxat, & communitatis coniunctæ, vniformem animum: ad vnam vitam, Vnamq; Regulam in Cætu Conuentuali ostendit; Minoribus primitiuis ad piam eorum petitionem, ab Innocentio IV. concessum est, vt diximus Art: 27. n. 3. Et vti à pia fundatoris humilis Patriarchæ Fran: mente, & primitiuo Min: Statu non alienum, vel discrepans, iteratò ad supplicationem eorum repetitam, à Pontifice renouatum est; vt dixi Art: cit: n. 12. Proinde Minoribus *quasi* a principio Religionis inchoatæ, acsi Comes, consors, consocium, adhæsit adiunctū: & cùm nō motu proprio Pontificis, sed supplicatione precaria, Primogenitorum Min: impetratum, & ad iteratam petitionem renouatum

 fuit.

fuit. Vero simile non est, quòd Minores qui hoc nomen *Conuentualium* tàm ardenter, & feruidè bis petierint, ipso postea temporibus Innocentij IV, vel sequentib' annis, vsi non fuerint vnquam.

2. Et licet de huiusmodi cognominis *Conuentualium* vsu, nulla extaret memoria scripta, non tamen exinde liceret inferre, quòd eo cognomine antea primi Minores vsi non fuerint, vt lepidè euincit Gabriel Faber Parisien: in suo Spec: Min: fol: 65. inquiens. *Non fit mentio in Sacra Scriptura Nominis vxoris Cain, ergo inferendum tunc non fuisse, vel in vsu non extitisse, aut eo caruisse.* quod idem dicendum est de Nominibus vxorum Sem, Iaphet, Aod, Issachar, & aliorum illustrium propagatorum, quæ Sacra Biblia reticuêre: ex quo inferre non licet, quòd appropriata Nomina non habuerint, vel eis appellatæ non fuerint, sed duntaxat Communi vocabulo mulierum vel vxorum audierint, vti illæ 15. Athlantis filiæ, quæ secundùm Higinum vno tantùm vocabulo Atlandides vocabantur. vt enim cit: Gabriel Faber dicit. *Simili argumento vtuntur hæretici, aduersus Catholicos, vt probent non esse purgatorium: quia de nomine eius in Scriptura non fit mentio expressa.* Argumentum enim quod desumitur negatiuum nullius roboris est, præcipuè dum nostra vestigatio primordialis vsus, huius nominis *Conuentualium*, non versatur circa nomen præcisè, sed circa nomen & eius vsum potissimum, quo signanter denotantur Fratres Minores primitiui, quibus hoc nomen *Conuentualium* fuit adiunctum, quasi à principio Religionis: quod nomen concedi non potuit nisi Fratribus, qui tunc extabant. Vnde absq; dubio primi FF. Min:, extunc quando libuit poterant nuncupari *Conuentuales*. Et vero simile non est, antiquos Minores hoc cognomen statim ab initio neglexisse, quod tàm ardenter iteratis precibus eos constat petijsse, sed probabile ex tunc eodem se nuncupasse, & nuncupatos fuisse: etiamsi nuncupatio non inueniretur scripta. Si enim non omnia scribuntur quæ fiunt, quis scribet omnia quæ dicuntur, vel nuncupantur. Vt etiam dicit Beda lib: 3. Comm: in Marc: cap: 11. *Non omnia scripta esse quæ in Ecclesia sunt gesta, sicut etiam de factis ipsius Christi, & Domini nostri Scriptura testatur.* Sed esto ab exteris & sæcularibus primi Minores *Conuentualium*

tualium

tualium Nomine non tam frequenter cognominarentur, ſolo nomine Minorum ſufficienter ſignati: maximè ante Concil: Conſtant: quia eò tempore vnus erat Ordo, vnum Caput, vnus Paſtor & vnum ouile, quia Religio Minorum erat terra labij vnius, cui ſolùm Nomen Minorum, absq; cognomine ſufficiens erat. Cognomina enim tunc primùm debent imponi, quando ex Nominibus proprijs reſultat incertitudo, vt docent Iuriſperiti: cumq; illis primis temporibus nulla oriebatur incertitudo, propter indiuiduam totius Religionis vnitatem, idcirco huius cognominis *Conuentualium* primi Minores ab exteris, ſeu ſæcularibus, raro ſibi attributum habuerunt vſum: niſi forſan per Ironiam applicatum. Ipſi tamen ex amore huius ſui Apoſtolici cognominis in Conſtit: ſuis ſe ſeper Conuentuales inſcribebant, proſcribentes eo nomine grauamina à Parochis ipſis inferri ſolita, & hoc nomine à Pontifice repulſa. Et quòd ſtatim à principio primi Minores hoc cognomine *Conuentualium* vſi fuerint, tàm in Conſtit: ſuis, quàm etiam alibi, in quantùm rei neceſſitas, aut ratio poſtulabat conuenientiæ: per Scripturas authenticas in hoc Artic: oſtendemus.

3. Statim in veſtibulo Priuilegij Innocentiani, pro vſu ſine interruptione continuato, nominis *Conuentualium*: prima occurrit authentica Scriptura, teſtis omni exceptione Maioris, Seraphici & primi in Religione Min: Con: laureati Doct: D. Bonau: qui huius nominis *Conuentualium*, ſtatim à principio non interruptum firmauit & probauit vſum: dum in Expos: Reg: S. Patris cap: 2. Ordinem Min: cognominat *Conuentualem* his præciſis. *Et quia plurimorum ad Ordinem venientium eſt deuotio manifeſta, ſufficiens eſt ad receptionem ſæcularium diſcretio in* Conuentualibus *Fratrum, maximè in loco generalium ſtudiorum*. Quæ S. Doctoris verba hunc faciunt ſenſum. Sufficiens eſt ad receptionem ſæcularium diſcretio in *Conuentualibus* Fratrum *Congregationibus*, ita, vt ablatiuus pluralis huius adiectiui *Conuentualibus*, mente ſubaudire faciat alium ablatiuum pluralem ſecum conſtruendum huius ſubſtantiui *Congregationibus*: maximè cùm diſcretio quæ dicitur ſufficiens ad receptionem ſæcularium, ſit actus iudicij rationalis, quæ

locis

locis inanimatis Materialibus Conuentualibus, nullo modo competere potest, nisi primò & per se ipsis congregationibus personalibus, per suum iudicium discretum, sæculares ad Ordinem recipientibus: locis autem nonnisi ratione Congregationum personalium, secundariò & per accidens. Hinc S. Doctor subiunxit loco cit: *Ideò Dñus Papa non relaxans hanc Regulæ partem, sed ad mentem eius dispensando, aspiciens Ordinauit, quòd in talibus locis, discretis fratribus receptionis auctoritas concedatur.* Ex quo patet, quòd in Conuentualibus locis principaliter respexit Congregationes Conuentuales, non loca Conuentualia. Sed esto per particulam in *Conuentualibus* Fratrum, subaudiuit *locis* tamen quia sciuit legem Canonicam, hoc Nomen *Conuentualis* principaliter accipi debere de personis, & non de locis, vt nos abundè Art: 26. n. 2. probauimus. Proinde in hoc Nomine *Conuentualis*, non verbum tenuit sed sensum, vim & potestatem eius apprehendit, vt ipsemet ibidem ff. de Legibus adducens inquit. *Quia scire legem, non est verbum eius tenere: sed vim & potestatem.* Ex quo patet quòd hoc Nomen *Conuentualis*, statim à principio Priuilegij Innocentiani, vsum suum habuit antiquitùs à S. Bonau: in Expos. Reg. subscriptum: qui Gen: Minister Min: Con: fuit electus an: 1256, qui à Nominis *Conuentualium* possessione fuit sextus.

4. Offertur & aliud authenticum testimonium ab eodem Seraphico Doctore, quod efficaciter euincit Nominis *Conuentualium* vsum, statim ab exordio suæ institutionis effloruisse: dum in Capit: Gen: Narbonæ celebrato An: 1260, qui fuit à Nomenclatura *Conuentualium* Minoribus data Decimus, Constitutionibus maturâ prudentiâ digestis, & editis, Nomen *Conuentualiũ* inscripsit, & eo vsus est cap: 8. in hæc verba. *In locis Conuentualibus infra septẽ dies, in nõ Conuentualib⁹ infra tres ad plùs suũ Officiũ exequantur Visitatores.* Et cap: 9. hoc verbatim scripsit. *Si verò Guardianũ non Conuentualẽ mori contigerit &c. Locum autem non Conuentualem dicimus, vbi duodecim Fratres & supra pro maiori parte anni non possunt debitè commorari.* Vbi S. Pater *Conuentualitatem* stabiliuit in duodenario Fratrum numero, non quidem ex ratione Conuentualitatis, cùm ipsa in Minori numero subsistere possit: vt ex Iure probauimus Art: 27. n. 7.

n. 7. Sed exinde vt aduertit B. Pius V. motu proprio, cuius initium. *Illa nos cura.* quia in Minori numero quàm duodenario, Fratrum Religiosa non posset fieri Obseruantia, vt refert Rodul: pag: 151. Wadin: autem Obser: ad annum 1252. n. 23. priorem tantum textum, ex cap: 8. retulit, & hunc secundum ex cap: 9. officiosè reticuit: eò, quia prior loca tantùm afficit non personas: Secundus verò afficit vtrumq;. Nè igitur pateret Nomen *Conuentualis*, personas insimul & loca afficiens: tantùm priorem adduxit, secundum ex industria dissimulauit: vt legenti libera tribueretur errandi facultas, nimirum opinandi, quòd nomen *Conuentualis*, tantùm loca Materialia (puta Ecclesias, Domus) afficiat & non personas, seu Conuentus, vel Ecclesias formaliter personaliter sumptas: & quòd Conuentus & Ecclesiæ personales, à locis Materialibus, appellationem *Conuentualium* deriuent. Cui oppositum demonstrauimus Art: 27. n. 6. Eadem arte vsus est Marchan: pag: 65.

5. Verùm potest quis obijcere, præfatos textus *Conuentualium* Nomen, in vsu ab exordio fuisse deducentes, non esse depromptos ex Constit: Narbonen: à S. Bonau: anno 1260. conscriptis, sed ex Constit: Gulielmi Farinerij communiter Farinerijs appellatis, in Comitijs Gen: Assisij anno 1354. editis, ex quibus textum primum ex 8. cap: se deprompsisse fatetur Wad: ad annum 1252. n. 23. Igitur primordialem huius Nominis *Conuentualium* vsum, non S. Bonau: nec statim à principio institutionis Innocentianæ, per prædictos textus comprobauit, sed a S. Bonau: centum post circiter annos, Gulielmus Farinerius, hoc Nomen *Conuentualium* suscitauit. Verùm si accuratè rem iuxta Historicorum patia asserta examinauerimus, certè Constitutiones quas à Generali cognomine Farinerias vocant, à Farinerio conditas non fuisse, sed a S. Bonau: compilatas, & Narbonæ in Capitulo Gen: anno 1260. editas manifestè comperiemus. Licet enim sub Nomine Farinerio Narbonenses anno 1354. prodierint Constit:, tamen eo anno non fuerunt scriptæ, sed duntaxat reassumptæ, & à Farinerio Min: Gen: vulgatæ & publicatæ, vt Wad: asserit ad eundem annum n. 9. inquiens. *Decretum fuit vt obseruarentur Con-*

ſtit: S. Bonau: quas Gulielmus Farinerius publicari curauit, earumq́; inuigilauit obſeruantiæ, quamuis nihil ſuum immiſcuerit: quâ de cauſa Conſtit: Farineriæ ſunt appellatæ. Hoc idem refert Memoriale Ord: Min: part: 1. fol: mihi 23. dicens. *Fuit Aſſiſij Gen: Capitulum celebratum, in quo iterum ordinatum eſt, quòd ſeruarentur Ordinationes Dñi S. Bonau: quas idem Miniſter Gen: miſit per omnes Prouincias Ordinis, & ab eodem Gulielmo Farinerio Nomen acceperunt, & Statuta Gulielmi Farinerij vocantur: quamuis in eis de ſe nihil poſuerit.* Idem dicit Haroldus tom: 1. Anno 1354. n. 4. *Farineriæ dictæ ſunt, licet ipſe ſuum nihil ferme poſuerit.* Et Michael Angelus Neapolitanus in Chronol: Seraph: ſub Capitul: Gen: 24. anno 1354. ait ſtatuta. *Gulielmi Farinerij vocantur, quamuis in eis nihil de ſe poſuerit.* Proinde quidquid legis & ſcripti Conſtit: Farineriæ ferant, non an. 1354. eſt ſcriptũ, ſed anno 1260. à S. Bonau: in Capitulo Narbonæ concinnatum, & vulgatum, primo decennio inito, à quo Nomine Conuentualiũ, primi Minores fuerunt inſigniti. Quare per allegatos textus, primordialis vſus Nominis *Conuentualiũ*, ſatis ſuperq́; exprimitur.

6. Sed vt ab ipſo principio ceu fonte profluentem, & continuò manantem huius Cognominis *Conuentualium*, non interruptum probemus vſum: iuuat dictarum Conſtit: à S. Bonau: conſcriptarum conſiderare continuam durationem, atq́; ſucceſſionem, quâ oſtensâ, ſimul quoq́; oſtendetur inuariatus, & non interruptus Nominis *Conuentualium* in eis bis ſubſcripti vſus, ac continuò durans perſeuerantia, apud primicerios Min: infimul cum dictis Conſtit: vſq; ad aduentum PP. Obſeru: ſeu de familia nuncupatorum, à primitiuo Ord: Min: Con: diuiſorum, firmiter perſiſtens. Vt enim refert Wad: ad annum 1260. n. 11. *Dictæ Conſtit: adeò maturè diſcuſſæ, & prudenter à tanto cœtu, præſide S. Viro, confirmatæ* Semper *viſæ ſunt Patribus Ordinis, vt non tàm nouas condere, quàm has à S. Bonau: præſcriptas confirmare, adiunctis alijs pro temporum neceſſitate, & varietate, conſultiùs iudicarint.* Primùm confirmatæ fuerunt in Capitulo Gen: Aſſiſij celebrato à Min: Gen: Bonagracia anno 1279, qui fuit ab inualeſcente cognominis *Conuentualium* vſu annus 20. Secundò approbatæ fuêre Aſſiſij tempore Generalatus Michaelis de Cæſena anno 1316. qui fuit ab

exortu

exortu Nominis *Conuentualium* 66. Tertiò reassumptæ fuère in Capitulo Gen: Marsiliæ. in quo electus fuit Min: Gen: Fortanerius Vasallus anno 1343. qui fuit ab agnomine *Conuentualium* nato 93. In hoc anno n. 6. ait Wad: *Peractâ electione decretum est, vt deinceps in Ordine obseruarentur Statuta Narbonensia; à S. Bonau: edita, addendis tamen quibusdam, quæ posteriorum temporum ratio iudicabat necessaria, reuocarentur verò omnes posteriores legum compilationes.* Quartò confirmauit eas Capit: Gen: Assisij celebratū sub Gulielmo Farinerio anno 1354. qui fuit Nomenclaturæ *Conuentualium* annus 104. Et abhinc deriuarunt Farineriam appellationem. Tandem superuenientibus PP. de Familia seu Obseru: in Capitulo Assisij celebrato anno 1430. fuerunt nouæ Constit: editæ Martinianæ à Martino V. appellatæ, tàm pro Conuentualibus quàm pro Obseru: conscriptæ, vt Rodul: pag: 243. testatur. Et ad hæc vsq; tempora Nomen *Conuentualium* præseferentes, & eius continuum vsum conseruantes perdurarunt, in quibus ipsummet *Conuentualium* nomen incessanter efflorebat; & quantùm erat necesse & expediens, vsui continuo se offerebat. Postea immediatè Constitutiones Narbon: (recepto iam Nomine *Conuentualium* pro appropriato, & à PP. Obseru: distinctiuo; in vsum vulgatum & Communem) exolescere cæperunt: quas superuenientes Obseru: ad modum suum in Barchinonenses & Vallisoletanas transcripserunt, quæ vocantur ab eis Const: Generales antiquæ; vt refert Wad: ad annum 1260. n. 1.

7. Quòd verò Constit: Narbon: nomen *Conuentualium* diutino tempore, à S. Bonau: per unum sæculum & ampliùs decurso referebant, & per continuum ac non interruptum vsum retinebant; approbat Firm: 3 Ord: 1. part: fol: mihi 24. b. in fine de vsu Nominis *Conuentualium*, eiusmodi syllabatim subijciens verba. *Hæc sunt quædam notabiles definitiones, factæ in parte & in parte renouatæ in Capitulo Narbonæ celebrato. Vbi præsidebat S. Bonau: tunc Gen: Min: quibus apparet feruor vitæ, & zelus paupertatis, & abiectionis præcedentium PP. Nostrorum Conuentualium.* Ex quo deducitur Nomen *Conuentualium*, statim à principio Constit: Innocentianæ fuisse in continuo vsu, nec esse Nomen nouum, nec redolere rela-

xationem: vt liberiori nimis quàm par eſt calamo ſcripſit Mar-
cha: pag: 67. & pag: 490. cui adſtipulari videtur Wadin: deſcri-
bens nouellam reformationem Fratris Pauli de Trincis laici, fun-
datoris familiæ PP. Obſeru: in Polonia vulgò Bernardinorum;
ſic de nomine Conuentualium ad annum 1375. n. 44. fingens:
Deinde multiplicatâ hac reformatione, peculiare factum eſt illis. (ſupple
Nomen Conuentualium) *qui reformationem non admittebant, atq;
in eo ſenſu nunc hoc Nomen vſurpatur.* Sed hæc eſt mera fabulatio,
ſenſus Nominis Conuentualium, nulla ratione niſi affectu erro-
neo ſuffulta, contra auctoritates trium Summorum Pontificum,
inuecta, & excogitata, vt probauimus Art: 24. n. 2. Non licet
autem ſecundùm legem ad placitum recedere à certa verborum
forma, quæ iuxta ff. de legibus *importat vim & poteſtatem ſignifi-
candi* à primis inſtituentibus auctoritate pollentibus, ſibi impoſi-
tam, vt dicitur de reſcriptis cap. *Cùm delicta.* & de decimis cap.
Ad audientiam. verba enim poſita ad vnum finem, ad illum ſunt
interpretanda, & non aliter, vt habetur in cap: finali *de verb: ſi-
gnif.* Sed qui his non aquieſcit vt enim ait Ioannes XXII. in Ex-
trau: quæ incipit. *Quorundam exigit* dicens *ſententiæ namq; varian-
tur vt capita, & in ſtolidis opinionibus creſcit phantaſia.* tunc talis re-
linquendus eſt ſuo cerebro, inſanabili pertinaciæ innutrito, vt
habetur in principio infort. in Glos: 1. *De nominibus diſputare re-
linquitur pertinacibus.* Deinde ſi ſecundùm Wad: Nomen *Conuen-
tualium,* ſignificat eos Minores, qui reformationem non admitte-
bant, iam ſequitur PP. Obſeru: reformationem Patrum Capuc:
& ſuorum ſtrictioris Obſeru: Recollectorum non admittentes,
per identicam rationem debere vocari *Conuentuales.* Et quia aſſe-
rente Franch: in Stat: Relig: Franc: etiam his temporibus aſſurre-
xerunt Recollecti nouelli Reformatorum, ſtrictiori Obſeru: ſtri-
ctiorem Reformationem profitentes; Hinc priores Recollecti
horum nouellorum reformationem non admittentes, ſecundùm
Wadingi rationem identicam, manebunt Conuentuales appel-
landi ex ſenſu *Conuentualis* à Wad: confiᴄto.

8. Et cùm S. Bonau: tunc Min: Gen: in eo Capit: Narbonæ
celebrato, tanta maturitate, tamq; prudenti ac diſcreto zelo, illas

Con-

Constit: condidisset, vt postea successu temporis variantis exigente, siue nouæ inducerentur, siue priscæ obliuione antiquarentur leges, nullæ priùs & frequentiùs reuixerint, & diutiùs durauerint, quàm Narbonenses *Conuentualium* nomen inscriptum ferentes: vt deduximus supra n. 6. Attamen Benedictus XII. his Constit: S. Bonau: plura addidit & mutauit, vt asserit Wad: ad annum 1260. n. 11. his verbis. *Benedictus XII. seu vt alij numerant XI. plura addidit & mutauit, anno 1326. regente adhuc eodem Gerardo, largiores faciens habenas, quàm quæ veræ Regulæ Obseruantiæ expediebant, sed restrictæ sunt per Patres Ord: in Comitijs Marsiliensibus anno 1346. dum eligeretur Fortanerius Vasallus.* In his pauculis versibus quater lapsus suis contradicit assertis Wad: (nisi error irrepserit in numerorum Notas) nam in anno 1326. non Benedictum XII. vel XI. Summum Pontificem, sed Ioannem XXII.: neq; Gerardum Odonis, sed Michaelem e Cæsena Min: Gen: fuisse asserit, sub anno 1326. vt annales eius reuoluenti liquidò constare poterit. Neq; Constit: Benedicti XII. anno 1346. restrictæ fuerunt, nec eo anno Fortanerius Vasallus electus est Minister Gen: sed anno 1343. in Comitijs Marsiliæ celebratis, vt ipsemet Wad: ad eundem annum n. 4. astruit cum Rodul: pag: 241. & sub dicto anno 1343. n. 8. subdit hæc verba. *Accedens Fortanerius Minister Gen: ad Pontificem* (puta Clementem VI) *impetrauit, vt Statuta Benedicti XII, præsertim circa electionem Custodum & Guardianorum primò suspenderentur, deinde penitùs renouarentur.* Ex quo patet tum in annali tempore, tum in cit: Summis Pontificibus & Ministris Gen: nominatis, errasse Wad: Hoc ideò recensere placuit, vt aduertamus nullum Scriptorem quantumuis accuratum, omnibus numeris absolutam posse habere perfectionem; nec omnibus horis esse sapientem: ita, vt ei non possit obijci hoc, quod ipsemet alteri antea obiecisset Vnde dicitur. *ab altero expectes, alteri quod feceris.* prout Wad: frequenter facit contra Rodul: vt aduertimus Art: 28. n. 1. Concesso ergo Constit: Narbonenses mutatas fuisse à Benedicto XII. non anno 1326. vt asserit loco supra cit: Wad: sed anno 1337. Caturci, vt ipsemet Wad: sub eodem anno asserit n. 3. & Rodul: pag: 240. b. tamen vt Nominis *Conuentualium* vsus, ab exordio nunquam in-

fermiſſus noſcatur, etiam in iſtis Conſtit: Benedictinis non fuit variatus, ſeu immmutatus, ſed confirmatus & probatus; prout eſt videre in illis, Bullæ Benedicti XII. quæ incipit. *Redemptor noſter.* inſertis & confirmatis cap: 20. in hæc verba. *Guardiani in ſingulis locis Conuentualibus dicti Ordinis eligantur per Conuentus eorundẽ locorum, nec in huiusmodi electione vocem habeant fratres alij non Conuentuales, licet morentur ibidem.* Hæc Bulla Benedicti XII. cum Conſtit: ei inſertis habetur in Chronol. Seraph: Patris Michaelis Angeli de Neapoli tom: 1. Capitulo Gen: 22. quam cum textu ſuo Wad: in ſuis annalibus diſſimulauit, ob rationem à nobis expreſſam ſupra n. 4. Deinde per præfatas Conſtit: Benedictinas, vſus Nominis *Conuentualis* fuit per totum Chriſtianum Orbem diffuſus, quia iſtiusmodi Conſtitutiones, vt aſſerit Wad: ad cit: annum 1337. n. 3. fuerunt *inde miſſæ ad ſingulas Prouincias.*

9. His manifeſtis ex Conſtit: Ord: recenſitis, quibus clarè probatur, ab initio ſtatim Conſtit: Innocentianæ, praxis ſeu vſus huius agnominis *Conuentualium* nunquam fuiſſe intermiſſus. Adiungendum etiam venit non tantùm ex Conſtit: Ordinis, ſed etiã aliunde quacunq; neceſſitatis ex cauſa, in praxim inductum fuiſſe. Cuius ſit primus teſtis Aluarus Pelagius, de planct: Eccl: lib: 1. cap: 36. qui de Petro de Corbaria Antipapa (diu in putatiua Regulæ Obſeruantia viuente, & à Ludouico Bauariæ Duce Imperatore electo, & à Joanne XXII. Eccleſiæ Cõmunione interdicto, in Papatum militari tumultu intruſo, poſt vincto, & in carcere triennali ærumnis confecto, ex teſtimonio Rodul: pag: 205.) ſic ſcribit. *Petrus de Corbaria, quem cognoui in virum hypocritam cùm Conuentualis eſſem, ibi Romæ in Aracæli decimantem mentam, & anetum.* quibus verbis expreſsè Aluarus Pelagius ſe confitetur *Conuentualem* fuiſſe, & in Aracæli Conuentualiter vixiſſe. In Aracæli namq; *Conuentuales* permanſerunt, antequam PP. Obſeru: mundo apparuiſſent, vſq; ad Eugenium IV. vt diximus Art: 14. n. 18. Cuius tempore PP. Obſeru:, è gremio Conuentualitatis enatis, & iam tunc adultis filijs, eo loco tanquam paterno hæredio, Patres Filijs *Conuentuales* ceſſerunt. Quo teſtimonio Aluarus Pelagius, qui erat diſcipulus Scoti, Antagoniſta Ochami, & Ioannis XXII. tunc Pænitentiarius, circa annum 1320. florens, confirmat hoc Nomen *Conuentualium* ſuo tempore fuiſſe in vſu.

10. Ad-

10. Adiungendum etiam non importunè venit instrumentum authenticum, ab erudito Scriptore Ioanne Franch: in suo Opusc: 2. sect: 7. n. 10. studiosè exaratum, & ab Vguuione Olilandi quondam Pipi Vguuionis, Pero Ciue Cortonense notario, anno 1392. Indict: 15. Die 25. Nouembr: Bonifacio IX. Pontifice, & Venceslao Bohemorum Rege Imperatore, in publicas tabulas Cortonæ relatum: in quo concessio Oratorij S. Basilij Min: Con: dicati adnotatur, & redditus præfati Oratorij Monialibus, cum conditione Eleemosynæ Fratribus *Conuentualibus* perpetuò pendendæ inscribuntur in hæc verba: *Sorores dicti Monasterij,* &c. *prouidere dignentur & debeant perpetuò de victu & vestitu in eorum necessitatibus Fratribus Conuentualibus dicti Ordinis in dicta Ecclesia &c. tradentes, concedentes, & committentes dicto Ordini Fratrum Min: Conuentualium in hac parte totaliter, omnes eorum, & dicti Communis & populi, & ciuium ciuitatis Cortonæ, in prædictis, & quolibet prædictorum vices & voces* &c. *Supplicantes Venerabili Religioso Fratri Merigo Martini de Massa, Ord: Min: dignissimo Magistro Prouinciali Ministro dicti Ord. in hac Prouincia Tusciæ, & in dicto Consilio personaliter constituto, quatenus ipse & dictus Ordo dignetur prædicta acceptare.*

11. Ex quibus omnibus allegatis & productis, habetur agnomen *Conuentualium* ab Innocentio IV, quasi ab exordio ipsius Religionis Anno 1250. Minoribus concessum, à S. Bonau: in Expos: Reg: ad cap: 2. expressum. In Constit: Narbonen: anno 1260. scriptum: Ab Aluaro Pelagio anno 1320. conceptis verbis confessum; In Constit: Benedictinis anno 1337. expressum, & confirmatum. In Fortanerijs anno 1343. memoratum. In Farinerijs anno 1354. continuatum. Postmodum in instrumento authentico nouissimè adducto, Cortonæ anno 1392. exaratum; & deinceps superuenientibus PP. Obseru: nè nomen vtrisq; *Minorum* commune, confusionem & incertitudinem humanis ingereret animis: ad distinctionem manifestam Min: Con: à Min: Obseru: inoleuit frequentatum, & vsq; in hodiernam diem incessanter remanet continuatum: vt vel eo solo indice, continua & non interrupta, à primis Min: Con: Ordinis agnoscatur, vera & legitima successio. In annis autem & locis relatis patenter agnomen

Conuen-

Conuentualium agnoscitur, tum personas, tum loca, tum Religionem, integrumq; Ordinem afficiens, & inuestiens, ac denominans. Exinde non potest cum veritate asserere Wadin: nomen *Conuentualium* afficiens personas, ante annum 1354 in Ordine Min: non fuisse auditum, vt intuenti oculato, etiam sine conspicilijs patescit. Multò magis erubescere deberet Petrus Marcha: Obser:, qui in sua expos: lit: Reg: de nominis *Conuentualium* sensu, fabulas confinxit, nullo fundamento nisi suo cerebro innixus.

12. His omnibus recensitis graues & eruditi Scriptores subscribunt. Et primus sit Emin: S. R. E. C. Ioannes Bapt: de Luca, ob sui fæcundissimi ingenij singulare acumen, Orbis Magister acclamatus, in suo libro Italico idiomate conscripto & vocato Illustr: Religioso prattico cap: 33. n. 2, loquens de Religione Minorum: à quo, vbi, & quando fuit fundata: & concludit Innocentium IV. in illis primis temporibus suo decreto declarasse, primitiuos Min: posse licitè vti hoc vocabulo *Conuentualium*: loquens verò de Ordinis diuisione, & PP. Obseru: sub Leone X. anno 1517. a Conuentualibus nuncupatiuè diuisis n. 11. subiungit. *Ab opposito alijs ex instituto suo bonorum & redditūum capacibus, remansit supra dictum Antiquum nomen Conuentualium.* Paulus etiam Moriggia Mediolanensis ex Ord: Iesuatorum libr: de Origine Religionum Italicè quoq; conscripto cap: 73. tit: Gl. Ordini chè Sotto S. Francesco Militano; hos Ordines recensendo: dat hæc præcisissima verba. *Ordo Franciscanorum Conuentualium, qui fuerunt primi, qui secuti sunt Patrem S. Franc:, habuit principium anno Communi salutis 1212, Ordo verò Soccolantium, habuit principium à S. Bernardino anno Communi 1412.*

13. Pater Ricciolius Ferrariensis Scriptor insignis è Societate Jesu, in sua Chronol: reformata tom: 3. part: 3. Catal: 6. de fundationibus Ordinum Militarium & Claustralium ita scripsit. *Franciscanorum Conuentualium Ordo à S. Francisco Assisinate institutus anno 1207. vel vt habet Genebrardus 1209. confirmatus est anno 1212. ab Innocen: III. & ab Honorio III. anno 1223.* Et de Ordine PP. Nostrorum Obseru: scribens inquit. *Minorum Obseruantiæ Ordo dictus Lignipedum, seu Soccolantium institutus à S. Bernardino Senensi circa annum*

num 1400. reformante Ordinem S. Francisci. Laertius Cherub: non contemnendæ auctoritatis Scriptor, & Iurista præclari Nominis; collector & Summator Bullarij Magni tom: 7. pag: 46. Summando Bullam V. Honorij III. quæ incipit. *Solet annuere.* Dat: Later: 3. Kal: Decembr. Pontificatus anno VIII, qui fuit annus 1223. (iuxta assertum in Compend: Bull: Flauij Cherub: filij eius) loquitur his verbis. *Primus Ordo est horum Fratrum Minorum, qui huius Regulæ stricta Obseruantia ommissa, vixerunt iuxta Priuilegia obtenta à Sede Apostolica, & Nomen Conuentualiũ sortiti tẽpore Innoc: IV.* Item in Constit: 5. Alexandri IV. *Ex parte vestra.* Dat: Later: anno primo qui fuit 1254. sic summat. *Quòd Fratres Min: Con: Ord: S. Francisci ad Episcopatus & alias dignitates promoti* &c. tom: 1. Bull: pag: mihi 85. Minoresq; antiquissimos, semper Min: Con: nominat, vt patet & ex duabus cit: & ad Constit: IV. Gregorij XI. de Protectore, & ad Constit: 13. Martini V. declaratoriam Regulæ & ad Constit: VI. Sixti IV. &c. Flauius quoq; Cherub: præmissi filius: in Compend: Bull: Scholio 1. ad Bullam VII. Innocentij IV. quæ incipit. *Cùm tanquam.* Cuius annus fuit 1250. sic scribit. *Fratres Conuen: vsq; in hanc diem nuncupantur, cæteri verò similes aliorum Ordinum Religiosi, non: quia illi vt arbitror hoc priuilegio Conuentualitatis donati fuerunt.* Et faciens distinctionem inter Bullas Clementis IV. & Clem: V. in responsione ad Bullam Clem: IV. quæ incipit. *Obtentu Diuini.* Cuius annus fuit 1265. concedentis Minoribus Con: in bonis temporalibus legitimam successionem, in quibus succederent si in sæculo existerent, sic scribit: *Loquitur ille Clemens* (puta V.) *de Fratribus Min: de Obseru: iste verò* (puta IV.) *de Conuen: Prout sic aduertit etiam Eman: Rodericus tom: 2. QQ. Reg: Q. 79. Art: 1.*

14. Idem Roder: Obseru: QQ. Reg: tom: 1. quæst: 2. Art: 3. sic scribit. *Reformatio Fratrum de Obseru: exijt à Fratribus Conuen: & cæpit anno Dñi circiter 1414. iuxta Concil: Constant: Decretum, sed & formam & Ordinem dedit postmodum Bernardinus de Senis, vir egregiæ sanctitatis, & gratiæ & feruoris.* Qui Auctor Obseru: veritate victus, Religionem Min: Con: fatetur esse Matricem, Fontem, & Originem; Reformationem verò de Obseru: dicit esse Filialem, quæ

quæ exijt à Conuentualibus. Idem Franciſcus Gonzaga Ex-Generalis Obſeru: & poſtea Epiſc: Mantuanus de Orig: Seraph: Relig: part: 1. fol:44. aſſerit. *PP. Conuentuales Obſeruantibus multò antiquiores eſſe & Obſeruantes à Conuentualibus originem ducere.* Ad quā auctoritatem reſpondet March: pag: 494. cauillando & lectorem eludendo, inuito textu, explicans Gonzagam Nomen Conuen: vſurpaſſe ait in ſignificatione priori, in qua primò vt diſtinctiuum appropriatum fuit Fratribus viuentibus ſub Miniſtris Prouincialibus: vt ſe explicat pag: 490. inquiens. *Vt diſtinguerentur contra Fratres de familia ſiue de Obſeru: ſub Vicarijs Prouincialibus, ſiue etiam ſub Vicarijs Gen: viuentes.* Non autem in ſignificatione poſterioris temporis, quo impoſitum fuit ad ſignificandos Fratres qui (vt ibidem dicit) *Bona & redditus in Communi poſſident, ac alijs Priuilegijs Regulæ rigorem relaxantibus gaudent, ac ſub eiuſmodi Priuilegijs explicitè profeſſionem emittunt, quales ſunt illi, qui per Leonem X. ſub Magiſtris Generalibus & Prouincialibus, in corpus particulare ſeparati ſunt.* Concludit ergo Marchan: cit: pag: 494. dicens. *Senſus igitur eſt quòd Conuen: ſint antiquiores Obſeruantibus, non huius nominis diſtinctione; ſed quia Fratres de Communitate in eos deuoluti ſunt, à quibus Patres de Obſeru: antequam Conuentuales nuncuparentur exierunt.* Sed excepta contradictione quæ familiaris eſt Marchantio affirmanti Nomen: Conuen: appropriatum fuiſſe *fratribus viuentibus ſub Miniſtris*, qui tunc bona immobilia poſſidebant, vt oſtenſū eſt in recenſu Min: Gen: & poſtea cōtradictoriè neganti eos nuncupatos fuiſſe Conuentuales his verbis. *A quibus Patres de Obſeru: antequam Conuentuales nuncuparentur exierunt.* Si vocabantur Conuentuales viuentes ſub Miniſtris, à quibus Patres de Obſer: exierunt? quomodo ergo ab eis exierunt antequam Conuentuales nuncuparentur? Iſte luſus verborum, tunc pro ſerio acceptabitur, quando Marchan: ex Gonz:, per Bullas authenticas impoſitam oſtendet hanc poſteriorem nouam Nominis Conuen: ſignificationem, quæ reprobata eſt Art: 28. n. 5. & 6. Vel communitatis antiquæ in Conuentuales recentes, per differentiam realem deuolutionem demonſtrabit, abſq; ſui cerebri fictione. Ipſiſſima enim eſt in natiua ſignificatione antiqua atq; præſens *Conuentualium*

tualium communitas, nomine Min: Con: significata, & eadem Priuilegia amplexata, sine vllo discrimine, vsq; in præsens inuariatè perseuerans, vt probauimus Art: 9. n. 27.

15. Ex quibus auctoritatibus tam Illustrium Virorum, præmissis in hoc Art: rationibus, hoc idem clarè demonstrantibus coniunctis; euidenter habetur Nominis *Conuentualium* satis antiquus ac primordialis vsus, quem omnes Obser: Viri graues, verè veritatem sapientes, & eam vincere contra conscientiam facti & veri non attentantes, vnanimiter confitentur. Sciolis, & saperdis nonnullis paucis exceptis, qui noui recentesq; venientes, & antiqua historiæ fundamenta ignorantes, sed solùm aniles fabellas ex confictis traditionibus compilantes, vanitatis potiùs per hoc ipsum efficiuntur Obseruantes, quibus illud Psalmi appositè quadrare potest. *Odisti obseruantes vanitatem superuacuè.* Et reuera Conuentualibus hoc ipsum nomen Conuen: suauiùs est atq; iucundiùs, quia à primis ipsorum Patribus deriuatum est: sicut maxima contigit consolatio Ioseph Deiparæ Sponso, quando ab Angelo Ataui Dauidis nomine se sensit appellari. Nec minorem Petrus iucunditatis habuit ansam, cùm à Christo Bar-Iona, & Simon Joannis interpellatus fuit. Denominatio siquidem à Maioribus sumpta, summæ lætitiæ est atq; fauoris indicium. Hinc illi vicini & cognati Elisabeth, magnificatam à Deo cum ipsa misericordiam ei congratulantes, hanc consuetudinem lætitiæ ex nomine maiorum suorum in se deriuatæ experientes, voluerunt Ioannem vocari nomine Patris sui Zachariam: Nouitatem in nouo nomine Joannis extimescentes, & arcanum Diuinæ dispensationis ignorantes dicebant. *quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Non absimiliter & Min: Con: scientes Regulam & Vitam Fratrum Min: esse Sanctum Dñi Nostri Jesu Christi Euangelium obseruare, & quòd primitiui Min: S. Euangelij feruentes Obseruatores, non vocauerint nomina sua ab Obseruantia eiusdem: obseruantes illud Luc: 17. *Et vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite serui inutiles sumus.* Sed dumtaxat, pro hoc humili *Conuentualium* cognomine (quod ad vnam Regulam, vnamq; vitæ communitatem vniformem significat ani-

mum) iteratis precibus Summo Pontifici supplicauêre. In quo Moderni Min: Con: à Patribus suis non degeneres, sed directè descendentes gloriantur: antiquum lætabundi Patrum suorum cognomen possidentes, quos in Cælestibus Regnis veros intercessores, & interpellatores præsentiunt, & gratia ac misericordia Dei largiente: Sperant habere consortes.

ARTICVLVS XXX.

In quo aliqua Petri Marchan: fabulosa contra cognomen Conuentualium *asserta refutantur ac reprobantur.*

1. SÆuit abundè Petrus March: in sua titulo præstigiosa Expos: Reg: præcipuè in proemio, & in 1. atq; 8. cap. Reg: nō solum Regulā, Statū, professionem: Sed etiā ipsū cognomen *Conuentualiū* dehonestare, maculare, & propria significatione, à Sūmis Pontificib⁹ dignanter donata, spoliare totis conatur Virib⁹, vt in diuersis Art: vel volantibus oculis lectori licebit videre. In præsenti Art: tantùm pro cōplemento debitæ notitiæ cognominis *Conuentualis*, eius aliqua asserta discussuri sumus, alibi de Statu, Regula, & Professione *Conuentualiū*, contra eius figmenta tractaturi. Imprimis pag:491. concludit his verbis. *A tempore S. Franc: vsq; ad Concil: Constant: nullus frater in Ordine fuit vocatus Conuentualis nomine appropriato aut distinctiuo, vt in 2. notabili sumitur.* In secundo autem notabili, ita nomen Conuentualis explicat. *Primò appropriatum est Fratribus viuentibus sub Ministris Prouin: vt distinguerentur contra Fratres de Familia, siue de Obseru:, sub Vicarijs Prouin:, siue etiam sub Vicarijs Gen: viuentes. Cuius appellationis fundamentum fuit, quòd dicti Fratres de Familia, primùm in locis paruis & solitarijs, siue etiam eremitorijs, cum paruis Oratorijs pauci simul habitarint.* Hoc primum totum putidum est mendacium, quia ante Concil: Constant: (quod teste Rodul: pag. 243. inchoatum fuit anno 1414: & terminatum in anno 1418.) longo interuallo Fratres Min: fuêre vo-

cati *Conuentuales*, & totus Ordo Min: Conu:, vt vidimus Art: præc: n. 10. Et Aluarus Pelagius seipsum appellauit *Conuentualem* vt vidimus n. 9. Et Benedictus XII. tantùm Fratres Min: Conu: in electione Guardiani vocis capaces declarauit; non Conuentuales verò, electioni se immiscere prohibuit, vt dictum est n. 8. Et S. Bonau: Artic: præc: adductus, tum in Expos: Reg: tum in Constit: Narbonen: Fratres Conu: vocauit, tam illos Discretos, quorum discretio sufficiens est ad receptionem sæcularium in Ordinem, quam illos Guardianos, non Conuentuales distinctos à Guardianis Conuentualibus. Omnes isti præfati censentur Fratres, & afficiuntur personaliter, hoc cognomine *Conuentualis*, & omnes longe ante Concil: Constant: appellabantur *Conuentuales*; Ergo falsum est Marchantij assertum, concludentis, potiùs lectorem eludentis, istiusmodi asserto, quòd *à tempore S. Francisci vsq; ad Concil: Constant: nullus frater in Ord: Min: fuit vocatus Conuentualis.*

2. Illud autem quòd in 2. Notabili adduxit assertum, quamuis verum sit in eo sensu, quem Art: 25. n. 1. explicauimus, falsum tamen in hoc, quòd Fratres sub Ministris viuentes, à viuentibus sub Vicarijs, solis Conuentuali, & eremitico distinguerentur locis, vel vita Conuentuali, & eremitica, & non alio Regularis Obseru: ritu. Alioquin frustra Paulutius Trincius orsus fuisset suam reformationem sub Vicarijs in locis pauperculis, seu eremitorijs: Si Fratres eadem Regulæ Obseruantia, etiam in modificantibus, ita viuerent in locis Conuentualibus, sicut in eremitorijs: non enim Hierosolymis, Romæ, vel in Sarmatia, aut vltima Thule viuere, importat distinctionem Obseruantiæ, si vita moribus professa, præter distinctionem localem, & modum Conuentualiter, ac eremiticè viuendi, tam in substantialibus, quàm in modificantibus Regulæ, sit vna par, & æqualis. Nec sufficienti motiuo vitæ eremiticæ, Ministri Gen: permoti fuissent, ad committendum eremicolis proprios Vicarios, si vtrobiq; par esset viuendi ratio, vt patet de D. Antonio Patauino, B. Ægidio, & alijs S. Franc: Socijs, qui pro recollectione intimiori, frequenter eremitoria incolebant, & tamen nunquam Vicarios seu Commissarios, totius fami-

familiæ eremiticæ, à Ministris Gen: postulabant: ob identicam vtrobiq; in Regula viuendi rationem: nisi tempore Paulutij, primi Obseruantinorum, in cætu Reformato Antesignani: quia iam tunc primitiui Min: Con: in modificantibus per Priuilegia Apostolica, obseruabant Regulam S. F. temperatam; in locis Conuentualibus viuentes, vt clarè ostendimus in recensu Ministrorum Gen: ante exortum Paulutianæ reformationis. Infra id ipsum fusiùs probaturi. Hinc arctiorem vitam ducere anhelantes, à Cōuentualibus ad eremitoria recedebant, proprios nacti propter strictiorem Obseru: Vicarios: qui non tantùm; modo vitæ eremiticæ, & locis, à Conuentualibus seiungebantur, sed etiam Obseruantiâ in modificantibus Regulæ accidentaliter strictiori; ab illis qui manebant sub Ministris, distinguebantur, scilicet Conuentualibus.

3. Secundum assertum de primitiuo cognomine *Conuentualium* pronuntiat Marchan: pag: 515. dicens. *Nullum ex omnibus Generalibus vsq; ad trigesimum secundum fuisse aut Conuentualem, aut ex Conuentualibus assumptum.* Et rationem assignans inquit. *quia hoc nomen Conuentualis vt est distinctiuum ab Obseru: non fuit vsurpatum ante Concil: Constant. & Eugenium IV: adeòq; cùm tales Conuentuales ante ista tempora non fuerint agniti, qui ante tempora ista ad Generalatum assumpti fuerunt, Conuentuales dici non potuerunt.* Sed hæc licentia Poetica effata, innituntur rationi sine ratione prolatæ, & duntaxat fabulosè de fonte Cabalino deriuatæ: Si enim omnes Min: Gen: S. Francisco immediatè succedentes illi fuerunt, qui anno 1250. ab Innocen: IV. cognominati sunt *Conuentuales*, iam constat omnes fuisse Conuentuales & ex Conuentualibus assumptos: cùm nullus tunc extabat alius Ordo Reformatus Minorum: nisi ipsemet solus originarius *Conuentualis*. Hoc etiam Nomen *Conuentualis* vt nunc est distinctiuum Conuentualium ab Obseru: fuit vsurpatum, & in vsu positum, ante Concil: Constant: & Eugenium IV. vt in Art: præc: à S. Bonau: 7. Min: Gen: exordiendo vsq; ad aduentum modernorum PP. Obseru: manifestè deduximus. Deinde Nomen *Conuentualium*, eorundem distinctiuum ab Obseru: eandem rationem originalem incommunicabilem, velut

diffe-

differentiam essentialem distinctiuam includebat, ante tempora Concil: Constant: & Eugenij IV, & ante annum 1368. (antequam Patres Obseru: mundo nati fuissent, aut a Paulutio reformationis principium deriuassent) quam etiam includit hodie. Hanc verò rationem Nominis Conuentualium distinctiuam, incommunicabilem, & differentialem, ab Ord: filiali Obseru: & a quocunq; aliò quantùmuis Conuentualiter viuente, satis expressimus Art: 28. n. 10. & 11. Proindè hic non repetendam.

4. Imò eandem rationem constitutiuam agnominis *Conuentualium* & distinctiuam, ab Ord: Obser: necnon contractiuam sensus Nominis *Conuentualis* Art. 24. n. 2. à tribus Pontificibus determinati; ampliùs in suis prædicatis essentialibus Art: 28. n. 12. & 13. deduximus. Vbi vlteriùs ampliora prædicata, eiusdem Nominis *Conuentualis* essentialia ostendimus; quæ si Marchantius quoq; de suo Ord: Obseru: verificabilia ostenderit, do vinctas manus. Nec obstat, quòd ante tempora Concil: Constant: & Eugenij IV. non fuerit in tam frequenti vsu, nomen primitiuum *Conuentualis*: hoc enim prouenit ob rationem à Nobis assignatam Art: 29. n. 2, non tamen sequitur, quòd tunc non fuerit Ordinis primitiui Conuentualis distinctiuum, à quocunq; Ordine alio possibili; maximè sub nomine Minorum pullulabili: licet tunc Ordo Obseru: vel nondum fuerit natus, vel saltem in suo Corpore ab Ordine Originario Conuentuali distinctus, & institutus. Sicut si per hypothesim tantùm vna in vniuerso inueniretur species atoma, quæ alias non haberet, à quibus actualiter distingui deberet: non sequitur quòd illa species solitaria, non haberet actualiter sua prædicata essentialia sui constitutiua, & in actu primo a quacunq; specie alia possibili, eam distinguentia, licet actualiter & in actu exercito, eam ab alijs vt distinctam non denominantia; nec per denominationem distinctionis pro talibus agnita forent: sed duntaxat emergente de nouo altera specie, nouam denominationem sortiretur, sed ab antiquis suis principijs mutuatam: ad distinctionem nouellæ recenterq; pullulantis. Sic discurrendum est de Nomine *Conuentualis*. vt distinctiuo, ab Ord: filiali Obseru: recenter enato, & antea possibili.

5. Terti-

5. Tertium assertum Marchan: eadem pag: 515. non lauro sed hædera coronandum, exponit huiusmodi. *A tempore Concilij Constant. Generales omnes vsq; ad Fratrem Christophorum de Forliuio ex Conuentualibus assumpti sunt, non vt modo Conuentuales sunt, bona temporalia possidentes, sed prout Nomen Conuentualis omnes complectitur, qui sub Ministris viuebant, etiam Reformatos seu Fratres de Obseru: Regulari sub Ministris.* Sed quòd omnes Min: Gen: S. F. immediatè succedentes ante Concil: Constant: fuerint *Conuentuales*, iam ostensum est supra n. 3. Licet enim nomen *Conuentualium* Ordini primitiuo Min:, ab Innocentio IV. fuerit inditum anno 1250. sub Generelatu B. Joannis Parmensis, vt diximus Art: 5. n. 15, tamen quia iidem Minores ipsiq; originarij extiterunt, post cognominis Conuentualis consecutionem, qui fuerunt ante eius concessionem & cognominationem, non mutati, non variati, quò ad rem, vt latè probauimus Art: 28. n. 17. & 18. atq; 19. Hinc recta ratione omnes Ministri Gen: à S. F. immediatè descendentes, possunt & debent dici fuisse *Conuentuales*: etiamsi ante Parmensem non denominarentur *Conuentuales*. Quia dum fuerunt iidem & eiusdem Ord: cum his qui hanc denominationem quasi ab initio Ord: (vt diximus Art: 28. n. 5.) paulò post subierunt, comparantur vt Minores priores, ad seipsos eiusdem Ordinis, & rationis: posteriori denominatione nuncupatos *Conuentuales*: sibi eidemq; inuariato Minorum Ordini, Originem & successionem à S. F. immediatè descendentem, & defluentem sine interruptione, sub Nomine *Conuentualium* concatenatam suis posteris transmittentes directè, & transfundentes: Sicut de facto successu & posterioris temporis defluxu, iidem Conuentuales nuncupati non interruptè, directa linea, naturali duratione continuata, & conseruata originariam institutionem, ab ipso originali fonte, per natiuum & Magistralem alueum semper decurrentem, nec per collaterales riuos seu ramos diuertentem, & dilabentem, vsq; ad præsentes Ministros Gen: Conuen: transmiserunt, & transfuderunt: quod Marchan: nudè negando, nec quidquam probando, sua fronte falsum esse astruit. In solis Priuilegijs Apostolicis modificantia paupertatem Regulæ temperantibus, & remittentibus.

tibus, ſuarum rationum energiam ſtabiliens: acſi Priuilegia Apoſtolica bona ſtabilia, redditus, prouentus, &c. concernentia: Regulam in eſſentialibus minuerint, & euiſcerarint, ac veluti ſemitruncam, ceu cadauer Nominis Reg: conſtituerint; Quod temerarium aſſertum, contra Concil: Trident: determinationem pugnans, infra n. 7. n. 8. luculenter demonſtramus.

6. Aſſertum autem quo aſtruit omnes Miniſtros Gen: poſt Concil: Conſtant: vſq; ad Chriſtophorum de Foroliuio fuiſſe Cõuentuales, *ſed non vt modò Conuentuales ſunt, bona temporalia poſſidentes.* Merum figmentum eſt, ſuo cerebro excogitatum: vt clarè deduximus Art: 26. n. 4. & vltra: Senſum Nominis Conuentualis, non eſſe eum, quem fingit Marchan: oſtendentes; ſcilicet prout ſignificat Fratres Min: ſecundùm Priuilegia viuentes, bona & redditus poſſidentes. Et datâ ſed non conceſsâ auctoritate March: ad phantaſiam ſuam, præfatum ſenſum huic Nomini *Conuentualis* imponente; tamen falſum dicit, quòd Conuentuales, poſt Concil: Conſtant: ad Generalatum aſſumpti & ſucceſſione immediatâ, vſq; ad Chriſtophorum de Foroliuio, ſine interruptione perducta decurrentes, non poſſederint bona temporalia in communi, cùm conſtet totum Ordinem Min: Con: & ante & poſt Concil: Conſtant: bona temporalia, redditus, prouentus, per Priuilegia Apoſtolica: hæc omnia ſibi licitè conceſſa poſſediſſe, vt clarè patet in recenſu Miniſtrorum Gen: à Nobis, non minùs hiſtoricè quàm verè compilato, & non nudè nec ex Chymerico conceptu (vt cerebroſa Nominis Conuentualium expos: March: garrit) ſed authenticè hæc omnia probante, & demonſtrante ex Bullis Pontificijs & probatis Auctoribus collecto, maximè Art: 9. n. 27. & Art: 31. & Art: 32.

7. Hoc totum quantùm ad bona temporalia, redditus & annuos prouentus, ante & poſt Concil: Conſtant: a Min: Con: per Priuilegia Apoſtolica poſſeſſos, eſt intelligendum de omnibus Con: vt ait March: *prout Nomen Conuentualis omnes complectitur, qui ſub Miniſtris viuebant: etiam Reformatos, ſeu Fratres de obſeru: Regulari ſub Miniſtris.* Nec obſtat, quòd inter Conu: huiuſmodi inueniebantur, vt ait March: Reformati (potiùs dicere debuit primi-

tiua S. Francisci Regulari institutione formati) nam etiam hodie post omnimodam filialis Ord: à primitiuo diuisionem, inueniuntur Conu: particulares Fratres, puram & sine vlla declaratione etiam Nicolai III. & Clemen: V. Regulam S. F. Obseruantes, & singulari sanctitate florentes (quorum aliquos Art: 7. n. 8. nominatim recensuimus,) qui in communitate (consuetudine antiqua) etiam eorum ad quæ ex Regula non obligantur, sunt feruentissimi Obseruantes: ad eum modum, quo etiam inter primitiuos Conu: huiusmodi inueniebantur strictissimi Obseruatores, factores legis, & non auditores, neq; sui ipsius ab Obseruantia cognominatores; de quibus firm: 3. Ord: 1. part: fol: 24. b. inquit. *Apparet zelus paupertatis & abiectionis præcedentium Patrum nostrorum Conuentualium, qui tunc erant veri Obseruantes, & plura faciebant quàm Regula mandet, timentes relaxari etiam in minimis.* Paupertas enim accidentalis in Communi relaxata, & annui redditus inducti, & bona stabilia admissa, non modò non nocent paupertati essentiali in particulari: quin potiùs eam iuuent, vt aduertit Concil: Trid:, dum bona stabilia & redditus annuos (*exceptis Domibus Capuccinorum, & eorum qui de Obser: vocantur*) omnibus Regularibus possideri concessit, quibus antea dicta bona stabilia in Cōmuni tenere & possidere non fuit permissum, sed potiùs ex Regula aut Constit: proprijs expresse fuit prohibitum, vt se declarat Sess: 25. cap: 3. Bona enim stabilia & redditus annui, victum & vestitum, vt ait Apost. *quibus vescamur & tegamur, his contenti simus.* Fratribus in Communi subministrant, quod multò meliùs est, quam per mendicitatem quotidianam, deuotione per solicitudinem dispersâ, & extinctâ, animo distracto, vago, & volanti: necessaria victui, & vestitui, cum iactura spiritus interni quærere; ciuitates & villas cum fastidio fidelium, tum importuna indiscretaq; quæstuatione circuire; vagationem irrequietam subire; Notitias & familiaritates mundo fætentes inire: animum vanitate foranea condire, nugis sæcularibus, & serpenti per traduces linguarum rumore, mentem illinire: ac tandem occasionibus lapsus, & scandali, atq; obuijs in libera euagatione, vbiuis expansis periculis, se exponere; ebriæ mundi consuetudini, & illece-

brosis prolectamentis, velut Euripppo, inter Scillam & Charybdim se committere, alios Ordines deprimere, suum super spatia imaginaria (vt facit Marchan:) extollere; cæteraq; assuetudine mundiali inclinante, negotia peragere, eisq; se immiscere. Inde occasione mendicitatis continuò gyrouagæ, prout non raro accidit, sicut conscientiæ suæ candorem, ita & Religionis propriæ honorem prostituere. De hoc etiam diximus Art: 8. n. 22. idem sentire videtur Marchantius pag: 281.

8. Hæc rectè expendens Joannes XXII. in Bulla quæ incipit. *Ad Conditorem.* hæc verba profert. *Quanquam autem pia considera-tione, motus Prædecessor noster* (supple Nicolaus III.) *ordinauit supra dicta, illa dicto Ordini existimans profutura* (puta reuocationem Dominij, & proprietatis, ad Romanam Ecclesiam translatæ) *ipsa tamen attento modo vtendi fratrum ipsorum, ac dictæ Ecclesiæ subsecuta patientia. circa ipsum non profuisse, sed potiùs tàm ipsis fratribus, quàm multis alijs obfuisse: subsequens Magistra rerum experientia noscitur declarasse. Ipsis quidem fratribus, quantùm ad statum perfectionis, nequaquam profuit reseruatio nominis supradicta: cùm enim perfectio vitæ Christianæ, principaliter & essentialiter in charitate consistat: quæ ab Apostolo perfectionis vinculum dicitur, & quæ vnit seu iungit aliqualiter, in via hominem suo fini, ad quam per Contemptum bonorum temporaliũ, & ipsorum expropriationem via disponitur, per hoc præcipuè quòd solicitudo, quàm temporalia in acquirendo, conseruando, & dispensando exigunt: quæ plerumq; ab actu charitatis retrahit amputetur; restat quòd si solicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quæ ante ipsam inerat perseueret, ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio valeat nihil conferre; constat autem quòd post ordinationem prædictam non fuerunt, in acquirendis & conseruandis bonis, prædictis, in iudicio & extra minùs soliciti, quàm ante illam fuerant Fratres ipsi, quanquam sint Religiosi mendicantes, alij habentes aliqua in Communi.* Hinc S. Bonau: huiusmodi paupertatem, non solùm perfectionem Religiosam, non iuuare, sed potiùs obfuscare asserit in Epist: inquiens. *Sanè perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinis quodammodo obfuscatur, Ordo exteriùs inficiatur, & nitor conscientiarum interiùs deseratur, occurrit negotiorum multiplicitas, quâ pecunia Nostri Ordinis paupertati*

ſuper omnia inimica, auidè petitur, incautè recipitur, & incautiùs contrectatur. Occurrit euagatio plurimorum, qui propter ſolatium ſuorum Corporum, grauando eos, per quos tranſeunt, non exempla poſt ſe relinquunt vitæ, ſed ſcandala potiùs animarum. Occurrit importuna petitio, quà omnes tranſeuntes per terras, adeò abhorrent fratrum occurſus, vt eis timeant quaſi prædonibus obuiare. Occurrit etiam ſepulturarum & teſtamentorum auida quædam inuaſio, non ſine magna turbatione Cleri, & maximè Sacerdotum. Licet enim mendicitas quotidiana, amore Chriſti ſuſcepta, virtutibus comitata, ſpiritu S. F. animata, ſit laudabilis; ita auiditati & inſolenti libertati copulata, vitiorum occaſionibus expoſita, multiplicitate ſcandalorum circumſepta: reuera eſt reprehenſibilis, & reſpectu eius poſſeſſio in communi bonorum redituum, & prouentuum, multò eſt melior & incõparabiliter ſaluti, & Religioſo honori vtilior. prout etiam ſentit de hac itineraria Mendicitatis quæſtuatione Damianus Apolog: de Contemp: ſæculi cap: 11: *Monachus in itinere poſitus tenere ieiunium nequit, quia hoſpitalis ei humanitas non permittit, non ſapienter pſallit, quia obambulantis Comitatus loquacitas eum impedit &c. Nequaquam ſub ſilentij cenſura conſtringitur, quia frequenter emergentibus cauſis intuitus etiam per multiloquia diffrænatur; lectioni vel orationi minimè vacat, quem extra ſemetipſum egredi, & terrena quæq; tractare imminens potius neceſſitas dictat. Charitas in eo minuitur, quia mens quæ tot ſæcularium actionum ventos recipit, ab amoris intimi feruore tepeſcit, ſuum quoq; caſtitas diſpendium patitur, quia nonnunquam mens concupiſcentiæ telo configitur per carnis ſpeciem, quam exterius contemplatur. Robur etiam patientiæ frangitur &c.*

9. Quartum aſſertum conſequenter pronuntiat Marcha: ſemetipſum regulando conſueto principio, quo ſemel vt abſurdo admiſſo, neceſſe eſt eum conſequenter, deformes inferre concluſiones. Aſſerit ergo pag: 516. inquiens. *Omnes Generales, qui à S. Franciſco vſq; ad Leonem X. electi ſunt fuiſſe ex Obſeruantiſſimis Patribus, qui ſiue in Communitate Fratrum, ſiue ſub Miniſtris & Nomine Conuentualium militauerunt. Nullus tamen fuit Conuentualis, nomine aut profeſſione eorum, qui poſt Leonem X. fuerunt: quorum Nomen cũ prioribus æquiuocum eſt, & profeſſio planè diuerſa.* Et licet facilè ad-

mittam

mittam, omnes Miniſtros Gen: à S. F. fuiſſe ex Obſeruantiſſimis PP. electos, ita perpetuò negabo: nullum illorum fuiſſe Conuentualem, nomine aut profeſſione eorum, qui poſt Leonem X. fuerunt: cùm luce meridiana clarius oſtenſum ſit in recenſu Min: Gen: incipiendo à S. Bonau: Priuilegia Apoſtolica acceptaſſe, & profeſſos fuiſſe: excepto Raymundo Gaufredi, qui Reformatis fauit, ſed quid inde ei acciderit, & quantùm a tota communitate, ob hanc ſuam ſingularitatem paſſus fuerit, reuoluendus eſt Art: 7 Gondiſaluus autem qui fuit Reformatorum, vnitatem communitatis ſcindentium, perpetuus hoſtis, cur dicatur vniuerſam Religionem expropriaſſe videatur Art: 9. Et licet multi Miniſtri Gen: incipiendo à S. Bonau: cum multis alijs de Communitate Fratribus, ſecundùm menſuram donationis Chriſti Regulam S. F. puriſſimè ſeruauerint, etiam in accidentaliter eam modificantibus, nullus tamen eorum potuit Priuilegijs Apoſtolicis bona ſtabilia concernentibus, ſemel ac iterum & frequentiùs à Communitate admiſſis renuntiare, & communitatem ad rigorem Regulæ accidentalem obligare, vt diximus Art: 8. n. 17. maximè quia omnes nouerant Priuilegia Apoſtolica (ſecluſo abuſu) puritati Regulæ & genuinæ Obſeruantiæ in eſſentialibus nō præiudicare; neq; quidquam faceſſere: quod poſtea determinauit Alexander VI, decernens vſum bonorum ſtabilium iuxta Priuilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa, Conuentuales percipere poſſe, cum puritate Regulæ & Obſeruantia intaminata. Bulla incipit. *Vberes fructus.* quam refert Roder: Obſeru: in noua Collect: Bull: pag: 229. Si enim Priuilegia Apoſtolica Obſeruantiam Regulæ impuram & ſpuriam intruderent, atq; ſecundùm ea viuentes circeo motu in æquiuocos transformarent, totum hoc crimen in Apoſtolicam Sedem refundi deberet. quod aſſerenti cuicunq; impium eſt, atq; blaſpemum; Marcha: autem ſacrilegum. Ipſomet iudice pag: 49. contra ſe decernente his verbis. *Caueant itaq; qui mandata Pontificia pro ſua libertate contemnunt, aut ordinationibus Pontificijs non acquieſcunt.*

10. Omnes quaſcunq; contra Conu: format Marchan: aſſertiones: huic vnico innituntur fundamento; quia Conu: Priui-

legia Apostolica paupertatem in modificantibus temperantia receperunt, id est, bona stabilia & redditus admiserunt: hinc eos non solùm vocat æquiuocos, sed & spurios atq; illegitimos obgannit pag: 465. Deinde pag: 535. inquit. *Hanc eorum Conuentualitatem esse omnino à Conuentualitate ante tempora Leonis X. distinctã & disparatam.* & ideò ibidem concludit. *Fratres Conu: post tempora Leonis X, nouam & singularem Fraternitatem auctoritate Pontificiæ constitutam faciunt, ab vniuersali Ordinis fraternitate multum alienam.* Consequenter pag: 553. concludit. *Conuentuales post Leonem X. instituti, non pertinent ad Ordinis S. Francisci vniuersalem Fraternitatem.* Et asserit eos separatos & redactos fuisse in particularem familiã, quod assertum phrasi sua exprimit pag: 55. in hæc verba. *Separatis ijs, qui Priuilegijs contra Regulam vti volebant in Corpus aliud anomalum, quod sub S. Francisci quidem patrocinio militaret, non nisi tamen multùm truncatam eius Regulam obseruaret, quales sunt qui dicuntur Conuentuales.* Ob eandem rationem præsentes Conu: toto Cælo a prioribus distare asserit pag: 491. *Cùm & hi Conuentuales toto cælo à prioribus distent.*

11. Et vlteriùs ex eodem principio conficto & absurdo, multas alias sordidas sparsim infert decisiones, non solùm à fide historica, ratione, & veritate alienas; Verùm etiam contra rationem, contradictionis inuolucro fasciatas, & maleuolentiâ sua fascinatas. vt sunt illa fabulationum mendacia, quæ consequenter orditur, à pag: 530. vsq; ad pag: 532. inclusiuè, per omnia membra mentiens: dicit ergo primùm de suo Ord: Obseru: & de primo per dispensationem Pontificiam eiusdem Ord: Obseru: Ministro Gen: Christophoro de Foroliuio, quod ei

Sigillum antiquum totius Ordinis à Summo Pontifice consignatum est, & omnes Prouinciales præsentes & futuri, nomine Ministri secundùm Regulam insigniti, eisq; omnibus antiquæ Minoriticæ Reipub: omnia munia concredita, cùm præcedentia ad omnes, qui sub S. Francisci nomine deinceps militarent.

Deinde conuersus ad primitiuum Ordinem, in suo dispoliabulo honoris Conuentualis, & suæ Expos: Reg: fabuloso parnasso, de Min:Con: næniatur his verbis,

Quia

Quia iam à Corpore & electione Capitis totius Ordinis remanebant exclusi, qui Obseruantiæ Regulæ secundùm suam puritatem subscribere, aut redditibus & Priuilegijs Regulam relaxantibus renuntiare noluerant. Summus Pontifex Leo X. volens communi paci Ordinis & dictorum fratrum conscientijs & saluti prouidere: Primò eos sub nomine Conuentualium separauit, ita, vt iam Fratres Min: S. Fran: simpliciter non possent nuncupari, sed Fratres Con: S Francisci.

Secundò eis redditurum, Possessionum, & Priuilegiorum Regulæ rigorem relaxantium, vsum & acquisitionem de plenitudine potestatis Apostolicæ indulsit, quod indultum postea voluit inseri eorum professioni, vt & profitentibus, & toti Orbi constaret, eos non Regulam S. Francisci simpliciter, sed Regulam certis Priuilegijs & Pontificum Decretis modificatam & relaxatam vouere, eosq; sic in conscientia ad plura non obligari.

Tertiò. Eis in Conuentu 12. Apostolorum congregatis, dedit liberam electionem Superioris Generalis, cum Mandato, quòd deinceps non vocaretur Minister Gen: sed Magister Gen:, nec diceretur totius Ordinis S. F.; sed modificatè Ordinis Fratrum Conu: Sicut & Prouinciales sibi subiecti, non Ministri, sed Magistri Prouinciales Fratrum Conu: nuncuparentur, illumq; titulum curarent omnibus suis Sigillis inscribi.

Quartò: Vt omnis respectus ad petram de qua excisi erant non periret, idem Pontifex ordinauit, vt Magistri Gen: Conu: deinceps omni tempore peterent confirmationem à Ministro Gen: totius Ord: & Magistri Prouinciales à Ministris Prouincialibus, sicut olim Vicarij Gen: de familia à Ministro Gen: & Vicarij Prouinciales à Ministris Prouincialibus confirmationem postulabant. Item statuit, vt quamuis Minister Gen: totius Ord: nullam per se vel suos Commissarios iurisdictionem in Fratres Conu: exercere possit, quando tamen contingit dictum Ministrum Gen: totius Ordinis ad loca Conuentualium declinare, potestatem donat, vt paternè & charitatiuè eos visitet, & mandat Fratribus Conuen: vt tanquam totius Ordinis Superiorem, cum omni charitate & dilectione recipiant.

12. Hæc omnia patere ait ex Bullis Leonis X. *Ite & vos in vineam.* &, *Omnipotens Deus.* Addit etiam ad eadem sua asserta, pertinens simili fictioni nixum mendacium, pag: 61. post recensum Chronologiæ Generalium inquiens. *Omnes Gen: in hac Chronologia recensitos, etiam ante tempora F. Christophori de Foroliuio 44. Gene-*

Generalis, Regulam S. Francisci purè & sine Priuilegijs professos fuisse, & pro veris istius Regulæ Obseruatoribus habitos, & vbi de contrario constitut: ab Officio Generalatus fuisse absolutos & depositos. Quomodo Fr. Helias 3. Generalis, zelante contra illum S. Antonio Paduano, & alijs veræ Regulæ Obseruatoribus; & Fr. Antonius de Massa 31. Generalis eò quòd relaxationi faueret, ab officio sunt absoluti. De hoc memoriale Ordinis in firm: 3. Ord: 1. part: fol: 33.

13. Ab hoc vltimo asserto incipiamus (singula deinceps gradatim & sigillatim expensuri) vt cuiquam intuenti palàm pateat, tot in se falsitatis figmenta continere, quot fabulosas periodos conuincitur asserere. Imprimis hæc Chronologia Marchantina, & Ordinem, & numerum Ministrorum Gen: perperam & fabulosè deprehenditur contexere, & euidenter refellitur per ea quæ diximus, Art: 5. n. 17. Neq; Helias à S. Franc: tertius Minister Gen: fuit, sed primus; vt Art: 4. n. 7. diximus. qui præfecturâ Generali priuatus fuit à Gregorio IX, vt ibidem retulimus n. 12. & 13. quia Priuilegia Apostolica nullâ ratione exigente, subreptitio more & inscia communitate, imò refragante, & se ei opponente obtinuit, vt diximus Art: 9. n. 35. Sed Antonius de Massa, quantus & qualis vir fuerit, liquet ex Art: 13. n. 14. & 19. qui nunquam fuit Officio Ministeriatus Gen: priuatus: cùm illud per sexennium integrum compleuerit, quò expleto, non priuatus, sed non reelectus fuit, in Capitulo Assisij: vt loco cit: probauimus. Neq; quidquam facessit auctoritas ex memoriali Ord: à Marchan: adducta: quia ibi priuatio extensè sumitur, pro non reelectione, vti se declarat ipsemet Auctor Memor: Ord: dicens. *qui tandem Assisij fuit Generalatu priuatus honesto modo.* Priuatio autem prout est pæna pro defectu inflicta, nunquam potest honestum modum importare, ratione causæ, siue quis priuatur Officio, propter defectum capacitatis, ob inhabilitatem suam: siue propter defectum, sua criminosâ vitâ culpabiliter contractũ: turpis est vtraq; priuatio, & nullo modo cohonestari potest: Neútra harum causarum Antonio de Massa subfuisse potuit, vti Viro doctissimo, legationibus Pontificijs exercitatissimo, & vitæ Religiosæ integerrimo: vt loco cit: diximus. Et licet Summo Ponti-

fici

fici fuerit gratus, atq; ab eo pro Miniſteriatu Gen: commendatus, nullum tamen vel minimum Priuilegium Pontificium procurauit obtineri vt conſtat ex Art: 14. n. 7.: Satis iam amplis Priuilegijs, à ſuis prædeceſſoribus procuratis ditatus, & munitus. Hinc falſum in ſua fabuloſa Chronologia Marchan: concludit aſſerens pag: 61. Omnes Miniſtros Gen: ante tempora Chriſtophori de Foroliuio Regulam S. F. purè ſine Priuilegijs profeſſos fuiſſe, vt liquidò conſtare poteſt reuoluenti. Art: 10. & 11. & Art: 14. & infra n. 34. ſignanter oſtendimus, Miniſtros Gen: Priuilegia Apoſtolica procurantes, profitentes, & acceptantes, cum quibus pro veris & puris Regulæ S. F. obſeruatoribus fuerunt agniti, habiti, & determinati, vt ſupra n. 9. oſtendimus quod antea determinauerat Pius II. vt patet ex Art: 15. n. 11. & poſtea Vrbanus VIII ex Art: 3. n. 3.

14. In quarto aſſerto comminiſcitur reſpectum ad petram, de qua exciſos fingit Conuentuales, eundemq; reſpectum vt non periret conſeruari expoſuit, per ordinationem Pontificis, ſtatuentis: vt Magiſtri Gen: Conu:, deinceps omni tempore peterent, confirmationem à Miniſtro Gen: Obſeru: ſicut antea confirmationem poſtulabant, Vicarij Gen: Obſer: à Min: Gen: Conu: Sic etiam de Prouincialibus, pari paſſu diſcurrit. Verùm quantùm ad confirmationem infra Art: 39. n. 5. hæc materia ſeriò diſcutitur. Quantùm autem ad reſpectum cæcum, quo lectorem à ſe obcæcatum, virtute Poetica reſpicere facit, & videre nihil: tunc eum admittemus, & pro reali concedemus, quando oſtendet Marchan: de Ord: Obſeru: filiali, tanquam de petra, Min: Con: exciſos fuiſſe, per reformationem, aut aliquam deriuationem, ſeu propagationem, prout nos euidenter oſtendimus de Ord: Obſer: Art: 12. & Art: 13. incipiendo à n. 12. & deinceps. Vel ſaltem quando oſtendet hanc petram, de qua Conuen: exciſi ſunt, & hunc reſpectum ad eam tendentem conſeruatum. Illa enim Pontificia ordinatio (quæ nunquam fuit in vſu) facta fuit per bonam intentionem Pontificis, ratione puræ Obſeruantiæ Regularis, abſq; priuilegijs & nouis reformationibus ſtabiliendæ: quæ an ſuum fuerit conſecuta finem infra, Art: 39. luce meridiana patet.

15. In tertio asserto quatuor dicit, quæ præter vnum omnia sunt falsa, Primum, quòd Leo X. dederit Conuentualibus liberam electionem Superioris Generalis. Hoc tam falsum est, vt ipsamet Regula S. F. cap: 8. illud refutet tanquam fabulosum: dum primitiuo Ord: palàm fateatur, datam fuisse electionem liberam sui Superioris Gen: his verbis. *Quibus electio data est in nomine Domini.* & incipit. *Vniuersi Fratres vnum* &c. Et hæc concessio liberæ electionis data fuit ab Honorio III. in anno 1223. antequam Ordo filialis Obser: per dispensationem Leonis X. in hodierna forma gratiosè institutus fuisset, ita nouiter formatus, vt reformatus, non præfato anno Religionis independentis, sed anno 1517. per transnominationem Vicariorum in Ministros & Discretorum, in Custodes, de plenitudine potestatis Apostolicæ, nomen recentiùs sortitus. Secundum falsum est, quòd ex mandato Pontificio Magister Gen: Con: dicatur modificatè *Ordinis Fratrum Conu.* Et hanc falsitatem ipsæmet Bullæ Leoninæ damnant, in quarum nulla inueniuntur hæc verba vel similia. *Vt Magister Gen: Con: dicatur modificatè Ord: Fratrum Con.* Imò oppositum Bulla Leonis, quæ incipit. *Ite & vos in vineam.* Mandat his formalibus. *Mandamus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ* &c. *nè aliquis Frater Ord: S. F. appellet alium Fratrem eiusdem Ord: malitiosè* &c. *Priuilegiatum* &c. *Sed omnes Fratres ipsius Ord: Fratres Minores vt præfertur, seu S. F. à seipsis & omnibus alijs nominentur.* Vbi non iubet Pontifex modificatè Conu: appellari, sed absolutè, omnes Fratres Min:, seu S. F. Et licet ipsemet in cit: Bulla nominet *Conuentuales*, non secus ac *Obseruantinos*, de familia, Reformatos, & Regularis Obseru: non per hoc tamen vtrumq; Ordinem modificatè appellari mandat, cùm Ordo Obseru: absolutum (ex fauore Pontificio) totius Ord: Min: titulum sibi vendicet: & Ordo Min: Con: per antonomasiam Ordo Minorum vocatur, vt ostendimus Art: 43. n. 1. Tertium falsum dicit mandasse Pontificem, vt hunc titulum *Magister Gen:* siue *Magister Prouincialis* curarent omnibus suis sigillis inscribi, cùm Pontifex in Bulla quæ incipit. *Omnipotens Deus.* tantùm Magistrum Gen: & Magistros Prouinciales Fratrum Conu: *cum suis sigillis vocari.* tantùmmodo

modo mandet, & non sigillis nomen Magistri Gen: vel Prouincialium inscribi, sed cum suis, sigillis antiquis remanentes non vero nouis & non suis nomine Magistrorum, & non Ministrorum dumtaxat appellari. Et hoc vnicum inter falsa verum Marchan: dixit; mandasse Pontificem, vt deinceps Magistri non Ministri Gen: & Prouinciales Con: nuncuparentur: quod fuit congruum & condignum, ad designandam Magistralem & fontalem Religionem, à qua Ordo filialis profluxit PP. Obseru: sed an hæc nomenclaturæ variatio quidquam facesserit, primitiuo Ord: Con: deciditur, Art: 39. n. 7.

16. In secundo asserto planè plenè & adæquatè falsa figmentauit; dum in eo quinq; excogitata, sed omnia ementita: pronuntiauit. Primum, quòd Leo X. reddituum, & possessionum tenendarum facultatem Conuentualibus concesserit. Secundum, quòd Priuilegiorum Regulæ rigorem relaxantium, vsum indulserit. Tertium, quòd acquisitionem (suppono) siue Priuilegiorum, siue bonorum temporalium, de plenitudine potestatis Apostolicæ permiserit, & attribuerit. Quartum, quòd hoc concessionis indultum eorum professioni inseri voluerit. Quintum, quòd hoc ideò fecerit, vt constaret Orbi vniuerso Conuentuales non Regulam S. F. simpliciter, sed Regulam certis Priuilegijs, & Pontificum Decretis modificatam, & relaxatam, vouere, eosq; ad plura in conscientia non obligari. Hæc omnia tam sunt enormia figmenta, vt mirùm esset, cur in Expos: Reg: S. F. tàm putida mendacia non erubuerit proferre: nisi & cætera eiusdem Expos: in Conu: commenta, scuto effrontem March: protegerent excusando: quòd hæc dum scriberet, sibi tantùm interstitium, inter frontem, & manum, auctoritate suæ Obseruantiæ interfuisse, vt frons pudoris nescia, manum contingere & cohibere nō valuerit. Leo X. nec vnicum Priuilegium, vel minimum reddituum, & prouentuum annuatim prouenientium, tum possessionum tenendarum, Conuentualibus impertiuit: nec earum acquisitionem concessit, nam redditus possessiones, earum acquisitionem, & vsum, iam Conuentuales longo tempore, ante Leonem X. habuerunt: vt constat ex Art: 9. & 10. & vniuersaliter ex

Art: 31. & 32. quod ipsemet March: etsi nolens fatetur his verbis. *Regulā certis Priuilegijs & Pontificū Decretis modificatā & relaxatā vouere.* Si Pontificum Decretis est modificata : ergo non Leonis X. Pontificis, sed aliorum Pontificum, vt patet ex cit: Art: & Art: 11. tum, speciatim infra n. 34. nominantur Pontifices, & Ministri Gen; sub quibus Priuilegia Apostolica, bona temporalia concernentia, longo tempore ante Leonem X. communitati Conuentuali fuerunt concessa. Quartum in facie mundi est falsum, professio Min: Con: legenda est, ante tempora Leonis X, ab antiquis Conu: emitti solita: vt infra Art: 43. n. 10, fideliter & verbatim eam referendo demonstramus: vt videat prudens lector, nec vnicum iota indulti Leonini, in se contineri; nec vnquam sibi fuisse insertum, nec à Leone X. vnquam somniatum, vel nomine suo signatum tàm in Bulla. *Ite & vos in vineam.* quàm in Bulla. *Omnipotens Deus*; qui oppositum asserit, asserta authenticè probet, non fanaticè sine probatione proferat, vt facit Marchan: concauo imaginario, & cerebroso figmento, ptopria auctoritate innixus. Quintum etiam simpliciter falsum est: quia Conu: ex determinatione Summorum Pontificum, simpliciter vouent Regulam, non minùs quam Ordo Prædic: licet vterq; in modificantibus fuerit temperatus. Hoc fusiùs infra probabitur Art: 37. n. 13. & Art: 26. n. 7. & n. 8. haberi potest etiam ex Art: 3. n. 3. vbi Vrbanus VIII. determinat Min: Con: veros Regulæ S. F. obseruatores, & eiusdem simpliciter professores.

17. Primum autem contra Conu: assertum, non solùm est absolutè falsum: sed omni ex parte contradictione refertum, & sui destructiuum, nimirum, *quòd iam à corpore & electione capitis totius Ordinis remanebant exclusi.* Si vnione vniuersali Conuentualium cum Obseru: proposita, cum conditione, vt ipsemet dicit pag: 527. *Quòd Conuentuales relaxati prætensis Priuilegijs contra puritatem Regulæ, & omni rerum proprietati, ac quibusuis annuis redditibus renuntiarent.* Conuentuales huic conditionatæ vnioni subscribere noluerunt, nec à suis Priuilegijs recedere voluerunt, quomodo exclusi? dum securiorem partem liberè secuti, nè obligati caderent, & cum declinantibus in obligationem, adducerentur à

Domi-

Domino cum operantibus iniquitatem: maximè aduertentes, ex suo filiali Ord: Reformato, ratione arctioris paupertatis, à cōmunitate Conuentuali diuiso, iam tunc plures prodijsse reformationes, nec in vestigio constantis Obseruantiæ, vsq; ad ea tempora perstitisse: quarum Congregationum Reformatos, opus fuit Pontifici, vt ait March: pag: 528. *Priùs quasi dispersos in vnum corpus adunare.* eosq; ad Originale Nomen Minorum reducere: & ideo Conuentuales hunc instabilem Obseruantiæ feruorem animaduertentes (quem etiam hodie manibus palpant) huic conditionatæ Vnioni nullatenus subscribere voluerunt: vt ibidem dicit March: *cui conditioni cùm Patres relaxationem Regulæ sequentes, subscribere noluissent &c* Eligentes in latitudine Regulæ S. F. auctoritate Apostolica circumscripta, cum securitate satiùs conuersari, quàm in arcto literalis Obseruantiæ sensu, respiciendo retro in statu suo pereclitari, scientes altiorem statum comitem non rarò & grauiorem trahere ruinam. Hinc non absq; prudenti consilio censentes, meliùs esse cum illis multis, ab Oriente & Occidente venientibus saluari, quam (per vanam denominationem) cum filijs Regni damnari; Cum Adamo de Paradiso exterminari, vel cum Angelis, qui non seruauerunt suum Principatum in cælis, vinculis æternis sub caligine reseruari sub terris: & ideò perlibenter huic, anno 1517. nouiter formato Corpori, noluerunt per vnionem adhærere; neq; ad electionem noui capitis, per auctoritatem Pontificiam, dicto anno prima vice introductam, concurrere, sed in suo antiquo viuendi statu persistere maluerunt. De quibus Ioannes Rouserius obseru:in suo statu & Origine Min: fol: mihi 53. dicit: *Fratres Minores Conu: sunt antiqui Ordinis PP. qui ex dispensatione bona immobilia possident, & pluribus concessionibus gaudent, quibus Obseruantini renuntiarunt.*

18. Dicat ergo Marchan: quomodo Conuentuales, fuerunt ab electione noui capitis exclusi? si ipsi enixè & studiosè, à statu suo antiquo, hanc nouam electionem excluserunt; & eam acceptare noluerunt: imò tunc cum ea; à sua communitate antiqua, filialem prolem suam, à se enutritam de se progenitam, & iam ad maturitatem educatam, atq; de paternis bonis opimè ex-

hæredatam, excluſerunt: vti proprio regimine, & induſtriâ vi-
cturam; nec amplius ſub paternæ auctoritatis titulo manſuram.
Non fuit ergo antiqua communitas Conuentualis excluſa, à no-
ua, nouiter in ſtatu abſoluto inſtituta Religione; ſed ſeipſam li-
berè disjunxit, & perofficiosè excluſit, & in antiquo ſtatu per-
manſit. Niſi velit Marchan: ita excluſos fuiſſe Conú: ab electio-
ne noui capitis; ſicut fuerunt excluſi in Capitulo Mediolani, &
in Capitulo Romæ celebrato: de qua excluſione diximus Art: 15.
n. 6. & 7. Sed iſtiusmodi Conuentualium excludi paſſiuum, con-
uerti debet in excludere actiuum: Marchantina alchimia vt ſui
moris & artis eſt, in contradictorium ſenſum, transformatum.

19. Eſt & aliud manifeſtum contradictorium, aſſerens Con-
uentuales Priuilegijs Regulam relaxantibus renuntiare noluiſſe.
Si primò Conuentualibus (vt nugatur March: pag: 530.) Leo X.
ſub nomine Conu: ſeparatis, reddituum & poſſeſſionum earumq;
vſum de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis indulſit, poſtquam
noluerint ſuis Priuilegijs renuntiare: quæro quibus Priuilegijs
Con: noluerunt renuntiare? ſi ea ante Leonem X. non habue-
runt; ſequeretur illis Priuilegijs Apoſtolicis renuntiare noluiſſe,
quæ nondum habuerunt, cùm renuntiare intrinſecè, ſupponit ha-
bere. Nemo vtiq; detrectat renuntiare rei, quam nō habet: neq;
rationaliter poteſt compelli, ad eius abrenuntiationem. Si au-
tem Conu: habuerunt Priuilegia Apoſtolica quibus renuntiare
noluerunt: iam non à Leone X. ea primò obtinuerunt, ſed ab
alijs Pontificibus Leonis anteceſſoribus, iuxta quæ omnes Gene-
rales tempora Chriſtophori de Foroliuio antecedentes viuebant,
& profitebantur, proinde à modernis non æquiuoci, nec toto cæ-
lo differebant. Nec erat, cur Pontifex Leo X. communi paci, &
conſcientijs, tum ſaluti Conu: voluiſſet prouidere; cùm antece-
danei Pontifices pari cum Leone X. auctoritate Apoſtolica præ-
fulgerent. Nec eſt aſſignabilis ratio, cur Priuilegia ab alijs Pon-
tificibus conceſſa periculum ſalutis; & à Leone X. ſecuritatem
conſcientiarum prouiſam, Conuentualibus cauere potuiſſent. An
autem communi Ordinis paci, conſuluerint: teſtis ſit ipſe Mar-
chant: prætextu Leoninarum tanta iurgia, & detractiones, cum
ſcan-

scandalo vniuersi Orbis, contra charitatem fraternam, & puram Obseruantiam, toti Ordini Min: Con: sub specie expos: Reg: obtrudens & oggerens.

20. Quod autem addit: *Sub nomine Conuentualium separauit:* purum nugamentum est; Separatos namq; separare, est actum agere, & principium repetere, nugasq; dicere, ac cæcos nigro atramento illuminare næniando. Satis deducta est separatio filialis Ord: Obseru: partialis, in Concil: Constant: Art: 13. & vniuersalis, ab Eugenio IV. Art: 14: dum separauit sub nomine Conuentualium primitiuum Ord: a filiali Obseru: potiùs in suo statu Conuen: antiquo reliquit, cùm hic nominis & rei vsus, quasi ab exordio ipsius Religionis sit deductus Art: 29. n. 6. Leo X. non separauit Conu:, à prioribus Conu: in Obseruantia, quia eadem Priuilegia ante & post Leonem eos habuisse constat, ex Art: supra relatis, tum ex Art: 14 & 32. & infra ex n. 34. Non separauit in personis & cætu, quia iam fuit separatus, sub distinctis Prælatis & regimine, vt ex cit: Art: & sequentibus liquet. Non separauit in locis & Conuentibus Materialibus, quia easdem Ecclesias, Domus, & loca, incipiendo a Sacra totius Religionis Min: matrice, Basilica Assisiensi: quàm etiam hodie possident ijdem Conuentuales quàm possidebant antiqui S. F. primogeniti filij. solùm filiali Ord: Leo X. formam Religionis absolutæ, nouo Priuilegio addidit, fauores, & gratias, ratione literalis Obseru: attribuit, & in noua totalitatis transformatione, variatis etiam Prælatorum nominibus, instituit: sed Conuentuales in statu antiquo viuendi reliquit, nec eosdem in indiuiduo, & specie identicos à seipsis vt æquiuocos, & toto cælo distantes, seu disparatos (vt Marchan: irrationabiliter somniat nulla differentia reali, ipsorummet à seipsis distinctiuà assignatâ) diuisit: nec iam separatos separauit, & seiunxit: nec vllibi in Bullis suis determinauit, vt ampliùs Fratres Min: S. F. simpliciter non possent nuncupari: sed dumtaxat Fratres Con: S F., nisi ab eis, qui ita temerariè affirmant, & à Leone X. latæ sententiæ censurà excommunicantur: vt præcisis verbis supra n. 15. ostendimus. Quod Ordo paternus Min: Con: à filiali ante tempora Leonis X. fuerit separatus: vide epistolam Chambonis in calce positam.

21. Quod

21. Quod verò afferit Marchan: de ſigillo antiquo totius Ord: fuiſſe à Summo Pontifice ſuo primo Min: Gen: conſignatum, quam deceptionem ad circumuentionem lectoris, propudiosè replicat quoq; pag: 51: quia de eodem ſigillo agimus infra Art: 42. pro nunc ſufficiat nobis ad obſtruendum os mentientis adianoeta, reſpondendo: proba; per Bullas Pontificias, producendo genuina verba Bullarum, quibus mandato Pontificio aſſignatum fuit ſigillum antiquum Ord: primo Min: Gen: Obſer: nouiter ſub Leone X. electo, & tranſlatum ab Ord: antiquo Min: Con: hoc ſi oſtenderis rem ad portum deduces, & ſtigmate mendaciloqui non inureris. Sed ſpondeo March: hoc totum probaturum ad Kalendas Græcas vel ad Neomenias latinas: cùm in Bullis Leonis X. de ſigillo tantùm illa inueniuntur verba, quæ retulimus ſupra n. 15. tertium falſum March: confutando. Imò Gabriel Faber in confut: Anonymi pag: mihi 30. dicit fuiſſe. *Inſcriptionem ſigilli maioris Conuentualium Religionis, vbi hæc verba inſculpta ſunt.* Sigillum Miniſtri Gen: Ord: Min: Con: *Nec poteſt nouitatis aut alterationis huiuſcemodi ſigillum arguere, in quo adhuc inſpicitur; licet præ vetuſtate, aliqua litera diminuta & corroſa ſit, nomen auctoris & temporis index, vnde nominis Miniſtri continuatio oſtenditur.* Ex quo patet illo tempore, quo Miniſter Gen: & Miniſtri Prou: Con: vocabantur ex mandato Leonino Magiſtri, ſua antiqua ſigilla cum inſcriptione Miniſtri retinuerunt, & vt loquitur Pontifex *Cùm ſuis ſigillis* non adiungens mutandis, vel nouiter inſculpendis, ſed ab antiquo ſuis & vſq; nunc inuariatis, & remanentibus ſuis non nouis neq; antea ſuis, debebunt Magiſtri duntaxat vocari, non Miniſtri. In hoc ergo aſſerto de Sigillo Ordinis antiquo, ſuo Ordini nouiter in formata Religione inſtituto, attributo, & à Conu: tranſlato, ſicut & in cæteris de proprio cerebro, ſine probatione ementitis, meretur Marchan: fidem poeticam, quæ debetur fabulis Ouidianis, & apologis Æſopicis: in quibus, nè mentiendo quidem, potuerit auctorem adumbrare meliorem, ſeipſo mendaciori.

22. Compertum eſt, qui à principio fabuloſa iacit fundamenta, in progreſſu operis frequentiora ſolet ſpargere fabulamenta:

menta: hac via ſemper graditur Marchan: falſum falſo concatenans, quod etiam præſtat in hoc ſequenti aſſerto, affirmans Ordini Obſeru: præter ſigillum Ord: omnia munia antiquæ Minoriticæ Reipub: fuiſſe attributa: conſequenter ab antiquo Min: Con: Ord: tranſlata, cum præcedentia ad omnes. Interea præcedentia ad Art: 39. remiſſa. Hoc falſum ſingulare, quòd omnia munia, Ordini filiali à paterno ablata, fuerint collata diſcutiatur. Inter præcipua munia primitiuo Ordini Min: à S. Matre Eccleſia conceſſa; eſt contra hæreticam prauitatem munus Inquiſitionis, quod ſolis primis mendicantium Ordinibus Prædicatorum, & Min: conceſſit Eccleſia, velut eorundem inter mendicantes primogenituræ teſſeram, & inſigne originale: quæ munia, ſeu inſignia antiquæ Minoriticæ Reipub: nunquam fuerunt, etiam à Leone X. Ordini filiali Obſer: vſq; ad hodiernum diem concredita: ipſa praxi & vniuerſo mundo atteſtante. Eſt & aliud munus in primitiuo Ord: Min: Con: nunquam filiali Ord: Obſeru: conceſſum, ſcilicet Doctoratûs ſeu Magiſterij prærogatiua. Primum munus à Greg: IX. 1238. in Regno Nauarræ primitiuo Ord: Min: fuit conceſſum, vt aſſerit Wad: ad cit: annum n. 6. Deinde ab Innocentio IV. anno 1254. in alijs Regnis ampliatum, vt idem Wad: ad cit: annum refert n. 7. Secundum munus in Ord: Min: Con: durat à primo in Ord: Min: Doctore Alexandro Alenſe, ab an: 1222. & S. Bonau: in gremio Ordinis primo laureato, ab anno 1250. Hac prærogatiuâ omnes Miniſtri Gen: à S. Bonau: vſq; ad hodiernum Min: Gen: Min: Con: fuerunt inſigniti. Sunt & alia munia ſeu officia in primitiuo Ord: Min: Con:, quæ Sixtum IV. exercuiſſe diximus Art: 16. n. 11. quorum nec nomina ab aliquo Pontifice fuerunt communicata, Ordini filiali Obſeru: In dicto ergo aſſerto, toto cælo errat March: aſſerens omnia munia antiquæ Minoriticæ Reipub: ad filialem Obſeru: Ord: fuiſſe tranſlata & ei concredita.

23. Sed dato etiam & non conceſſo hoc Marchantij figmento, per hoc tamen filialis Ordo Obſeru: prout à Leone X. nouiter informata, & abſoluta Religione anno 1517. eſt inchoatus, & inſtitutus: nunquam fuiſſet antiquæ Minoriticæ Reipub: primiti-

nus Ordo Min: effectus, cui hæc munia primùm fuerunt concessa, & postea ab eo translata: quia omne præteritum simpliciter est necessarium, ita, quòd non possit non esse præteritum etiam per Omnipotentiam Dei absolutam iuxta Philosophum 6. Ethic: à Scoto receptum in 1. Dist: 40. & communiter omnibus hanc propositionem eius amplectentibus. *Hoc solo priuatur Deus infecta facere quæ facta sunt.* Similiter pro eodem nunc quæ non sunt facta seu sunt infecta, facere postea quod pro illo eodem nunc iam præterito fuerint facta, & effecta: alias posset aliquid antiquitùs fuisse factum, quod nunquam antiquo tempore fuisset effectum, & inchoatum, quod est contradictorium. Si ergo Omnipotentia Diuina hæc contradictoria simultaneè efficere non possit: ad quæ simul combinanda, non habet potentiam simultatis, sed tantùm potentiæ simultatem: multò minùs potentia Vicaria Summi Pontificis, hæc facere potest. Supposito etiam vt Marchan: fingit, quòd omnia antiquæ Minoriticæ Reipub: munia, filiali Ord: Obseru: fuissent concredita; quia per hoc nouum indultum anno 1517. ex suppositione ei attributum, non efficeretur ille antiquus Minorum Ordo, cui Innocentius III. anno 1209. primam confirmauit Regulam, & Greg: IX. cum Innocentio IV. annis specificatis: tum cæteri Pontifices, prima antiquæ Minoriticæ Reipub: concesserunt munia, quia tunc extitisset antequam à primitiuo Ord: Min: Con: anno 1368. per Paulutium reformatus, & à Leone X. anno 1517. in formata Religione institutus, & inchoatus fuisset, quod est impossibile: alias superfluè fuisset à seipso reformatus anno præfato, tum à seipso sub Eugenio IV. anno 1446. separatus, & à Leone X. in formata Religione anno cit: institutus. Siquidem iam anno 1209. Ordo Min: fuit institutus, formatus, & absolutus, antequam anno 1517. in reformata Religione de nouo formatus, absolutus, & institutus esse inceperit. Si ergo quod non fuit Deus fuisse, facere non possit; multò minùs Pontifex Ordinem filialem Reformatum, & à Leone X. primùm in formata Religione inchoatum, potest facere illum quem S. Fran: instituit, & Innocentius III. in formata Religione constituit, anno 1209: quia tunc fuisset cùm non fuisset. Benè tamen moraliter

& im-

& imputatiuè (non verò in physica inceptione & duratione) Pontifex facere potest nouum Ordinem extrinsecè antiquum, omnibus decoramentis, & priuilegijs antiquæ Sodalitatis cum co-honestando: quod Leo X. non fecit in præfatis munijs filiali Ord: vt probatum est euidenter.

24. Dices cum Marchan: pag: 51. Leonem X. in Decret:quæ incipit. *Licet aliàs statueramus* decreuisse, *quòd ipsi Fratres de Obser: & reformati veri & indubitati Fratres S. Fran: & eius Regulæ obseruatores semper fuerunt, ac diuina fauente gratia sint futuri sine aliqua interruptione seu diuisione à tempore conditæ Regulæ, per B. Fran: vsq; ad præsens: ac sub ipsius B. Fran: Regula militauerunt, & etiam ad præsens militant.* Respondeo hoc idem adhuc clariùs de Capucinis Vrbanus VIII. in Bulla 68. quæ incipit. *Saluatoris & Domini &c.* asserit inquiens. *Fratrum Capucinorum originem seu principium illorum esse realiter & cum effectu computandum à tempore primæuæ & Originalis institutionis Regulæ.* & decernit. *Fratres Capucinos esse ex vera & nunquam interrupta linea, & veros ac indubitatos fratres Ord: S. Francisci:* & tamen Paulus V. in Bulla 54. quæ incipit. *Ecclesiæ militantis.* hoc idem asserens, apponit præcisum adiunctum de Capucinis. *quamuis tempore S. Fran: instituti non fuerint.* Ad propositũ dicit March: pag:73. *Quomodo enim Congregatio Capucinorum dicetur semper fuisse, cùm Clemente VII. circa annum 1526. primùm ceperit: aut quomodo Congregatio dicetur recta & non interrupta linea processisse? cùm ex Conuentualium separata per Leonem X. Hierarchia emerserit.* Hoc totum pari & adæquata ratione, sicut de Capucinis, ita & de Ord: Obseru: dicendum venit: quòd sint veri filij S. F. non interrupti, *quamuis tempore S. F. instituti non fuerint.* Quomodo enim congregatio filialis Obseru: dicetur semper fuisse à S. F. vsq; nunc? quæ à Paulutio Trincio anno 1368. ex Conu: exijt reformata. Ab Eugenio IV. anno 1446. vniuersaliter ab ijsdem Conu: separata, à Leone X. anno 1517. formata, & tunc primùm absoluto Religionis titulo donata & instituta.

25. Quòd verò fratres Regulæ S. F. Obseruatores, semper fuerunt sine aliqua interruptione seu diuisione, à tempore conditæ Regulæ vsq; ad præsens. Verissimum est, sed à principio non in eo

in eo cætu & ſtatu reduplicatiuè quem per reformationem Paulutius Trincius inchoauit, S. Bernardinus incrementauit, Eugenius IV. à primitiuo Ord: Min: Con: ſeparauit; & Leo X. primùm Religionis abſolutæ prærogatiuâ fauorosè formauit. Neq; ſucceſſu temporis in hoc ſolo cætu reformato, Leonis X. auctoritate munito: ſed in cæteris etiam Reformatis Capucinis, Recollectis, Diſcalceatis, & originaliter in ipſo omnium Reformationum fontali Ord: primitiuo Min: Con: fuerunt & ſunt Reg: veri Obſeruatores. Hinc generaliter huiuſmodi Bullæ non interruptum deſcenſum: ſiue Ordinis Obſer: ſiue Ordinis Capucin: à S. F. determinātes intelligendæ ſunt, præcisè ratione eiusde Reg: à S. F. conditæ & deſcendentis, non verò de cætibus ſeu congregationibus reformatis, longo tempore poſt S. F. poſthuma generatione progenitis, & inchoatis: Ad eum modum quo nouiſſimi Ordines ſub Regula S. Auguſt: anno 390. ab eodem inſtituta, vel ſub Regula S. Benedicti anno 500. à S. Benedicto condita, ratione Regulæ deducerent ſuam Originem, vſq; ad tempora Regularum conſcriptarum: vt Ordo militaris S. Mariæ de Monte Carmeli, ſub Regula S. Auguſt: ſecundùm Barboſam Iur: Eccl: lib: 1. cap: 41. n. 173. inſtitutus anno 1609: Vel Ordo militaris S. Mauritij apud Subaudos, ſub Regula S. Benedicti iuxta cit: Barboſam n. 87. inſtitutus anno 1572. Hic vterq; quantùm ad Regulam, & non interruptum ipſius Succeſſum, & ſuorum eius Obſeruatorum originem, vſq; ad exordia vniuſcuiusq; Regulæ reuoluere poteſt: non tamen in hoc ſolo ſuo cætu, hoc vel hoc anno determinatè inſtituto, reformato, & approbato; Sic de omnibus Reformatis in Ord: S. F. dicendum eſt: qui ratione Regulæ, ſine interruptione à S. F. immediatè deſcendunt, *quamuis tempore S. F. inſtituti non fuerint.* Imò ad ipſum Chriſtum, & Apoſtolos Originem ſuam repetere poſſunt, ratione ſimilis modi, & Regulæ viuendi. Diſparitas autem cum diſtinctione adducta à Marchan: pag. 72. inter Ordinem PP. Capuc: & Ord: ſuum Obſeru: indigna eſt vt adducatur, & ad eam reſpondeatur, quia ibidem nugatur, non ratiocinatur, & de ſuo Ord: Obſer: totum idipſum verificatur.

26. Et

26. Et qui cum eo asserit, Conu: præsentes toto cælo à prioribus distare, hic inspectu veritatis conuincitur indistanter cum parte inferni perstare, patri mendacij alligatus. Similiter, qui diceret sine ratione cum Marchan: modernos Conu: à prioribus esse æquiuocos & disparatos, eo asserto seipsum (vt facit Marchan:) a semetipso probaret æquiuocum, & disparatum, fallacis Circes præstigio in brutalem deuitiatus figuram, qualem in Obseruantia gerebant pharisæi, æquiuoco spiritu legis animati: non secus ac Marchan:, prout diximus in voto operi affixo in fine n. 6. & 7. Si enim tàm antiquorum quàm modernorum Conuentualium eadem est Regula, eadem Priuilegia Apostolica in modificantibus eam temperantia, idem viuendi modus, vt plusquam satis in recensu Min: Gen: præcipuè Art: 9. & Art: 14. ostendimus, & in sequentibus ampliùs ostendimus: cur ergo Moderni Conu: à prioribus toto cælo distent? cur sint æquiuoci? & à seipsis disparati? cur spurij & illegitimi? cur fraternitatem à prioribus multùm alienam constituant? cur non pertineant ad fraternitatem S. F. vniuersalem? cum ijs qui ante Leonem X. cum ipsissimis Priuilegijs viuentes, & eis renuntiare nolentes; hoc tamen non obstante, ad veram S. Francisci fraternitatem pertinuerunt, & suos Ministros Gen: veros S. F. Successores, per non interruptam successionem continuarunt: vt ipsemet fatetur Marchan: pag: 525. Hi omnes Ministri Gen: Min: Con: fuêre iuxta Priuilegia Apostolica viuentes, & non pertinebant ad corpus filialis Ord: Obser: ab Eugenio IV. separati, nisi titulari adiacentia, nomine vnius Ministri Gen: non verò plenitudine iurisdictionis ex Regula sibi debitæ: cùm independenter filialis congregatio Obser: à suis Vicarijs Gen: tunc regeretur, ipso Marchan: attestante pag: 63. his verbis. *Ita enim fuerunt sub Vicarijs Gen: & Prouincialibus, quòd Vicarij Gen: Ministris Gen: subessent, & ab illis confirmarentur, ac auctoritatem & iurisdictionem velut participarent: etsi enim Vicarij Gen: ad euitandas inquietudines fratrum Reformatorum independenter regerent, nunquam tamen se à Capite separauerunt: Eratq; similis eorum auctoritas quæ modo est Commissariorum Gen: Familiæ: quæ nullam omnino diuisionem à Capite dicit, etsi in subditos & ordinaria & plena sit.*

 27. An

27. An autem hic expositor sit: Reg: conformiter ad Regulam exponat præfata? ipsamet Regula eum falsitatis conuincat: quæ à vero Successore S. F. independentem, siue regiminis, siue cuiusuis actionis Regularis statum, ab omnibus Fratribus sine exceptione arcet, & reijcit, cap: 1. inquiens. *Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius Successoribus obedire.* & vt in omnibus non circumscriptè, non limitatè, ei obediant cap: 10. se declarat dicens. *Firmiter præcipio eis vt obediant suis Ministris, in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare.* Quomodo ergo verum poterit esse, quod nudè nulla ratione vestitus, profert Marchant: dicens. *Nunquam tamen se à capite separauerunt.* Si fratres de Familia seu de Obseru: Ministro Gen: Con: in omnibus non obediuerunt: imò contra eum, coram diuersis Summis Pontificibus vt Nicolao V, Calixto III., Pio II. nè ei etiam vmbram obedientiæ exhibere tenerentur, querimoniosè & tumultuosè institerunt; vt videre est in recensu Min: Gen: præcipuè Art: 15. Imò ipsorum Min: Gen: Con: tempora Leonis X. præcedentium querimoniæ legantur, & prudens lector decernet, an à capite Successoris S. F. fuerint separati necnè, legatur supra Art: 16. n. 17. tum expositio Eugenianæ Iacobi de Alcala Obseru: pag: mihi 67. b. inquientis. *Itaq; pro nulla re mundi, oportet ad Generalem Ord: recurrere; sed fratres omnes de familia ad suum Gen: Vicarium, possunt & debent habere recursum.* Quomodo ergo à capite non fuerunt separati, tantundem ei connexi, & obedientes: Sicut hodie Conuentuales & Capucini, sunt connexi & obediunt Ministro Gen: Obseru: excepta sola nominali & titulari tunc Visitatione, non secundùm Regulam præscripta, sed aliter instituta, & secundùm rem penitùs sublata.

28. Deinde falsum vt solet, dicit Marchan:, Vicariorũ Gen: auctoritatem fuisse similem ei *quæ modo est Commissariorum Gen: familiæ, quæ nullam omninò diuisionem à capite dicit.* Et quia nunc suũ expositorem Regula falsitatis condemnauit, an etiam eum à perfidia constitutiones sui Ord: Obseru: absoluent videamus. Igitur sui Ord: Constit: in cap: 8. Reg. §. 23. n. 3. de Officio & potestate Commissarij Gen: dicunt. *Tempore autem sui Officij, vniuersam familiam suæ curæ concreditam, per se aut per suos Commissarios visitare, &*

ad

ad omnia diſpoſita de Viſitatione, per Miniſtrum Gen: præſtanda pariter teneatur. Et infra n. 5. *quamuis Commiſſarius Gen: in omnibus ſubijciatur Miniſtro Gen: &c. niſi Miniſter Gen: rationabili de cauſa eidem ordinauerit: vt à negotijs quibusdam ſuo iudicio terminandis abſtineat, aut aliquas Prouincias, per ſe aut per ſuos Commiſſarios viſitandas, ſuæ plenariæ iuriſdictioni reſeruauerit.* & n. 6. in fine. *Niſi aliqua cauſa particularis ei* (id eſt Commiſſario Gen:) *per eundem* (ſcilicet Min: Gen:) *fuerit interdicta*: tanta ſubiectio & auctoritas limitata, in Ordine Obſer: tribuitur Commiſſarijs Gen: reſpectu ſui Miniſtri Gen: an autem ſimilis fuerit Vicariorum Gen: reſpectu Min: Gen: Con: dicet Eugeniana quæ incipit. *Vt Sacra* inquiens. *Generalis verò aut quiſquam Miniſtrorum vel Cuſtodum, ſeu frater dicti Ordinis, prædicto Vicario Gen: ſeu cæteris Vicarijs vel cuipiam fratri eiusdem familiæ de Obſer: nuncupatis, moleſtiam ſeu impedimentum aliquod inferre non audeat nec præſumat, niſi quod prædictus Gen: Miniſter per ſe dumtaxat perſonaliter viſitare & corrigere poſſit & valeat &c. De regimine verò & cura Fratrum prædictorum de Obſer: nuncupatorum ſe aliter non intromittat.*

29. Conferat ergo Marchan: auctoritatem præteritam Vicariorum Gen: Obſer: reſpectu tunc Miniſtri Gen: Con: cum auctoritate Commiſſariorum Gen: modernorum, reſpectu ſui Miniſtri Gen: Obſeru: ex ſui Ordinis Conſtit: & eam non ſolùm diſſimilem: ſed toto cælo reali cum terra creato, animaduertet diſtare, non eo cerebroſo cælo, quo modernos Conuentuales, à ſeipſis ante tempora Leonis X. exiſtentibus (impoſtorem agens) diſtare commentus eſt. Commiſſarij Gen: Obſer: ſuo Min: Gen: in omnibus diſpoſitis, de viſitatione ab eo præſtandis obedire tenentur: Sed Vicarij Gen: præteriti Miniſtro Gen: Conuen: vero S. F. Succeſſori, in nulla diſpoſitione obedire tenebantur: neq; correctioni & punitioni obtemperare tenebantur, niſi vt dicit Eugeniana. *De conſilio & aſſenſu maioris partis Vicariorum, vel de Conſilio & conſenſu maioris, & ſanioris partis Fratrum.* Commiſſarij Gen: Obſer: tenentur Miniſtro Gen. Obſeru. obedire: ſi ſibi aliqua negotia, imò integras aliquas Prouincias, per ſe aut per ſuos Commiſſarios viſitandas reſeruauerit: Sed Vicarij Gen: Obſeru:

nequa-

nequaquam in hoc tenebantur obedire Ministro Gen: Con: cui de regimine Fratrum de Obseru: aliter se intromittere non fuit licitum; imò moderni Commissarij Gen: Obser. maiorem habent auctoritatem respectu suæ familiæ Obser: quam habuerit Minister Gen: Con. verus S. F. Successor, respectu tunc eiusdem familiæ Obser: quia eam non potuit visitare per suos Commissarios, nisi *per se dumtaxat personaliter*. Sicut nunc potest Commissarius Gen. Obser: neq; corrigere & punire potuit, secundùm leges Ordinis, nisi *de consilio & assensu maioris partis*: quæ circumscriptio & limitatio, modernis Commissarijs Gen: Obser: non est imposita.

30. Non fuit ergo auctoritas Vicariorum Gen: Obser: respectu Ministri Gen: Con. *quæ modo est commissariorum Gen:* respectu Ministri Gen: Obseru: sed Vicarij Gen. Obseru. æquales in omnibus fuerunt Ministris Gen: Con. ab eis solo nomine differentes: vt patet ex Art. 14. n. 17. & illa circumscripta & circumcisa Visitatio, non secundùm Regulæ tenorem Ministro Gen: Con. debita: Solius nominis titularitati innitebatur, vt determinauerat Pius II. in Bulla quæ incipit. *Felicis recordationis* inquiens, *quamuis non Ministri sed Vicarij nuncupantur; in nomine tantùm non autem re differunt à Ministris.* Vide quæ diximus Art: 15. n. 15. Sic ergo Marchan. in suis assertis, & à Regula, & à sui Ordinis Constit: reprobatus expositor; non potest dicere contra Eugenianam, Ordinem filialem Obseru. nunquam fuisse à capite Ministri Gen: Con. diuisum: cùm nullum influxum Regularem istiusmodi caput ob Eugenianam, in filialem Ord. Obseru: exercere potuisset: adeò vt neq; tantam auctoritatem in amplitudine, supra filialem Ord. Obseru. habuerit, quantam Commissarios Gen. Obseru. ex suis Constit. nunc constat habere. Ex his clarè patet, quòd Ordo Obser. Ministros Gen. Con. tempora Leonis præcedentes, non possit sibi cum ratione attribuere, cùm eis obedire (auctoritate Pontificia fultus) noluerit: & ab eorum Hierarchia se separauerit, & solam nominalem Prælatorum differentiam, non verò realem dependentiam à Min. Gen. Con. retinuerit. Proinde si Ministri Gen. Con. ad Ordinem filialem Obseru. pertinuissent, nihil in

hil in eodem Ordine & de Ordine administrantes, superflui extitissent, & nulla ratione reali exigente (nisi dumtaxat nominali) eidem Ord. Obser. Ministri Gen. Con attributi fuissent; vel si Min. Gen. Con erant pro regimine reali Ord Obseru. necessarij; ergo Vicarij Gen. superflui: Vel si & Ministri & Vicarij Gen. erant necessarij, respectiuè, & distributiuè, iam subordinata facultate Vicarij Gen: pollere debebant, & non absoluta vel æquali, sed dependenti, & limitata: ad eum modum, quo nunc in Ord. Obseru. pollent Commissarij Gen. respectu sui Ministri Gen. Obseru. & tunc cum veritate potuisset dicere Marchan. quòd eorum auctoritas fuerit similis ei, *quæ modo est Commissariorum Gen:* quod totum falsum patet ex cit. Eugeniana, & ex ipso Marchan: independentiam realem Vicariorum Gen. Obser., à Min: Gen. Con. liberè fatente cit. pag. 63.

31. Superest vt vltimum assertum non tàm phrasi Marchantina, quam liuore nostro repersum dissoluamus: & tanquam fœnum tectorum confringamus. Asserit igitur *separatis ijs* &c. id est Conuentualibus. Quòd Ordo primicerius Conuen: non fuerit separatus in nouo statu ab Ord. filiali Obseru. sed potiùs in sua Matrice Assisiensi, in antiquo Statu à maioribus recepto, originaliter permanserit; & filialis Ordo Obser: sufficienter de paternis bonis exdotatus, nouitate Priuilegiorum Apostolicorum, in aliud corpus fuerit duntaxat transformatus & separatus: plusquam satis supra n. 20 ostendimus. Quod etiam antea probè adnotauit Haroldus Obser. ad annum 1517. n. 2. antiquo in statu permanentiam Conuent: sic describens. *Postquam rationes apud se posuerunt,* (id est Conuẽles) *respondissent, se vnionẽ sui cũ Obser: ea ratione nõ approbare quod ipsi deberent reformationẽ subire, aut à pristino viuendi modo recedere, eiusmodi quippe Priuilegia à Pontificibus habere, per quæ laxior ipsorum status indemnis, & conscientiarum securitas permanere possent.* Sed satisfaciamus intento Marchantino pro ingratitudine filiali, paterna generositate plùs æquo ei concedentes. Supponendo quòd Paternus Ordo Conuen: fuerit separatus à filiali; in corpus aliud Anomalum: tamen quæramus ex eo rationem; quare in Anomalum? Anomalus secundùm Hugonem & Papiã dici-

dicitur, quasi Anormalus: id est sine norma, sine lege, sine Regula, seu extra Regulam; & idem significat quod irregularis: cur autem sic Ordo primitiuus Min: Con: deberet denominari? in promptu causa est à Marchantio semper allegari solita, quia Priuilegia Apostolica, Bona stabilia, in communi concernentia, contra Regulam admisit; indeq; per eadem Priuilegia Regulam sibi truncauit, & Etheroclisim passus est. Sed ad has Bullatas nugas, potiùs contra Orthodoxam Ecclesiam (cui hic error principaliter imputari deberet) impias blasphemias: accipiat Marchan: responsum sparsim vbiq; per Articulos diffusum: sed præcipuè supra Art: 9. n. 23. & sequentibus & Art: 14. n. 5. Sicut enim Ecclesia Romana, ex noua bonorũ stabilium possessione, non extitit truncata, Anomala, & alia à primitiua effecta, per Priuilegia sibi de nouo indulta: ita pariter discurrendum est de Ecclesiâ primitiua Minorum, quæ eadem est ac Ordo primiceri⁹ Min: Con.

32. Sed ex conniuentia vt diximus: Supponamus gratis, voluptati mentiendi Marchantinæ illudendo, quòd Ordo primicerius fuerit separatus, *in corpus aliud Anomalum*, quæ culpa erit Conuentualium? sortem successionis & conditionis Anomalæ, atq; etheroclitæ in virtute humilitatis & obedientiæ subire? Conuentuales namq; mandato Leonis X. (pacto tamen conditionato obseruantinis adiuncto) iussi sunt ad instar Jordanis conuerti retrorsum, & succedere in conditionem Status filialis Ord: Obseru: in quo sub Vicarijs militabat, à Conuentualibus triduanam tantùm confirmationis auctoritatem expectans, & nihil ampliùs: postea priuilegio & fauore nouo Leonis X. promotus, ad statum totalis & independentis Religionis, in totali & absoluta forma, ab eo de nouo fuit institutus: in qua forma antea primicerius Ordo Min: Con: ab Innocentio III. solus formatus & institutus extiterat: qui tunc retrorsum reuerti adigebatur, atq; morem, conditionem, & statum filialis Ord: subire compellebatur, in translata confirmatione, in retrouersa conditione, in Prælatorum transnominatione, transmutata præcedentiæ collocatione & alijs vt patet ex Bulla Leonis X. quæ incipit. *Omnipotens Deus.* in hæc verba. *Magistri Gen: Fratrum Con:* &c. *confirmationem ab eodem*

Mini-

Ministro Gen: &c. quemadmodum Vicarij Gen: tunc de familia nuncupati petere tenebantur &c. Magistri Prouinciales Fratrum Conu: cum suis sigillis &c. à Ministris Prouincialibus Regularis Obseru: &c. confirmationem electionum de eis pro tempore factarum, eo modo quo Vicarij Prouinciales olim de familia nuncupatia, tunc Ministris Prouinciarũ FF. Conuentualium petere teneantur. & infra. *Minister Gen: nunc & pro tempore existens, nihil iudicialiter circa ipsos Fratres Conu: &c. exerceat, nisi eo modo, quo Minister Gen: tunc FF. Conu: super Fratres de Familia & eorum Domus &c. exercebat, exercere possit.*

33. Ex quo claré constat Pontificem in voto habuisse, eodem modo, eadem conditione, & statu, inuestire Ordinem Min: Con. in quo modo, conditione, & statu, Ordo filialis quò ad posteriritatis suæ constitutionem: sub Vicarijs antea existebat institutus: quem vice versâ in statu præeminentiæ primitiuorum, collocare voluit Pontifex, conditione adiectâ puræ Obseruantiæ, absq; Priuilegijs bona stabilia concernentibus, perpetuò intemeratè seruandæ. A principio igitur quousq; spes Pontificia condictæ Obseruantiæ, suo fine se frustrari non animaduertisset, sortem, conditionem, atq; statum illius sub Vicarijs constituti corporis, Ordo primitiuus Min: Con. humilitati paternæ innutritus, & Summo Pontifici semper obedire assuetus, ex cit: Bulla subijsse videbatur: Hincq; in corpus Anomalum, ac etheroclitum conuersum separatim abijsse, ex hac Bulla existimatus est à Marchan: Obser: quod si ita est, vt consequenter censet Marchan: , iam totam turpitudinem corporis Anomali refundit in suum Ord: Obseru: cumq; prodit atq; indigitat sub Vicarijs ab Eugenio IV. separatum, in hoc corpore Anomalo perdurasse atq; perstitisse vsq; ad diuisionem nominalem. Tota ergo culpa est in primitiuo Anomalo, & nulla in deriuatiuo: Hinc nulla culpâ afficitur Ordo primicerius Min: Con: dum corporis Anomali, ab Ordine filiali, adhuc tunc Vicariali, mutuati: exttinsecâ inuritur nota, velut fœdâ maculâ, ex alieno sinu in innocuum deriuatâ gremium. Sed dum ex Marchan: sensu corpus Ordinis sui primæuum, sub Vicarijs ab Eugenio IV. conclusum, Anomalum & Acephalum, id est sine lege, sine Regula, acsi irregulare, & sine capite existens,

ftens, vti tunc Miniftro Gen: Con. vero S. F. Succeffori recalcitrans, & folis Vicarijs Gen: totaliter obtemperans, irreuerenter pronuntiatur, & confequenter deprædicatur: ac in eiusdem Status & conditionis corpore Anomalo, aliena fuligine fuffumigato, laruatos vult incedere Conuentuales Marchan: iam certè culpa grauiori, tum originalis Anomali inquinamento turpiori, Ordo Obfer: à fuo defædatur Alumno, quam Ordo primitiuus Min: Con: aduentitia Anomalitatis larua, obfcuratur a fuo impoftore. Deinde fi à Leone X. conftituerentur Conuentuales in corpore Anomalo, id eft fine Regula irregulari: huius inftitutionis Anomalæ, ignominia tota refunderetur in Summum Pontificem fic inftituentem; quod affertum Orthodoxo eft impium. Marchantio pro tantis Beneficij,s tum à paterno Ord: Min: Con: in filialem Obfer: Ord., tum à Leone X. collatis blafphemum: fed contra huiusmodi tam parentibus quam Benefactoribus ingratos, terram in filuis producere ferulas. Serpentem in finu fouet, quisquis apud ingratum beneficium collocat. Sed huiufmodi Chymeris ita grauidus eft Marchan: dummodò Conuentuales fuo exfornicato ftylo inceftet pro nihilo reputat, quæq; abfurda in proximum proferre, etiamfi ipfismet effutitis feipfum, fuum Ord: & fuos Reformatos, atq; alios confequenter compellatur inquinare: libenter illud acceptans: *Ipfe fibi nocet is, alium qui lædere quærit.* vt etiam de ipfo adnotauimus Art: 26. n. 11. Hic ad hominem tantum arguitur, fed Anomalitas Vicaria, neq; per fomnium a Conuentualibus fuit contracta, vel acceptata.

34. Sed Marchantio velut cornici, inter putridos fabularum ornos cornicanti, & improba quæq; obftrepenti: configendi funt oculi, velut illi Virgilianæ: de qua dicitur. *Ante finiftra caua monuiffet ab ilice cornix:* Oftendendo primitiuo Ord: Min. Con. à Summis Pontificibus tempora Leonis X. præcedentibus, Priuilegia Apoftolica fuiffe conceffa. Primum eft Clementis IV. ad fupplicationem S. Bonau: Min. Gen. tunc Communitati primitiuæ conceffum, de quo vide Art. 5. n. 22. Secundum eft Martini IV. à Bonagratia Min: Gen. acceptatum, de quo vide Art: 6. n. 10. Quæ Priuilegia Apoftolica non fuerunt a Concil: Vienen: fubla-

ta fed;

ta, sed approbata, de quo vide Art: 9. n. 24. & 25. & sequentes. Tertium est Joannis XXII. sub Min: Gen: Michaele de Cæsena, de quo vide Art: 10. n. 21. & 26. Quartum est Martini V. à Gulielmo de Casali Min: Gen. impetratum, de hoc vide Art: 14. n. 3. & 4. Quintum est Eugenij IV. sub eodem Gen: de quo vide cit: Art. n. 10. Sextum fuit Pij II. præcedentium confirmatiuum, ad petitionem Jacobi de Sarzuela Min: Gen. de quo vide Art. 15. n. 11. Septimum fuit Sixti IV. ad petitionem Joannis seu Zanettis de Vtino, de quo vide eundem Art. 15. n. 21. Octauum fuit Alexandri VI, de quo vide infra Art. 32. n. 7. Ex his omnibus authenticè productis, eneruantur omnia Marchan: dicteria, & maledicta: ob Priuilegia Apostolica, in modernos Con: eiaculata, cùm ex his productis, manifestè constet, etiam primitiuos Min: Con: Priuilegijs Apostolicis, bona stabilia, redditus & prouentus concernentibus: cùm suis Ministris Gen: dignanter receptis, & admissis statum suum transegisse, & in instituto priuilegijs modificato vixisse, & professos fuisse: quo tamen non obstante, eos Marchan: Priuilegia Apostolica acceptasse negat, & in oculis suis mentiri non erubescit, dum eos tanquam nunquam admittentes Priuilegia, ad suam cathegoriam, & fraternitatem: ipsismet etiam inuitis, reducere contendit, contra Salomonis inuictum Decretum sententiantis, illam non fuisse propriam veri partus matrem, cuius vitam enecari & gladio diuidi studiosè instantem audiuit. Eodem Decreto perstringuntur Marchan: & sibi similes, dum communitatem antiquam Min. Con. ad suam nituntur trahere cathegoriam, vel exinde violentæ vsurpationis rei redduntur conuicti, quod eius vitam non solum enecari, sed famam vitâ quoq; chariorem, gladio linguæ iugulari, & non semel criminari fuerint aggressi. Patula sunt eiusmodi affectus exempla, in Recensu Min: Gen. passim à nobis relata vt Art: 4. incipiendo à n. 20. vsq; ad finem Art. 9. Art. 10. n. 19. & Art. 15 & alibi. Hac de causa expostulandus esset ad legem Corneliam de falsis March: si non sine fronte Tribunali se sistere vellet. Verùm quia frontem amisit, semper fingentis, nunquam probantis Officio fungens: ideo remittendus est cum sua expos. ad fabulas, seu Mytholo-

thologias: non togatas, ſeu prætextatas, ſed tabernarias, vel ſoccipedias inſtitoribus, aggreſtibus, rupiconibus, tantùmmodo declamandas. Quia tamen Statum & cognomentum Conuentualium impudenter traduxit, & in fabuloſos ſenſus diffinxit, acſi Cõuentuales eſſent ex illis de quibus Juuenalis. *Veruecum in patria craſſoq́ ſub aere nati.* Quos vt tutiùs & grauiùs criminari poſſet, ſub ſpecioſo titulo expos. Reg· metamorphoſeon de ipſis concinnauit; vt oſtro tegens cruorem, facilius dotes ſuas occultaret: ſcilicet. *Cui nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes. Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.* Hoc mineruał, ſeu didactrum pro falſa expos: doctrina ſufficiens ſibi æſtimans ſupputari; modò falſo honore ſuum Ord: tingeret, & Conuentuales mendaci infamia terreret, ſciens illud Horatij. *Falſus honos iuuat mendaxq́ infamia terret.* Nec abſq; ratione, quia Sacra hæc non aliter conſtant, ſcilicet Hiſtoriam & Expos: poeticam, abſq; fabula, & mendacio, nunquam conſcribi ſolere. Hoc aduertens Sacer filialis Ordo Obſer: omnibus eius fabuloſis encomijs heroicè oggannit & inquit. *Nullum ego ſum numen quid me immortalibus æquas.*



ARTI-

ARTICVLVS XXXI.

In quo primum Priuilegium Apost: paupertatis in communi temperatiuum, pro Ord: Min: Con: Auctore D. Bonau: obtinetur. Aduersarijs respondetur. Factum conforme institutioni Christi exhibetur.

1. VT aperiamus fontem scaturiginis omnium Reformationum & diuisionum in Ord: Min:, & cognoscamus originariam & Matricem Religionem à qua profluxerunt: Operæ pretium est prænoscere rationem, cur talis varietas; Reformationum multiplicitas, atq; tanta in Ord: Min. introierit diuisionis diuersitas; Et quia hæc non alia dignoscitur, nisi Priuilegiorum Apost: gratiosa concessio, siue rigorosos paupertatis vsus coercens, & temperans, siue bona stabilia, redditus, & annuos prouentus, in communi possidendos, misericorditer indulgens. Huius concessionis Apostolicæ, vt originem in Ord: Nostro primitiuo Min. Con. aperiamus, inuestigare necesse habemus, A quo Pontifice, Quando, Ad Cuius preces Priuilegia Apostolica Ord: Min: Con. fuerunt concessa: & à tota Communitate, seu potiori parte admissa. Ad quam concessionem & admissionem Reformationes primùm in Ord: primitiuo mussitare, mox commoueri, & turbas ciere: tandem ab Ordine recedere, & in aliud Corpus ex indulto Pontificio coalescere, secumq; tantam, quanta in præsens cernitur, diuisionem & diuersitatem trahere inceperunt. Sanè inuenio plures Auctores, tàm extraneos, quàm nostrates: Notabilem auctoritatis classem secum circumferentes: qui vnanimi calculo Priuilegia Apost: in Ord: Min: reducunt ad tempora, & auctoritatem Innocen: IV, à quo primitiui Min: tàm Priuilegia quàm Cognomen *Conuentualium* Apostolicum obtinuisse communiter referuntur, ita affirmant illi omnes quos retulimus Art. 9, n. 25. & n. 26. quibus adiungendus est Rodul: nostras à

Barbo-

Barbosa citatus fol: 151. inquiens. *Hoc tamen pro certo habeo, quòd anno 1258. Alexander IV. Pont: Greg: IX. Nepos, rigorem Regulæ nostræ in multis misericorditer temperauit Pontificatus sui anno 5. Quod fecerunt quoq; multi alij Summi Pontifices, veluti Ordinis Nostri veri Patres & Innocen: IV. viderunt enim Franciscanam familiam latè multiplicatam, & quòd prima rerum facies sensim, quodam laxiori vitæ genere, pro temporum volubilitate, hominumq; varietate: longè immutari cæpit.* Verùm omnes cit: Auctores nullum determinatum indiuiduæ Constit: Pontificiæ de die & anno emanantis, & Regulæ rigorem in paupertate, in communi temperantis, adferunt documentum; indefinitâ & genericâ asse rtione dumtaxat contenti: ideò nobis ampliùs & distinctiùs hoc inuestigandum relinquitur.

2. Et quia abstrusa & occulta, ex connexis & cognatis, clariori luce perfusis, velut aperta indagine cognosci soleant: sic de præmissis ab Innocen: IV. assertis, & primit: Ord: Min: Con: concessis Priuilegiis, nobis faciendum occurrit. Reuera nullum expressum Priuilegium, rigorem Franciscanæ Reg. in paupertate, in Communi temperans inuenio: aut bona stabilia, redditus, & annuos prouentus, in primit: Ord: Min: Con: inducens indultum reperio: Sed dumtaxat rigidum paupertatis vsum, ab Innocen: IV. temperatum, & moderatum agnosco: quod benè digestum est Art: 5. n. 5. & sequentibus: vbi etiam ostendimus n. 4. Expos. Innocentij IV. ex relatione Wad: Reformatis displicuisse, non verò Communitati seu Conuentualitati. Hoc diploma Innocentij IV. refertur in firm: 3. Ord: part: 4. fol: 3. b. Refertur, & aliud apud Wad: ad annum 1253. n. 38. Datum Assisij 17. Kal: Aug: Pontificatus anno 11. quòd incipit *Dignum existimamus.* Pro Sacro Conuentu & eius Ecclesia Assisien: editum, cui plurima offerebantur pretiosa munera, nobilissimaq; à Principibus continuò mittebantur donaria, varium thesaurum auri & argenti cumulantia. Hinc primit: Minores, timentes nè admissa tam pretiosa supellectile, stricta Regulæ violaretur paupertas: Supplicarunt Innocent: IV. vt consuetè admitterentur oblationes, & in honorem S. Patriarchæ conseruarentur. Deniq; in firm: 3. Ord: tract: 2. part: 2. fol: 11. inuenio etiam ab Innocen. IV. Diploma Gen:

Min:

Min: & Prou: Min: directum. Datum Romæ 13. Kal: 7bris Pontificatus anno 3. quod incipit. *Quantò studiosiùs*, in quo concedit Pontifex præfatis Ministris, per se, vel per alios, constituere aliquos viros idoneos: qui auctoritate Pontificia res concessas, quam etiam concedendas: petere, vendere, & commutare, alienare, tractare, expendere, permutare, & in Fratrum vsum conuertere valeant. Ex his hucusq; relatis existimo opinionem effluxisse, quòd Innocen: IV. Franciscanæ Regulæ rigorem mitigasset. Sed reuera licet strictos & rigorosos paupertatis vsus paulò latiùs remiserit, tamen paupertatem in Communi (pro qua tota gliscit controuersia vt quondam pro Helena Bellum Troianum) nec in minimo tetigerit quod sciam: prout afferunt cit: Auctores, nullam Constit: Innocen: IV, paupertatem in Communi, Primitiuis Min: dispensantis, adducentes.

3. Prima igitur paupertatis in Communi mitigatio (de qua diximus Art: 5. n. 22.) fuit primit: Min. iam ante 15. annos Conuentualium cognomine insignitis: indulta à Clem: IV. anno 1265 qui fuit Religionis à S. P. cum adiunctis Socijs inchoatæ 57. habetur Const: Tom: 1. Bullarij Magni, & in firm: 3. Ord: tract. 2. part. 2. fol. 23. dirigitur ad Prædicatorum & Min; Gen. in hæc verba. *Dilectis filijs Magistro & Fratribus Ord: Præd: nec non Min: Gen: Ord: Fratrum Min: Obtentu Diuini &c. Ex parte siquidem vestra fuit propositum coram Nobis &c. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter postulatum &c. Nos itaq; vestris petitionibus benigniùs attendentes, auctoritate Apostolica declaramus, quòd vos in temporalibus bonis in quibus succederetis in sæculo existentes, licitè possitis succedere, & bonorum ipsorum possessionem apprehendere* &c. Nec de subreptione aut sinistra Pontificis informatione, in hoc Priuilegio subdubitare fas est, vt sine ratione aliquibus videtur: nam furtiua & subreptitia indulta, communi corpori iuris non inseruntur: sed velut spuria rescinduntur. Tum quia Concil: Trid: Sess: 22. de Reform: cap: 5. inquit. *Expressas preces subreptionis vel obreptionis, vitio non subiacere.* Deinde hæc Constit: Duorum Ord: Generalibus, ad petitionem eorum fuit concessa: non est autem vero simile, duob⁹ Gen. tam præstantium Ord: Prædic. & Min. adhuc in suo originario

fonte, sanctitate, atq; sapientiâ, florentium non subfuisse suæ supplicationis causas legitimas; sed erroneam Summo Pontifici informationem prætexuisse. Maximè hoc anno 1265. quo Constitutio emanauit, ipsam pro Religione Min: petebat Gen: tunc sanctior homo, qui post S. Franc: Religioni Septimus Gen: præfuerit: nimirum S. Bonau. Annus enim 1265. frit annus nonus Generalatus S. Bonau:, nam vt diximus Art: 5. n. 16. S. Bonau: fuit electus Min. Gen. anno 1256. & per 18. annos Religioni præfuit: vt ibidem n. 18. diximus. Cùm ergo hic Gen: tàm Sanctus, vt ob sanctitatem & iustitiam, inter Diuos fuerit relatus, paupertatem in Communi remitti, pro Min: Con. sua supplicatione, à S. Sede primus procurauerit: iam eo facto ostendit dispensationes, non esse nostri sæculi teporem, sed oriri à tàm vrgentibus causis, quæ etiam SS. Virorum animos mouere præualeant.

4. Respondet Joannes Roufferius Obser: in suo Statu & Origine Min. fol. mihi 100 in hæc verba. *Circa hanc concessionem cùm diligens reuoluerem, quo tempore esset data, & à quo Generali Min: petita esset, inueni quòd toto tempore Pontificatus Clementis IV. S. Bonau: Gen: Minister, totius Ord: reformator, & sui Status puritatis ardentissimus Zelator extitit: quod patet, quoniam prædictus Clemens IV. anno Dñi 1265. ad Apostolatus apicem ascendit, & anno Dñi 1268. è viuis excessit. Et D. Bonauentura ad Generalatus Officium electus, & euectus est anno Dñi 1256. & in officio permansit, vsq. ad annum 1274: Sicq. prædicta Bulla tempore sui Generalatus reperitur petita, & obtenta: quod certè non possum credere: & saluo meliori iudicio, non potest tantus Vir æquè sanctus atq. doctus, ea tempore sui officij procurasse, quæ in detrimentum totius Ord:, Regularis Obseru: iacturam, atq. in natura ipsius altissimæ paupertatis Voti perniciem vergebant. Luce clariùs ex eius scriptis apparet, quomodo ipsis octodecim annis, quibus Ord: vniuersum gubernauit, ad meliorem & strictiorem vitæ rationem reduxerit. Quomodo igitur ipse Sanctus ac Deuotus Doctor, paupertatis altissimæ, ruinam procurauit? qui acerrimus eius defensor, contra quendam, quem vocat innominatum Doctorem extitit? Quomodo ipse sui Status zelator, relaxationem Ordinis petiuit? qui in Capit: Gen: Narbonæ celebrato, decreuit, vt omnia etiam Sacra vasa argentea, præter Pixidem amouerentur, & de-*

& deinceps non haberentur, eò quòd S. paupertati reluctarent? Dicam igitur, quòd aut hæc Bulla nunquam fuit concessa, aut ab altero Pontifice quàm Clemente IV. aut inscio prædicto D. Bonauentura fuit petita, & obtenta. Quidquid sit, nunquam credam D. Bonauenturam hanc Bullam seu dispensationem, à Summo Pontif: petijsse nec minùs impetrasse.

5. De talibus Auctoribus rectè Cic: Lucul: apud Josephum Langium in Florilegio V. Temeritas inquit. *Pleriq; errare malunt, eāq; sententiam quam adamarūnt, pugnacissimè defendere, quàm sine pertinacia, quid constantissimè dicatur exquirere.* Reuera quòd S. Bonau: hanc dispensationē procurauerit, nulla ratione suffult⁹ credere nō vult, nisi quia nō vult: ipsi sufficit pro ratione voluntas. Sed Ecclesia S. eam Bullam Clem: IV. fuisse, Bullario magno insertam agnoscit, & acceptat, igitur ob suam pertinaciam Ecclesiæ credere non vult: quæ nunquam furtiuam, & subreptitiam legem pro legitima agnoscit, & corpori iuris inseri permittit. Imò expressas preces à subreptione esse alienas definit, vt deduximus n. 3. Et falsum est per præfatam Bullam S. Bonauenturam ruinam, & detrimentum paupertatis atq; Regularis Obseru: iacturam procurasse: Bullæ enim Apostolicæ seu Priuilegia debitis ex causis procuratæ & obtentæ, Vota Religiosa non euacuant, neq; Regulares Obseru: deprauant; vt probauimus Art: 9. n. 32. aliter tota culpa ruinæ in Ecclesiam Priuilegia concedentem refundi deberet: Concil: quoq; Vien: Priuilegia antiquæ Communitati concessa non reuocauit; sed cum eis obtentis modum viuendi Communitatis, esse licitum & sufficientem, ad veram Regulæ S. F. obseruantiam agnouit: vt deduximus cit: Art: 9. n. 24. Nō enim in paupertate altissima consistit Religionis cuiusq; perfectio: aliàs Status Joannis Baptistæ, fuisset perfectior Statu Jesu Christi, vt probauimus Art: 8. n. 20. Hæc omnia S. Bonau: considerauit, ideò præfatam Bullam primùs in Ord. Min. procurauit.

6. Neq; sanctitati Bonauenturæ hæc procuratio quidquam officere potest: non enim S. Bonau: Sancto Sanctorum Christo Dño, sanctior fuit, qui tamen loculos habuisse legitur. Neq; sub Sancti Bonau: regimine Ordo Min: præstantior fuit, quàm Ecclesia primitiua Credentium. *Qui habebant omnia communia; possessio-*

nes, & ſubſtantias vendebant: & diuidebant illa omnibus prout cuiq; opus erat. Act: 2. Et tamen nec Chriſtus per loculos, nec Eccleſia per bona in Communi habita, ruinam altiſſimæ paupertati, ſeu Obſeruantiæ Euangelicæ induxerunt. Audiat Rouſſerius Obſer: qui Pauli morem reſpectu Chriſti gerere mauult: quid D. Bonauentura rationem à ſe obtenti indulti reddens, dicat de Chriſto & Paulo, & eius doctrinâ conuictus: pulſa mentis temeritate, credat ipſum huius Bullæ Procuratorem fuiſſe. Dicit ergo Seraph: Doctor in Expos: Reg. in Cap. IV. *Habuit Chriſtus loculos pro alijs infirmis & imperfectis, qui habent loculos pro ſeipſis: qui etſi ſint perfecti, reſpectu habentium propria, vel multa & magna: cùm ipſi habeant pauca, ſunt tamen imperfecti in hoc, reſpectu illorum qui nihil habent penitùs in hoc mundo. Quia nihil habentes penitùs ſunt in ſummo gradu in hac parte, vt eſt poſſibile Statui humano, à mundi periculis & illecebris abſoluti. Vnde Hugo ſuper* Pſal: 10. dicit. *Habebat* IESVS *loculos conformans ſe imperfectis. Chriſtus in numero imperfectorum inueniri voluit, nè præſumerent non accipientes, & confunderentur accipientes. Et ſuper illud Pſalmiſtæ: producens fœnum iumentis* dicit Auguſt: *Habuit Dominus loculos, & dictum eſt de quibusdam fœminis Religioſis, quòd miniſtrabant eidem de ſubſtantia ſua. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando requirens: ſed quia multi infirmi iſta quæſituri erant, magis infirmorum perſonam ſuſcepit Dominus, ergo ſublimiùs Paulus? nequaquam, imò ſublimiùs Chriſtus quia miſericordiùs. Cùm enim videret Paulum iſta non quæſiturum, & præuidit nè damnaret quæſiturum, & præbuit exemplum infirmo.* Hæc Auguſt: *Quod autem dicit, quòd præuidit Paulum non iſta quæſiturum, intelligendum eſt aliquando, & non ſemper, aliquando enim accepit, aliquando non.* Hæc ex S. Bon:

7. Quòd autem S. Bonau: fuerit paupertatis altiſſimæ Zelator, & promotor, verum eſt, ſed cum ea diſcretione, quam à Chriſto didiciſſet, pro firmioribus exemplum præſtando, & pro infirmioribus Priuilegium Apoſtolicum procurando; hac inuentione vtroſq; ſaluando, & nullum periculo damnando. Sciuit enim ex Bernar: ad Guliel: Abbat: *Si qui diſtrictiùs viuere poſſunt, eos qui non poſſunt, nec aſpernentur, nec æmulentur eos, qui poſſunt, ſic mirentur, vt temerè non imitentur, nè præcipitentur vel apoſtatentur.* Acerrimus

fuit

fuit paupertatis contra innominatum Doctorem defensor: quia ipse paupertatem tum in communi, tum in particulari, condemnabat; S. autem Bonauentura hanc amplectebatur, & tuebatur, & illam, quæ tantum est in speciali, & habet bona stabilia in Communi, amore, curâ, & solicitudine, pro securitate salutis multorum prosequebatur. Quod vero dicit. *Aut hæc Bulla nunquam fuit concessa, aut ab altero Pontifice aut inscio, prædicto D. Bonau.* Corrigere, vult Fr. Minor Ecclesiam, hanc Bullam in corpore iuris a Clem: IV, ad petitionem S. Bonau: concessam agnoscentem: cui tamen pertinaciter credere non vult.

8. In hoc facto, Vir Seraphicus Christum apprimè imitatus fuit, qui similem dispensationem credentibus suis dederat, ex sententia Nicolai III, in Bulla quæ incipit. *Exijt* de verb: sig: in 6. his verbis. *Iesvs Christus cuius perfecta sunt opera in suis actibus viã perfectionis exercuit: quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas semitas non damnaret: Sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis; sic & in nonnullis alijs, infirma humanæ carnis assumens (prout Euangelica testatur historia.) Non tantùm carne, sed & mente condescendit infirmis. Sic enim humanam naturam assumpsit, quod in suis operibus perfectus existens, in nostris factus humilis, in proprijs permansit excelsus. Sic & summæ charitatis dignatione, ad actus quosdam nostræ imperfectioni, conformes inducitur, quòd à summæ perfectionis rectitudine non curuatur. Egit namq; Christus & docuit, opera perfectionis. Egit etiam infirma: Sicut interdum & in fuga patet, & loculis. Sed vtrumq; perfectè perfectus existens, vt perfectis & imperfectis, se viam salutis ostenderet, qui vtrosq; saluare venerat: qui tandem mori voluit pro vtrisq;.* Hinc Vir Seraphicus validis, reliquit Regulam eleuatam, infirmis subdidit temperatam: vtrosq; possibili modo saluari solicitus, & de fortioribus trepidus, nè de illis verificetur Psal: 19. *Ipsi obligati sunt & ceciderunt.* De infirmioribus autem Psal: 124. intellexit discretus. *Declinantes autem in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Proinde nè hoc de ipsis verificaretur, eos voluit Priuilegijs Apostolicis communitos, & temperatos.

9. Sciuit optimè Doctor Seraph: illud quod refertur in firm: 3. Ord: part: 4. in defensorio Reg: vitæ contra deuiantes prætextu perfectioris Obseru: fol: 156. *Quia propter infirmos SS. Patres & Doctores Ecclesiæ & Ordinis decreuerunt Regulæ temperare rigorem, secundùm mentem & intentionem S. P. Francisci; nec propter hoc creduntur destruxisse Regulam, nec eius perfectioni derogasse. Vnde & S. Bernar: in sua Apologia contra quendam, qui istiusmodi dicebat velle Regulam, ad literam obseruare; sine aliqua dispensatione inquit sic: Si Regulam ab omnibus qui eam professi sunt ad literam censes esse tenendam, vt nullam omnino dispensationem admitti patiaris, audacter dico, quòd nec tu, nec ille, eam teneatis. Nam etsi ille quantùm quidem pertinet, ad Obseruantias Corporeas in pluribus offendit. Impossibile est te quoq; vel in vno non transgredi: Scis autem, quia qui in vno offendit omnium est reus. Si verò concedis aliqua posse mutari dispensatiuè, proculdubio & tu illam tenes & ille, quanquam dissimiliter: Nam tu quidem districtiùs, at ille, fortasse discretiùs.* Hæc ille. *Si autem præfata istorum obiectio referatur ad hoc, quòd in dictis declarationibus sunt aliquæ dispensationes seu relaxationes, aut extensiones, de quibus nihil in Regula, nec eis S. Franciscus vsus est: dicendum quòd in eis nihil agitur contra substantialia professionis: nec contra præcepta, nisi declarando: vt sciatur quomodo quisq; suam debeat intelligere professionem, & ad quæ teneatur, & quomodo. Nec in dispensationibus discrepant à fundamentis Regulæ, directè vel indirectè, vt patet liquidò sanè intelligenti & discurrenti per singula.* Hæc ex firm: 3. Ordinum.

10. Aduertit enim S. Doctor, quòd tutior sit in humili, & inferiori per accidens statu, collocatio: quàm sublimis in alto simplex periclitatio: Primi namq; Angeli in Cælo propè Deum: & primi Parētis nostri in paradiso, cū innocentia originalis sublimis fuit collocatio: sed eò pernitiosiori casu corruerūt, quò sublimiori statu exciderunt. Non Judæ Apostolatus, non osculum sublimior attactus oris Christi, nō ipsum Corpus Christi quidquā profuit, sed eò fœdiùs perijt, quò sublimiùs id quod erat deseruit. Satis reflexè Alexander VI. in suis Const: Alex: pro Min: Con: anno 1500. (quo adhuc PP. Obseru: araneo filo iurisdictioni PP. Conu: coniuncti erant.) Interamnæ editis in Cap: 6. Reg: fol: mihi 101. sa-

lutare

lutare documentum profert inquiens. *Saniùs & consultiùs est, in his quæ à iure positiuo ortum habent, benignioribus Regulæ interpretationibus tollerare, & quando opus esset dispensare, quàm tot millia Fratrum, (qui forsan aliter quàm faciant, se nouisse non intendunt) perditioni manifestæ exponere, & animos eorum odiosis ac arctis Constitutionibus exasperare, præsertim cùm id iudicio omnium videatur impossibile, non quia fieri absolutè nequeat, sed quia inspectâ natura hominum, iam corrupta malis dispositionibus, nunquam fieret vel cum ingenti difficultate ac Prælatorum periculo fieret.* Idem in Cap: 12. fol: mihi 216. inquit. *Maluimus enim paululum de re nostra præsumere, quàm tantam fratrum multitudinem (sicut sæpè diximus) damnationi exponere.*

17. Hoc salutare documentum quasi ab exordio Religionis secutus est S. Bonau: quod innuere videtur Wad: ad annum 1256. n. 17. *Ordinis Status erat eo tempore in aliquod ferè discrimen adductus, cùm ex secta dissidioq; Fratrum Picenæ Prouinciæ, tum ex perturbatione dissensionum, quæ in cuncta Italia, de puritate Regulæ quodammodo rescissa extiterunt. Itaq; cùm disciplina sanctissimis institutis astricta sensim dissolui cæpisset, tunc primùm Bonauentura vniuersi Ordinis curæ præfectus, in eo maximopere elaborauit, vt non auctoritate solùm, sed exemplo, sapientiâ, moderatione, doctrinâ, Constitutionibusq; rem omnem tueretur. Fuit autem is in illius muneris administratione mitis, admodùm ac benignus, mansuetudine enim potiùs cohortationibus & admonitionibus, quàm minis, aut pœnarum acerbitate, in viam benè agendi reuocauit aberrantes. Paterna verò charitate, & clementia, admodùm singulari erga illos, qui ab Ordinis disciplina desciuissent, aut militiam Seraphicam deseruissent, vsq; eò vsus est, vt non defuerint, qui in Capitulis tàm Generalibus, quàm Prou: id vitio planè ipsi obiectarint.* Ipse tamen Diuino spiritu animatus, istis quiritationibus zelatorum, minimè commotus: huic perturbationi Ordinis, veluti morbo, nullum oportuniùs medicamen inuenit applicandum: nisi dispensationem à Sede Apostolica procurandam, & iam anno superiùs cit: procuratam. Prout etiam aduertit Flauius Cherub: in Compen: Bullarij ad cit: Bullam Clem: IV. in Resp: ad Schol: 2. asserens eam pro Min. Con: emanasse; è contra verò illam Clem: V. quæ incipit. *Exiui de Paradiso* in Clem: *de verb: sig.* pro Min: de Obser: vt diximus supra.

ARTI-

ARTICVLVS XXXII.

In quo reliqua Priuilegia Apost: à Summis Pont: Leonis X. tempora antecedentibus, recensentur. Præfatio Pij IV. inseritur. Subreptitium depellitur.

1. SEcunda fuit paupertatis in communi temperantia (de qua diximus Art: 6. n. 10) à Martino IV. anno 1281. Summo Pontifice creato, tempore Generalatus Noni, post S. F. Generalis Fratris Bonagratiæ; à S. Joanne in Persicetto, de quo diximus Art: 6. n. 6. Huius Bullæ Martinianæ meminit Sixtus IV, in sua quæ incipit. *Dum fructus vberes*. Vbi eam confirmat, vt est videre in firm: 3. Ord: tract: 1. part: 2. fol: 65. b. Et Alexander VI. in suis Const: Alex: anno 1501. Romæ impressis, eam quoq; resumit in cap: 6. Reg: fol: mihi 93, quæ omnia sic breuiter ex dictis Constit: summantur. *Hæreditatesq; fratribus*. si in sæculo forent, ab intestato perferentur, aliaq; bona legata mobilia & immobilia, tum ea quæ Ordinem ipsum ingredientes, sub conditione mortis eorum sine filijs, restituere grauati essent teneri, sicut tenent Monasteria proprium habentia in communi: Si tales grauati illuc ingressi forent, per speciales personas, seu Syndicos a Min. Gen: vel Prouincialibus eligendos, per eosdem administrari liberè & licitè possunt; & præfati Oeconomi, Syndici, & Actores, vti veri & legitimi administratores, res ipsas & earum pretium, in ipsorum Fratrum vtilitates, sicut & quando ab eisdem fratribus forent requisiti, conuertere possunt, & debent, cum plena Generali & libera potestate, petendi, exigendi, alienandi, transiendi, paciscendi, conueniendi, compromittendi, renuntiandi, refutandi, quietationem faciendi, comparendi, agendi, defendendi &c. Hæc de plenitudine potestatis Pontificiæ concessa.

2. Tertia paupertatis in communi temperantia fuit Ord: Min: Con: concessa a Joanne XXII. de qua fusius diximus Art: 10. n. 26.

n. 76. & in corpore iuris videri potest. eius Decretalis inter extrau: quæ incipit. *Quia quorundam.*

3. Quarta paupertatis mitigatio in communi, pro Min: Con. fuit facta a Martino V. (de qua diximus Art: 14. n. 3. & 4.) in Bulla quæ incipit. *Ad Statum Fratrum Ord: Min:* Data Romæ apud SS. Apostolos 10. Kal: Septembr. Pontificatus anno 13. qui incidit in annum Christi 1430, & ponitur in firm: 3. Ord: tract: 1. part: 2 fol: 64. quam Sixtus V, in sua supra n. 1. cit: *Dum fructus vberes.* verbatim repetit & confirmat.

4. Quinta fuit apud Fratres Min: Con: paupertatis in communi rigorosæ remissio (de qua diximus Art: 14 n. 10.] per Eugenium IV. in Bulla quæ incipit. *Apostolicæ Sedis.* Data Romæ apud S. Petrum anno 1432. 4. Kal: Maii, per quam confirmat supra concessa à Martino V, vt videre est in firm: 3. Ord: loco cit: in hæc verba. *Apostolicæ Sedis cura Religiosorum conditiones & Statum plerumq; meditari, & sicut in humanis mores & vita mutari consueuerunt, ita pro Religionis reformatione, adijcere, minuere, declarare, modificare, ordinare, atq; disponere consueuit, prout rerum & temporum qualitate pensatâ, conspicit in Domino salubriùs conuenire. Cùm itaq; fel: recor. Martinus Papa V. --- pro reformatione Fratrum Ord: Min: certas additiones & modificationes ediderit & fecerit. &c.* Vbi confirmat concessa à Martino V. alia adiicit, aliaq; variat. quæ videri possunt apud Wad: ad annum 1432. n. 42. & ad annum 1430. n. 7.

5. Sexta paupertatis in communi dispensatio [de qua diximus Art: 15. n. 11.] apud Min: Con: fuit per Pium II. in Bulla quæ incipit. *Ad exequendum Pastoralis Officij.* Data Romæ apud S. Petrum anno 1458, in qua præmissam Eugenianam confirmat, vt refert firm: 3. Ord: loco sæpè cit: fol: 65. in hæc verba. *Nos igitur plenè informati, additiones, declarationes, modificationes, superiùs expressas &c.* reliquum textum vide Art: 15. n. 11. in fine.

6. Septima in paupertate Min: Con: mitigatio [de qua diximus Art: 15. n. 21.] est Sixti IV. ex Ord: Min: Con: ad Supremum Pontifi-

catus apicem aſſumpti, de quo diximus Art: 16. n. 10. quod etiam aſſerit Roder: Obſer: cit: Art: n. 11. allegatus.

7. Octaua fuit in Ord: Min: diſpenſatio facta ab Alexandro VI. in Bulla, quæ incipit. *Ea quæ per nos*. Data Romæ Anno 1499. 4. Kal: Septembr. in qua Pontifex ampliat & extendit Bullam Alex: V. ex Conuentualibus aſſumpti [de quo diximus Art: 13. n. 11. ex relatione Wad: ad annum 1419. n. 9. Thomam de Curte è ſuo gradu Vicariatus deturbante] Conuentui Camberiacenſi, pro recipiendis legatis relictis, & eleemoſynis, & quibuscunq; pecuniarum ſummis, & bonis, alijs conceſſam: quam Pontifex extendit ad Prouincias Franciæ; non obſtantibus Ordinationibus Apoſtolicis, ac Conſtitutionibus Prouinciæ Franciæ, & Ord: Extant etiam Conſtit: Alex: VI. vulgò Conſtit: Alexandrinæ nuncupatæ, in quibus hæc omnia reaſſumuntur & extenduntur, in Capitulo Interamnæ anno 1500. celebrato, ab eodem Alexandro VI. approbatæ. de quibus Art: 31. n. 10.

8. Et hæc omnia recenſita Priuilegia & indulta, fuerunt Ordini Min: Con: conceſſa, ante diuiſionem PP. Obſeruant: factam per Leonem X. Anno 1517. quo anno nunc primùm Patres Obſeru: ſuum Generalem ex indulto Pontificio habere inceperunt, à iurisdictione, & dependentia, Patrum Min: Con: Matricis Ordinis & fontalis Primiceriorum, & S. Franciſci primogenitorum ſubducti & exempti; & in particularem à patrima & primæua Ordinis communitate familiam redacti, poſt S. F. poſthumam. Fuère & alij poſt diuiſionem Leoninam Summi Pontifices, qui Regulam Franciſcanam pro Min: Con: in paupertate miſericorditer temperatam & mitigatam confirmàrunt: quos nè vlteriùs cogar contexere, ſola vel vnius Conſtitutionis Pij IV. quæ incipit. *Sedis Apoſtolicæ*. Data Romæ 17. Septem: 1565. Conſtitutiones vulgò Pias dictas, in Capitulo Florentiæ pro Conuentualibus editas, confirmantis: ad eas præmiſſa ſufficiet præfatio. Maximè interuentu Sixti V. tunc Fratris Felicis Peretti, Procuratoris Ord: Min: Con: in eo Capitulo Florentiæ præſentis, & ad eas Conſtit: principaliter concurrentis nòmine celebris, digna Sixtino ingenio, integra

integra vt recenseatur ex Compen: Bullarij Flauij Cherubini, ad Bullam cit: Pij IV. relata, hic verbatim ergo intexenda, hoc textu.

9. *Primùm omnium satis constat. Seraphicum P. Nostrum B. F. diuino lumine illustratum, Ordinem suum sub titulo fratrum Minorum instituisse, hocq; Nomen delegisse, ne Fratres sui [vt D. Bonau: testatur super Reg:] de vllo dignitatis gradu contenderent, neq; honoris Nomen sibi vendicarent sed omnibus saluo Dei honore se subijcerent & ad temporalem magnitudinem non aspirarent. Sic verò dicti ad imitationem illorum, de quibus dixit Saluator.* Quamdiu non fecistis vni ex minoribus his neq; mihi fecistis. *Huic autem Minorum titulo in ipsis quasi Religionis primordijs, ex Apostolica auctoritate Nomen Conuentualium accessit, quod vsq; hodie à Nobis retinetur. Innocentius enim IV. Pont: Max: Vir doctrinâ & sanctitate clarus, per Breue quod in Archiuo Ecclesiæ Nostræ SS. 12. Apostolorum Romæ integrum seruatur declarauit, Ecclesias Fratrum Minorum, vbi eorum Conuentus existebant, Conuentuales vocari: Vnde Conuentualium Nomen, Minorum titulo adiunctum est: Nomen quidem humillimum, quod nullum honoris, nullum dignitatis, vel sanctitatis titulum præsefert; sed tantùm Minorum fratrum, ad vnam Regulam, ad vnamq; vitæ Communitatem, vniformem animum significat: sub hoc titulo per vniuersum Orbem creuit Minorum Religio, & adeò celeriter aucta est, vt Superstes adhuc B. Franc: in vno Capitulo Assisij habito, contemplatus sit quinq; & eò ampliùs millia suorum Fratrum, quemadmodum annales Ordinis testantur, quod miraculi locò iure optimo adscribendum foret; non enim sine speciali Dei Omnipotentis virtute & gratia, tot Viri ex tot Prouincijs tàm breui spatio ad tàm arduum viuendi modum adduci potuissent; Hæc auctio autem, non tam propter hominum multitudinem, quàm propter spectatæ sanctitatis Virorum multitudinem ponderanda est, tunc enim quinq; illi Martyres qui Cathalogo SS. adscripti sunt, dum Mahometicam sectam oppugnant, & Christum Deum verum prædicant, apud Marochium Sarracenorum Vrbem, sanguinem profuderant. Tunc septem item Martyres ex eodem Ordine in Cæpta Africæ ciuitate, per Martyrium ad Cælos euolauerant,*

lauerant. Non referam tot prodigia & miracula B. Antonij. Non multiplicem Doctoris Seraphici Bonauenturæ eruditionem & sanctitatem, cuius opera & Consilio in Lugdunensi Concil: Græcorum Controuersiæ de fide compositæ sunt. Prætermittam B. Ludouicum Epis: Tolossanum, B. Claram, Elisabeth, & innumeros alios qui miraculis coruscarunt, ex quorum vita, doctrina, & exemplo, maximam vtilitatem, & splendorem Ecclesia semper consecuta est, vt diuersarum gentium historia testantur. Quis Oranum totius Mauritaniæ munitissimam Vrbem, & alia infidelium Oppida Christianorum imperio restituit? nisi ille Archiepiscopus Toletanus & Cardinalis ex Ordine Min: assumptus, qui ex prouentibus suæ Ecclesiæ, aduersus Mauros classem parauit, & eidem præfuit? Quis vsum cassanum Persarum & Armeniæ Principem, contra Turcarum Tyrannum adeò excitauit, vt postea [Deo votis nostris fauente] ferè semper illi infestus fuerit? Quis Græcos & eorum Imperatorem Paleologum ad Lugdunense Concil: vt in sententiam venirent, Ecclesiæ adduxit? Quis Tartarorum gentem, & Parthos ad fidem Christi verbo, & exemplo traxit? nonnè hi omnes ex Minorum Con: Sodalitio egressi sunt.

10. In his studijs & præclaris gestis Ordo Minorum absque vlla controuersia se exercuit per annos ducentos, & eò ampliùs, in quibus adeò floruit, vt omnes Ecclesiæ gradus, & dignitates adeptus fuerit, eique Summi Pontifices certatim gratias, & priuilegia conferrent, vt in literis Apostolicis facilè est videre. Quis verò tunc fuerit in Ordine rerum Status, quod vitæ genus, quæ Regulæ Obseruatio, multæ Summorum Pontificum in Regulam Nostram declarationes, quarum quædam in Decretalibus continentur, testatum relinquunt; adeò enim dubitationibus & difficultatibus, litera Regulæ Nostræ scatet, vt nisi eam Sedes Apostolica declarasset, nullus dubitandi esset finis.

11. Principio quidem dum pauci essent Fratres ex Mendicatis quotidie fidelium suffragijs victitabant, & vti etiam quotidianis vtensilibus, crimen arbitrabantur, ita, vt cogeretur Summus Pontifex Gregorius IX. eorum conscientiæ per literas Apostolicas consulere, qui hæc dixit;

xit;

xit; Dicimus itaq; quòd nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere, sed vtensilium & librorum, & eorum mobilium, quæ licet habere eorum vsum habeant. Et Fratres secundùm quod Gen: Min: vel Prouinciales duxerint, ijs vtantur, saluo locorum & domorum dominio illis ad quos noscitur pertinere. [*Hæc Gregorius, qui tempore B. Francisci claruit*] *& de se dicit.* Et cùm ex longa familiaritate, quam idem confessor nobiscum habuit, pleniùs nouerimus intentionem ipsius, & in condendo præfatam Regulam, & obtinendo confirmationem ipsius per Sedem Apostolicam sibi astiterimus, dùm essemus in Minori officio constituti &c. *Ad quos verò pertineret prædictum dominium, sequentes Summi Pontifices declarant. Innocentius IV. qui quidem post Cælestinum* [*qui decem, & octo tantùm diebus Ecclesiæ præfuit*) *Gregorio successit, eadem ferè verba dixit, hoc adiungens quòd bona Fratrum non debent vendi, aut alienari, sine licentia Sedis Apostolicæ, cùm tàm immobilium quàm mobilium,* [inquit] *ius proprietas, & dominium, nullo medio ad Ecclesiam ipsam spectent, cui domus & loca prædicta, cum Ecclesiis, & cæteris suis pertinentijs* [*quæ omnia in ius, & proprietatem B. Petri suscipimus*] *omninò tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, immediatè subesse noscuntur. Idem profert Alexander IV. ijsdem verbis. Clemens verò IV. anno primo sui Pontificatus, cùm iam Fratres Min: valdè essent propagati, & quotidianæ eleemosynæ ad eos alendos non sufficerent, concessit vt licitè possent succedere in bonis suorum parentum, & possessiones apprehendere, & in suam vtilitatem conuertere. Et Martinus IV. ex suis literis idem concessisse videtur, cùm de Fratribus Min: loquens dicit.* Ijdem Fratres qui pro nulla re temporali possunt in iudicio experiri, vt exclusis quibuslibet solicitudinibus, liberiùs & quietiùs diuinis vacent obsequijs, & offerentium, donantium, concedentium, aut in vltima voluntate relinquentium, Ord: prædicto vel Fratribus eiusdem Ord: aliquid propter Deum, nè pia intentio fraudetur, sitq; nobis solicitudini, quòd præfatus Ordo pro suis necessitatibus, quoties ingruerit necessitas, vel vtilitas suaderet, recurrere ad Romanam Ecclesiam cogeretur, ad quam omnium

rerum mobilium & immobilium, quibus Fratres vti possunt, ius, proprietas, & dominium, nullo medio spectat &c. *Hæc eadem explicatiùs declararunt recentiores quidam Summi Pontifices, & præcipuè [vt omnes in Paucos includam] Martinus V. Sixtus IV. Alexander VI. Clemens VII. Paulus III. qui etiam concesserunt, vt in hæreditatibus, ab intestato obuenientibus, ipsi Fratres Nomine Ecclesiæ Romanæ, succedere possent, acsi essent in sæculo. Ex quo liquet, quòd quasi à principio surgentis Religionis, Fratres Minores cæperunt habere vsum non tantùm mobilium sed immobilium ex liberalitate Sedis Apostolicæ, quæ ipsorum bonorum ius, & dominium apud se recipiebat, vsum verò Fratribus concedebat, quomodo hactenùs ante Tridentinum Synodum nobiscum se gessit.*

12. Hunc viuendi modum maiores Nostri secuti sunt absq; vlla impugnatione & stimulo conscientiæ, soliciti semper Ecclesiæ Catholicæ pro sua in eos benignitate & clementia, totis viribus vicem aliquam grati animi rependere: donec circa tempora Concil: Const. quidam Nostri Ordinis fratres, Priuilegijs Summorum Pontificum, & eorum declarationibus super Regulam abiectis, soli literæ inniti cæperunt, & sub prætextu Obseruantiæ Regulæ, ad mendicationem quotidianam primorum Nostrorum Patrum, in quibus egebant conuersi sunt: quod à Superioribus Ordinis, nè Spiritui S. obsistere viderentur, facilè illis concessum est. Verùm isti non contenti subduxisse se à Communi vita aliorum, in Constan: Synodo, quæ Anno D. 1418. celebrata est, subduxerunt se etiam ab Ordinaria Superiorum potestate, proprios ex se ipsis præfectos postulantes. Et id quidem obtinuerunt non recusantibus, imò assentientibus Prælatis Nostris, qui ibi aderant, hac tantùm lege præfixa, vt electi ex ipsis Præfecti à Nostris confirmarentur. Et quod Generalis in persona propria eos visitare posset: quod seruatum est vsq; ad Annum D. 1517. Tunc verò sub Leone X. Pont. Max. ita effecerunt quorundam Principum fauore adiuti, quòd ab Obedientia Nostri Gen: se subtraxerunt, & Obseruantium Regulam sibi nomen vendicando, etiam propriũ Gen: obtinuêre. Nos interim Summorum Pontificum declarationem vsumq; bonorum eius post Patres nostros, qui Ecclesiam illustrarunt, secuti

sumus,

sumus, tutiùs esse arbitrantes piam Ecclesiæ declarationem amplecti, quàm omnimodam Regulæ completionem, cum periculo profiteri: & maximè cùm videamus et am ipsos Obseruantiæ Regulæ professores, habere varios redditus, & prouentus, sine quibus minimè viuere possent. Vnde Constat, quòd vsus rerum nostro vsui à Sede Apostolica concessus, paupertati Regulæ non contradicit.

13. *Errant igitur & in Sedem Apostolicam Matrem Nostram temere inuehunt, qui asserunt nos, propter vsum simplicem rerum temporalium, Regulæ Nostræ aduersari, vel non satisfacere. Quibus tandem Sacrosancta Tridentina Synodus, quæ Nobis concedit, vt possimus habere proprium in Communi, ora opprimet. Sed quoniam nulla est adeò bonis legibus instituta Respublica, quæ præuaricatores aliquos non habeat, quibus iusti offenduntur, & mali ad præuaricationem excitantur, ita non est adeò sanctis Ordinibus distincta Religio, quæ aliquos minùs suæ professioni respondentes non habeat, ex quorum vitio publica, sæpè in vniuersos vergit infamia. Quod quidem nè Religioni Nostræ accidat, infra scriptas leges collegimus, per quas Religio Nostra in sua puritate, & in Patrum Nostrorum disciplina, conseruabitur ad Dei gloriam, Animarum salutem, & Ecclesiæ vtilitatem.* Hæc Pius IV. ad Const: suas Pias: de antiquitate Priuilegiorum, & indultorum Apostolicorum, in Ord: Min: Con: Regularem paupertatis rigorem, in communi temperantium, præfatus censetur. Non sine Mystica præfationum virtute, quas ad leges ferendas necessarias esse, & plures effectus operari solitas: pluribus probat cit: Flauius Cherub: in Resp: ad Schol: 2. sub cit: Bulla Pij IV. Item Roder: Obseru: Tom: 1. Qu. 11. Art: 6.

14. His omnibus subscribunt omnes illi Auctores, quos citaui: Art: 9. n. 25. & sequentibus, tum Art. 29. n. 12. & sequen. Neq; vulgare diffugium (quod contra rationem aliqui oggerunt) in animos peritorum irrepere debet; nimirum, superiùs Ordine digesta Priuilegia Apost: subreptitia esse: nam hoc & sine & contra rationem adducitur, vt supra innuimus Art: 31. n. 3. & n. 5. & ipsi Pontifices se ad ple-

num hac in re informatos, vt Pius II. Sixtus IV. supra videndi. Et reuera si aliquod recensitorum Priuilegiorum foret subrepticium, grauidus exuberantis contentionis æstus, inter primicerium Ord: Min: Con: & filialem Reformatum Obseru: intercedens, vel minimam malæ informationis vmbram, & suppositiciam causam reuelasset, quia tantùm densi pulueris, pro reuocatione dictorum Priuilegiorum, irrito conatu multi excitauerunt, vt locò sudoris, opus esset sanguinem violentum transpirare. Hinc Auctor firm: 3 Ord. locis supra cit: alioquin in cæteris tàm veritatis quàm paupertatis propugnator acerrimus: Vnitatis primitiui Ord: defensor pugnacissimus; diuisionis verò eiusdem prætextu perfectioris obseruantiæ ab vnitate deuiantis, hostis validissimus, in opinione sua de subreptione asserta non est audiendus; vti prolata ex immoderato zelo, reducendi ad Ordinis vnitatem se ab ea separantes; ob paupertatem in communi dispensatam: prout erat moris eiusmodi vnitatem Ord: indiuisam Zelantium Patrum; qui vt diuisos reuocarent ad gremium vnius Ord:, omnia Priuilegia rigorem paupertatis in Communi temperantia, licet legitima dimittebant, respuebant, & vocabant subrepticia, maximè hi qui sub Ministris militabant, & reformatam absq; Priuilegijs vitam ducebant, qui vocabantur Regularis Obser: & Obedientiæ fratres Min: contra eos qui sub Vicarijs degebant, quorum Obedientiam non Regularem, ex præscripto Regulæ, sed dispensatam ex præscripto Bullæ asserebant: Et ita tenaciter, nè dicam temerariè, huic suæ opinioni adhærebant, vt etiam aliqui maluerint fide excidere, quàm à sua temeritate recedere, vt patet in Michaele de Cæsena, Gulielmo Ochamo, Viris alioquin doctis, sed ex præsumptione spiritus opinionis suæ nimis tenacibus: qui cum suis complicibus Decretales Extrau: Joannis XXII. paupertatem declarantes, corpori juris insertas, erroneas, & de fide suspectas, temerariè ausi sunt scriptis refutare: quorum scripta sunt prohibita, vt deduximus Art: 10. n 31, & tamen præfatus Auctor firm: 3. Ord. 4. part: in defensorio M. Gulielmi Ochami eis fauere videtur, præcipuè fol: 153. quare connexè hæc cum illa de subreptione Priuilegiorum, opinio eius est repudianda.

15. Rectè

15. Rectè adnotauit Siluester Bartolucius in sua Minorica pag: 216. inquiens. *Neq; enim vim vllam facere videtur subterfugium, quod adducunt illi, qui huic nostræ sententiæ sese opponunt, dicentes, quòd licet Religio etiam ab initio multas declarationes ac glossas Summorum Pontificum admiserit, ac receperit: illæ tamen declarationes ac glossæ non erant relaxatiuæ, ac contrariæ, quales sunt istæ Conuentualium, & ideò professores hujus Regulæ, etiam cum talibus Glossis obseruabant Regulam, sec undùm mentem S. Francisci, sicut ex opposito Fratres Conuentuales cum suis Glossis relaxatiuis erant contrarij, ex diametro voluntati illius Sancti. Cui responderi potest, quòd Dominus noster, & S. Franciscus in prohibitione glossarum, non fecerunt talem distinctionem, neq; hunc sensum habuerunt, sed simpliciter & absolutè dixerunt ad literam, & sine glossa, & ideò isti incidunt in Scyllam, cupientes euitare Charybdim: cùm eò ipso quò nostram opinionem refellere conantur, conuincuntur, sibimetipsis contradicere, cùm glossas reijcientes, glossis ipsis se tutari ac munire etiam atq; etiam satagunt: confirmaturq; multò magis hæc nostra sententia, eò quia declarationes ac glossas in Regula illi eatenùs admittunt, quatenùs obscuram reputant Regulæ intelligentiam; sed præfatæ Regulæ intelligentia est, ijs tantùm obscura, qui renuunt vitam suam conformare obseruantiæ illius: clara autem cuicunq; intellectui, qui passione al. quâ non est obnubilatus vti habetur ex Chron: tom: 1. lib: 2. cap 21. etiam ad mentem S. F. igitur si nobis haud licet recipere glossas, nec minùs illis, & è conu rso, si hoc illis, etiam Nobis. Quare concludendum dicendumq; videtur, quòd sicut de facto ij, qui obseruantiam puram profite: tes sine conscientiæ scrupulo, non obstante tali prohibitione, vtuntur declarationibus ac glossis, tàm Magistralibus quàm Apostolicis, ita & Fratribus Conuentualibus, sine vlla criminis suspicione, licitum est talibus glossis vti.*

16. Maximè hoc erat notandum, quia etiam per suas Declarationes profitentes in puritate Regulam laxantur, vt probè adnotauit Hieronymus Sorbo Capuc: in Comp. Priu. pag. 396. V. *Legata* inquiens. *Quando ergo pecunia legatur, licet tale videatur non valere legatum, cum in Regula sit expressum, vt Fratres nullo modo per se, neq; per interpositam*

positam personam denarios, vel pecuniam recipiant. Nicolaus tamen III. in Decret: Exijt. §. Cæterum talia valere legata, declarauit, modò per amicos spirituales in fratrum necessitates conuertantur, prout in eleemosynis pecuniarijs quæ à viuentibus largiuntur fieri potest. Et quòd sint in quantitate moderata, & non in fraudẽ paupertatis, vt dixit Clem: V. in Clem: Exiui. Qui vlteriùs dicit ibid. *Cùm etiã recursꝰ ad amicos spirituales expressè tantùm in duobus casibꝰ secundùm Regulã concedatur, videlicet pro necessitatibus infirmorũ & fratribꝰ induendis: idq; piè & rationabiliter considerat â necessitate vitæ, ad alias necessitates fratrum pro tempore occurrentes, (cessantibus eleemosynis) seu etiam ingruentes, sæpè dictus Prædecessor duxerit extendendum.* Cùm enim Regula generaliter prohibeat recursum ad pecuniam per amicos spirituales, exceptis præfatis duobus casibus, & exceptio firmet Regulam, pro omnibus alijs extra casus exceptos; hanc firmitatem Regulæ infirmauit Nicolaus III. dum excepta extendit vltra prædictos casus, ad alias etiam necessitates pro tempore occurrentes; Regulam relaxando & extendendo. Quare illa Regula Clementis V. cit. *Vbi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.* Ante Nicolai III. declarationem verificabatur de Fratrum Obseruantia, in puritate Regulæ viuentium, quibus generaliter fuit prohibitus (exceptis præfatis duobus casibus) ad pecuniam recursus, proinde res legatæ pro eorum necessitatibus non poterant vendi, nec expressè in alijs necessitatibus occurrentibus, ad pecuniam fuit concessus recursus. Sed post Declarationem Nicolai III. ampliantis & dispensantis vsum denariorum, etiam in alijs necessitatibus pro tempore occurrentibus: iam exinde recursus ad res, eo animo vt vendantur legatas: quarum vsũ non licet habere fratribus, siue etiam liceat, puta agrum, domum, granum; tanquam ad pecuniam in necessitate factus est licitus, qui non ex Regula, sed ex concessione dispensatiua habetur Nicolai III.: qui postquam concessit huiusmodi res legatas, per idoneas personas venundari, & pecuniam in fratrum necessaria conuerti posse, subiunxit. *In hoc casu illud in omnibus, & per omnia consideratis eorum necessitatibus,*

tibus,

tibus, & moderaminibus supra dictis, quantùm ad fratres seruari decer-nimus: quòd per nos est superiùs in concessis pecuniarijs eleemosynis declaratum. Vbi nota. *per nos concessis pecuniarijs eleemosynis,* ac si diceret: *licet per Regulam generaliter prohibitis.* Idem aduertit Gilbertus Obseru. in suo Pastore Plaga 5. inquiens. *Considera quomodo ampliat Sedes Apostolica: quod etiam intelligitur de necessitatibus alijs, pro tempore occurrentibus.* Et hoc etiam conditionatè est intelligendum, vt ipsa vult Decretalis: Nimirùm *cessantibus eleemosynis.* Ex hac adnotatione manifestè claret, quàm perbellè Bartolucius à nobis adductus supra n. 15. inferebat paritatem Declarationum Apost. pro vtroq; Ord. Min. tàm primitiuo paterno, quàm deriuatiuo filiali, editarum: Quarum non obstante ab vtrinq; Regularis rigoris temperamento: adhuc vterq; Ordo dicitur ad literam seruare Regulam S. F. vt ostendimus Art: 34. n. 18. Idem dicit Roder. Obser. Tom. 2. Q. 127. Art. 1.

ARTICVLVS XXXIII.

Quàm rectè sit cum Min: Con: in paupertate in Communi, per Sedem Apostolicam dispensatum: & quàm impiè eorum honori, per hoc à multis fuit derogatum.

1. EXtra dubium est nullum verâ virtute posse malè vti, & si putatiua sanctitate, ita multi ludificentur, vt alios etiam vitæ meliori & securiori addictos, aspernari non dedignentur. Multi fuêre, prætextu perfectioris Obseruantiæ deuiantes, qui iustitiam suam solam volentes constituere, iustitiæ Dei & S. Matris Ecclesiæ (quæ est Nutrix, Magistra, & interpres omnis veritatis) determinationi noluerunt esse subiecti; sed præsumptione inflati, rationibus cauillosis, & auctoritatib⁹ extortis, asseuerabant Min. Con. S Fran: Reg: spiritualiter, hoc est ad literam, sine glossa, & limitatione non obseruantes, sed posse

possidentes bona in Communi ex dispensatione Apostolica, minimè esse tutos apud Deum, & in Conscientia: adiungentes Minorum Con: Priuilegia Apost. derogare puritati Regulæ, & dispensationem sine causa iusta, esse nullam; quin potiùs dispensanti & dispensato, maximum adferre detrimentum; & in hac opinione fuit Joannes Perrinus ex Nouo Castro, in anno 1495. pro qua tamen modestè (an sincerè incertum) se excusat in serm. 3. Ord. part. 4. fol. 119. b. in hæc verba. *Nec intendo aliquid temerariè asserere seu definire, sed tantùm probabiliter & scholasticè, secundùm Doctorum opiniones procedere.* Peior fuit error temeritati copulatus, Seraphini Ragij in suo libello centum casuum, casu 70. Nomine Conuentualium contra declarationem Innocentij IV. abutentis, vt refert Rodul. pag. 149. b. & vlterius somniantis, Ecclesiam tollerare, acsi Conuentualium Regula esset mala: sed satis superq; huiusmodi errores tum imaginarij, tum voluntarij, potiùs temeritates, de statu & vita Min. Con. animo æmulo confictæ, à S. Sede per iustas rationes profligatæ; & per Censuras Ecclesiasticas proscriptæ, & rescissæ vsq; nunc existunt. Contra quas vti erroneas, & à Joanne XXII. (referente Rodul. pag. 151. in Michaele de Cæsena in Extrau. quæ incipit. *Quia Vir reprobus Michael de Cæsena*) hæreticas declaratas, egregiè strinxit Calamum Bernardinus Taruisinus cognomento Philosophus Minor Conuentualis, & hæreticæ prauitatis Inquisitor, in Prouincia S. Antonij, Perrini & eius Symistarum refellendo errores, vt refert Rodul. pag. 327. b.

2. Fuit quoq; improbata & declarata hæresis Petri Joannis Oliuij, teste Rodul. pag. 151. asserentis, quòd Christus & Apostoli eius non habuerunt aliqua in proprio, nec in communi, nec in rebus quibus vtebantur habuerunt nisi simplicem vsum facti: ex quo inferrebat Minores, si Christum imitari volunt nil posse habere, tàm in proprio quàm in communi: Hoc condemnatur in Extrau. Joannis XXII. quæ incipit. *Cùm inter:* Hinc de eiusmodi opinionibus proscriptis & profligatis Rodul. subdit. *Quare non anxiùs quæro, sed declarationi Summorum Pont. & SS. Conciliorum me in cunctis humiliter submitto, apud*

quos

quos stat summa rerum modus, & forma cuiuscunq; Regulæ. Istiusmodi namq; opinantes, similes sunt hæreticis, qui in Canone Causa 24. Q. 3. cap. 39. Apostolici nuncupantur, qui nihil proprium possidentes, nequaquam recipiunt eos, qui aliquid proprium possident in hoc mundo: vt enim dicit Wad. Obser. ad annum 1317. n. 35. citans Extrau. de verb. sig. cap. *Exijt* in 6. *Nolle aliquid proprium possidere in speciali, & in communi, sicut Fratres Minores ex Regula profitentur, perfectissimum est, sed eos qui proprium possident condemnare hæreticum est:* Et talia asserentes vt hæretici combusti fuère, prout refert Direct. Inquis. Q. 17. & 18. Nos quoq; de similibus diximus Art. 10. n. 8.

3. Idem comprobat Roder. Obser. Tom. 3. Q. 30. Art. 4. inquiens. *Priuilegia Conuentualium derogarent puritati Regulæ, si subreptitia essent, at non sunt subreptitia, cùm in eis causa vera talium indultorum proponatur: multa sua sponte Summi Pontifices illis concesserunt,* vt patet per Bullas Apost. à Nobis allegatas Art. 31. & Art. 32. *Vnde his stantibus* dicit cit. Roder. Obser. *Error est dicere eos qui D. F. Regulam iuxta Ecclesiæ interpretationem; per Summos Pontifices factam obseruant, & in statu esse damnationis, nam ex hoc Ecclesiam errare (quod absit) sequeretur, in his quæ ad animæ salutem spectant. Immò dicebat Nauarrus, quòd mallet esse Conuentualis, seruando Regulam B. F. relaxatam Apostolica auctoritate: quàm Frater de Obseruantia, non seruando illam integram, quam integram vouent Obseruantes, iuxta declarationem Nicolai III. & Concil. Vienen: Ex quibus infertur, cum præfatis Conuentualibus, esse à Sede Apost. sanctissimè dispensatum.* Hæc Roder. Obser.

4. Et quia Maiores Nostri qui pietate & doctrinâ insignes fuère, vix modico ab exordio Religionis interuallo interiecto, scil. decimo quinto post assecutum Conuentualium cognomentum anno peracto; absq; vlla impugnatione, & stimulo conscientiæ, Priuilegia Apost. possessiones, & annuos redditus, Sedis Apostolicæ gratiâ, habere cœperunt: & hoc modo Statum suum professi sunt, & perseuerauerunt Viri non minùs sanctissimi, quàm doctissimi, & præclarissimi: qui

fatente ipso Roder. Obser. loco cit. in hæc verba. *Et ad Apostolicum dignitatis apicem ascenderunt, quorum Statum non debuit Perrinus condemnare, neq; alij Reformati contra ipsum verba proferre, non credentes se tot Patribus prudentiores, quos Deus ad tàm eminentem Statum euocauit: Solùm enim ipsis Reformatis licet dolere, quòd fortè multi eorum & etiam familiæ Obseru. non seruant neq; satagunt integrè seruare suam Regulam, & lugere, quòd multi claustrales & Conuentuales laxiùs seruent illam, quàm à Sede Apostolica fuerit laxata, percupientes, vt omnes legem suam intelligant, & ad amussim adimplere conentur, & nullus illorum Declarationem & relaxationem Apost. auctoritate priuata dilatet. Hoc enim munus Reformatorum est illorum, quorum Professio instrumentis reformatioribus, ad charitatem tendit, & non murmurare & iudicare: cùm Dominus prohibeat ante tempus iudicare.* An autem ipsemet Roder. hanc suam doctrinam opere seruauerit, videndus est infra Art. 42. n. 4.

5. Et vt sole clariùs constet Priuilegia Apostolica Min. Con. pro statu ipsorum modificando concessa, ex debita Ecclesiæ S informatione, & iustis ex causis profluxisse, ac substantialibus eorum Regulæ non derogasse: præter sinceram sanctitatem & circumspectam prudentiam, tum Summorum Pontificum in Artic. præced. relatorũ, tum duorum Gen. tàm eximiorum Ord. Prædic. & Min. primam dispensationem, pro suis Ordinibus procurantium, determinabit quoq; ipsa grauis & seria, de paupertate Min. & eius dispensatione, coram Joanne XXII. Auinione habita disputatio; omnem suspicionem præposteram præcidere potens: maximè cùm ex relatione Rodul. pag. 151. b. ibi interfuerint Viri toto Orbe clarissimi, vt ex Ord. Min. Con. Vitalis Card. Albanus, Bertrandus de Turre Card. Arnaldus Roiardi Archiep. Salernitanus, Anfridus Gonterius Barchinonne, Monaldus Archiep. Beneuentanus, Magister Herueus Ord. Prædic. M. Dominicus. M. Curiæ Romanæ. M. Joannes Panothe Eremita S. Aug. M. Augerius Carmelita: cum multis alijs Cardinal. Archiep. & Episcopis paupertatem Minorum, & eius dispensationem definientibus & terminantibus.

De

De hoc etiam diximus Art. 10. n. 26. & 27. Imò ipsa Sacra Trident: Synodus Sess. 25. de Reg. cap. 3. cum cæteris omnibus Monasterijs & Domibus, tàm Virorum quàm Mulierum: & cum omnibus illis, quibus, aut ex Constit. suis erat prohibitum, aut ex priuilegijs Apost. non erat concessum (*exceptis Domibus Capucinorum & eorum qui de Obser. vocantur*) Nobis Min. Con. concessit, vt licitè bona immobilia possidere valeamus.

6. Hæc omnia præfata claudat Rodul. pag. 152. idem inquiens. *Modò ijs stantibus error est dicere, eos qui D. F. Regulam, iuxta Ecclesiæ interpretationem, per Summos Pontifices factam obseruant, in statu esse damnationis. Nam ex hoc Ecclesiam errare (quod absit) sequeretur, in ijs quæ ad animæ salutem spectant. Quæ cùm ita se habeant, precor patres qui se Reformatos dicunt in charitate, vt quidquid dixi boni æquiq; consulant, nec credant se tot patribus prudentiores, quos Deus ad tàm eminentem statum euocauit. Sciant quòd victoris est magis, qui cum laude vincitur, quàm qui turpiter vincit; & cum animæ iactura. Neminem iudicent, sed meminerint, quòd dum mens humana ad aliena iudicanda ducitur, plerumq; judicij lumine priuatur.* Hæc Rodul.

7. Hoc totum Faber Fauent: Tract. de Restit. Disp. 45. Quæst. 2. num. 84. confirmat inquiens. *Non potest dici in Religione Min. Conu. Regularem obseruantiam non obseruari: neq; potest dici, eos, qui ingrediuntur hanc Religionem, ingredi Religionem relaxatam.* (cuius obesi termini contra Min. Con. familiari abusu suam exposit. lit. Reg. saginauit Petr. March. Obser.) *Quia, vt optimè obseruauit Nauar. in Manuali cap. 12. num. 50. ex Panormitano in cap. super eo. De Regul. & cap. Deus qui. De vita & honestate Clericorum, contra Ioannem Maiorem, & ex alijs multis ab eo citatis ibidem. Illa Religio dicitur relaxata, nec in ea dicitur vigere obseruantia regularis, in qua præcepta pertinentia ad vota essentialia non seruantur; non autem ea, in qua accidentariæ obseruationes iam sunt sublatæ vel mitigatæ Apostolicis Priuilegijs veris, vel ex licentia tacita vel expressa proprij prælati ad hoc facultatem*

haben-

habentis. At præcepta illa vt vidimus non pertinent ad essentiam trium Votorum, sed sunt obseruationes accidentariæ, iam mitigatæ imò sublatæ Apostolicis Priuilegijs verè & ex licentia expressa, nedum tacitâ propriorum Prælatorum, confirmata à Pontificibus, & tantùm ex consuetudine, quæ sola sufficeret, quando aliud non adesset. vt patet cap: 1. de Consuet. Lib. 6. & Glossa & omnes in cap. 1. eodem titulo. Imò etiam si per illicitos actus fuit à prioribus inchoata apud posteros, licet secundùm Soto Lib. 1. De Iustitia & Iure quæst. 7. art. 2. ad secundùm principale: quæ licet apud posteros forsan non posset immemorabilis dici, est tamen rationalis, cùm sit conformis vsui aliarum Religionum, & est tot annorum, atq. adeò vetus & antiqua, quod sufficit ad emoliendα prædicta præcepta & obseruationes. Proinde qui modò ingreditur hanc Religionem, non debet illa præmeditari; & si ea præmeditatur, non tenetur illa obseruare, quia sunt abrogata, & debet solùm quò ad paupertatem ea meditari & obseruare; quæ communiter omnes alij Regulares tenentur obseruare, circa votum paupertatis & vsus obseruationem. Coincidit hic Fabri discursus cum illis quæ diximus Art: 9. num. 33. & Art. 37. per totum idem ostendimus.

ARTICVLVS XXXIV.

An Min. Con. in paupertate in communi, per Sedem Apost. dispensati: dicendi sint seruare Regulam S. F. ad literam. Ita vt eorum dispensatio, non offendat Regulæ literam.

1. DVplex est Paupertas Euangelica. Vna in communi simul & in particulari. Altera solùm in particulari, in Communi verò bonorum stabilium, redditŭum, & prouentuum annuorum vsum concedens. Ad primam obligati sunt omnes Obseru. Capucini & Reformati discalceati. Ad secundam per Priuilegia Apost. reductus est Ordo primicerius Min. Con. cum cæteris Regularibus bona stabilia in Communi

muni possidentibus: qui an hac in paupertate existens, sic ab Ecclesia temperata dicendus sit seruare Regulam S. F. ad literam, id est secundum sensum literalem: necesse est præcognoscere quid sit S.F. Regula, & quid sit eius sensus literalis: hæc autem ille tantùm exactè cognoscit, qui plenè intelligit quatuor causas ipsius Regulæ: tunc enim teste Philosopho rem perfectè scimus, quando eam per suas causas cognoscimus, ipsasq; in se consistentes comprehendimus. Et horum ignorantia, fuit principium omnium errorum, eradicans veram intelligentiam Regulæ Ord. Min. nec errarent Fratres tàm permixtim, & passim, in via Minorum, si cognoscerent quatuor causas Regulæ ipsorum. Communiter autem assignantur quatuor causæ, quæ sunt duplicis generis. Aliæ extrinsecæ vt efficiens, & finalis. Aliæ intrinsecæ, vt materialis & formalis. Has omnes in hoc Art. vestigamus & explicamus, & prius extrinsecas.

2. Causa efficiens Regulæ S. F. (non faciendo mentionem de Deo, qui est causa omnium prima) triplex ponitur. Prima Christus Dominus, ipsomet attestante in Spec: vitæ pag. 8. *Francisce nihil est in Regula de tuo, sed totum est meum quidquid est ibi, & volo quòd Regula sic seruetur. Ad literam. Ad literam. Ad literam.* Secunda est SS. Virgo Maria ex testimonio S. Bouau. in legenda cap. 3. inquientis. *In Ecclesia Virginis Matris Dei, moram faciente seruo ipsius Francisco, & apud eam quæ concepit, Verbum plenum gratiæ & veritatis, continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur Aduocata, ipsius meritis Matris misericordiæ, concepit ipse ac peperit Spiritum Euangelicæ veritatis.* Et cap. 14. inquit. *Ad S. Mariam de Portiuncula se portari poposcit, quatenus vbi acceperat Spiritum gratiæ, ibi redderet Spiritum vitæ.* Tertia S. Franc: qui ipsius Reg. fundator, & causa efficiens: his verbis, cap. 1. Reg. designatur. *Fr. Franc: promittit obedientiam & reuerentiam Dño Papæ Honorio &c. & alij Fratres teneantur Fratri Francisco & eius Successoribus obedire.*

3. Causa finalis Regulæ S. F. seu instituti Ord. Min. non solùm est communis cum cæteris Regularibus, nimirum mundum fugere &

contemnere; Christum imitari, & diligere: sed etiam est specialis, scil: vt per institutum FF. Minorum suscitarentur noui Apostoli, in imitatione operum Apost:, & excitaretur exemplariter Spiritus primitiuæ Ecclesiæ in cordibus fidelium, sicut enim Vnigenitus Dei filius, qui est summa Sapientia, propter animarum salutem, de sinu Patris descendit, vt suo mundum informans exemplo, Verbum salutis hominibus loqueretur: & eos sanguinis pretio redemptos, & Sacro regenerationis lauacro emundatos, æternæ gloriæ redderet consortes. Quod S. Franc: totus Christiformis ruminans, & apprimè imitari cupiens: reuelationibus S. Siluestri, primi in Ord: Min: Sacerdotis, & S. Claræ pauperum dominarum primiceriæ, in diuersis locis mirabiliter sibi patefactis; didicit se & suum Ord: ad salutem animarum, vitæ exemplo, tum doctrinæ Verbo, a Deo fuisse destinatum: quod paucis exponens D. Bonau: dixit. *Non sibi soli viuere, sed alijs proficere, vult Dei zelo ductus.*

4 Causæ autem intrinsecæ Reg: S. F. paulò difficiliores sunt: proinde eas prolixiùs explicabimus, a causa materiali seu literali incipiendo. Hæc in quacunq; cuiuscunq; Ord: Regula in tribus votis essentialibus, nimirum obedientia, Paupertate, & Castitate, consistere ponitur: quæ tria vota essentialia, in quacunq; Regula, per tria ordinariè explicari solent. *Primò*, per essentialia seu substantialia, quæ nil aliud sunt, nisi ipsæmet rationes essentiales, dictorum trium votorum essentialium; seu ipsamet natura eorum, per quam essentialiter subsistunt definibilia in suo Ord. *Secundò*, per qualificantia seu modificantia; & hæc sunt illa, quæ ex vi verborum talis Regulæ, qualificant, & modificant ipsa essentialia, seu substantialia, tanquam eorum modi directè & propinquè, ea adstringentes, & circumplectentes. *Tertiò*, per extranea seu accidentalia: hæc omnia illa, quæ nec sunt essentialia seu substantialia, nec qualificantia seu modificantia, sed extranea, in hac vel illa Regula addita.

5. Horum omnium exempla pono in Regula Min: Essentialia seu substantialia sunt; quæ 1. cap. Reg. exprimuntur per hæc verba. *Viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Qualifi-
cantia

cantia seu modificantia diuersimodè pro diuersitate essentialium, seu substantialium, qualificant, seu modificant. Et quidem; *primum.* obedientiæ Votum essentiale, in Reg: Min: dupliciter qualificatur, seu modificatur. *Primò.* Obiectiuè, accipiendo Objectum pro Materia obedientiæ; quæ cap: 10. Reg. exprimitur per hæc verba: *Fratres obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Deo obseruare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ: Secundò,* subiectiuè, accipiendo subiectum pro illo, in quo est Prælationis auctoritas: ob quam Fratres tenentur tali Prælato obedire, & qualificatur cap: 1. Reg: per hæc verba. *Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco & eius Successoribus obedire.* & per illa cap: 8. *Vniuersi Fratres, vnum de fratribus istius Religionis, teneantur semper habere in Gen: Min: & seruum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Secundum* paupertatis Votum substantiale, qualificatur & modificatur multipliciter. *Primò* quò ad receptionem pecuniæ, vt per illa verba Reg: cap: 4. *Nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, per se, vel per interpositam personam. 2dò* quò ad vilitatis vsum vestium, vt per illa verba Reg: cap: 2. *Fratres omnes vestimentis vilibus induantur. 3tiò* quò ad equitationem, vt per illa verba Reb: cap: 3. *Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate, vel infirmitate cogantur. 4tò.* in non portando calceamenta, per illa verba Reg: cap: 2. *Et qui necessitate coguntur possint portare calceamenta. Tertium* castitatis Votum essentiale, qualificatur seu modificatur etiam multipliciter. *Primò* localiter, vt per illa verba Reg: cap: 11. *Nè ingrediantur Monasteria Monacharum. 2dò* Sacramentaliter, per illa verba Reg: cap: 11. *Nec fiant compatres Virorum vel mulierum. 3tiò* Verbaliter seu socialiter vt per illa verba cit: cap: Reg: *Nè habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum.* Extranea autem seu accidentalia, sunt cætera omnia in Regula posita: quæ nec immediatè, nec expresè, sed duntaxat remotè, & disparatè ad substantialia reducuntur; faciuntq; iuncta Substantialibus, & qualificantibus, hanc Regulam ab alia diuersificari, vt sunt in Reg: Min: Officium D. ieiunium, libertates, admonitiones &c.

6. Causam ergo materialem seu literalem Regulæ Franciscanæ,

ſcanæ, ſumimus in præſenti: pro omni literaliter contento in 12. Reg: capitibus. Hæc autem ſecundùm aliquos ſeptenarium numerum non excedunt. *1mò.* ſunt conditiones. *2dò.* libertates. *3tiò.* Admonitiones. *4tò.* Exhortationes. *5tò.* Præcepta. *6tò.* Vim præcepti habentia. *7mò.* Æquipollentia. Et hæc omnia videri poſſunt in Noſtris Vrb: Conſt: in marginibus adnotata. Secundùm autem alios omnia in Reg: Min: contenta, quaternario numero concludi poſſunt: ſeu vt Rodul: fol: 162. tenet, quatuor partibus. Prima pars Reg. ſeu eius materiæ vel literæ: continet præcepta formalia, de quorum obligatione ſub mortali culpa in Ord: Min. nunquam dubitatum fuit: quia ponuntur in Regula ſub verbis expreſsè præceptiuis, ſeu inhibitorijs, quæ adæquatè ſunt in numero nouem. Secunda pars continet præcepta, quæ appellantur vim præcepti habentia, quibus hoc vocabulum *teneantur* adiungitur. de quorum obligatione ſub culpa mortali, in toto Ord: Min: nunquam etiam fuit dubitatum: & hæc in numero ſunt 4. Tertia pars continet illa præcepta, quæ per verba Æquipollentia Præceptis, ponuntur in Regula: & de his an ſub culpa mortali ſuos obligarent profeſſores, in Ord: aliquando fuit dubitatum: ſed hodie ex Declaratione Clem: V. indubitatam retinent obligationem, ſub culpa mortali: & ſunt in numero 12. Quarta Pars Reg: continet conditiones, libertates, admonitiones, & exhortationes.

7. Cauſæ Materialis explicatæ, qui non capit literam, non capit ipſam D. Franc. Regulam: Litera autem hic accipitur pro ſenſu literali, prout S. P. ſuam voluit ſeruari Regulam, vt ſpec. vitæ refert pag. 8. *Ad literam, Ad literam, Ad literam.* Hæc autem litera vt ſic, ſeu ſenſus literalis duplex eſt. Alia litera ſeu ſenſus literalis, Donati ſiue Priſciani, ſc. Grammaticalis. Alia litera ſeu ſenſus literalis ſpiritualis, ſeu ſcripturalis vel myſticus, ſeu Euangelii, ſeu Regulæ. Hic duplex ſenſus literalis, colligitur ex Conſt: Nicolai III. cap. *Exijt*, in 6. *de verb. ſig.* in qua Pontifex ad finem prohibet. ſub pœna excommunicationis: nè quis dictam Conſt: & Reg. in ſenſu literali Spirituali alio, ab eo in quo per eum eſt expoſita audeat exponere: Concedit tamen eam in ſenſu li-

su literali grammaticali, posse exponi inquirendo. *Super ipsa Const. glossæ non fiant, nisi forsan per quas verbum, vel verbi sensus, seu Constructio, vel ipsa constructio, quasi grammaticaliter ad literam: vel intelligibiliùs exponatur.* Litera igitur Grammaticalis Donati, seu Prisciani, nil aliud ponit, vel dicit. nisi solum verbum vel dictionem, in Ordine ad suum significatum significandum; similiter sensus grammaticalis nil aliud importat, nisi nudam significationem, & nudum sensum verborum, & dictionum, in Ordine ad sua significata: sed litera spiritualis scripturalis, & mystica, siue sit Euangelii, siue Regulæ Franciscanæ, importat plus: scilicet, vt illa significatio grammaticalis, seu illa, significata dictionum grãmaticalium, accipiantur secundùm intentionem dicentis: vnde litera spiritualis scripturalis, seu mystica, duo importat significationem sc: & intentionem, ita etiam sensus literalis spiritualis, seu mysticus: siue sit Euangelicus, siue Regularis, duo dicit, Significationem grammaticalem, & intentionem Auctoris, siue Euangelii, siue Regulæ. Hinc S. Scriptura multos habet sensus literales grammaticales falsos, sed literales spirituales seu scripturales nullos.

8. Hæc dicta clarificantur exemplis, Christus Dñus Math. 17. de Joanne Baptista dixit. *Dico autem vobis quia Helias jam venit,* quæ verba si literaliter grammaticaliter intelligantur, falsa sunt: quia Joannes non fuit Helias in persona, si verò literaliter spiritualiter seu mysticè, ad intentionem Christi intelligantur, vera sunt: quia ex intentione Christi Joannes Spiritu, & virtute Heliæ Helias fuit: non tamen persona Heliæ. Unde Canon. Causa 1. Q. 1. cap. 64. *Marcion* inquit. *Nec putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Hunc sensum literalem spiritualem Scriptura commendat Prouerb. 19. *qui tantum verba sectatur nihil habebit, qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona.* Ad hunc sensum literalem spiritualem meritò dicit Glossa in illa verba Apost. *Litera occidit. Litera scilicet sine spiritu, sicut Iudæi accipiebant literam more grammaticorum. Nos autem accipimus more Theologorum & Catholico-*

tholicorum. Qui ergo in ſenſu literali ſpirituali, ſeu Myſtico, ſeparat intentionem Auctoris, à ſignificatione terminorum, ſiue dictionum; idem facere videtur, ac ille, qui ſeparat animam a corpore: quia vt dicitur in 6. de Reg: Iur: Reg: vlt: *Certum eſt quòd is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. Et in L. *Scire*. ff. de Leg: dicitur. *Scire leges, non hoc eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem habere*. quia vt dicitur. *de verb. ſig.* cap: 6. *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi: quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus*. Et Scotus in 1. Diſt: 1. Q. 3. inquit. *Non eſt facienda vis de Nominibus, vbi conſtat de re*. Hoc ſi aduerterent verbales infantium Magiſtri, Jubati an Jubilati Reg. expoſitores, & definitores: certè tam fœde & immaniter multos innocentes, in ſuis Expoſitionibus, iudaicâ non occiderent literâ.

9. Explicatâ ſenſus literalis ſpiritualis ſeu Myſtici naturâ, ſupereſt vt eius latitudinem adæquatam definiamus. Senſus hic triplex eſt iuxta tres virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem. *Primus* eſt Allegoricus, qui reſpicit fidem ſeu credenda. *Secundus* Anagogicus, qui reſpicit ſpem, ſeu ſperanda. *Tertius* Tropologicus, qui reſpicit charitatem, ſiue agenda. Sic literalis ſpiritualis Regulæ Franciſc: ſenſus triplex eſt. *Quidditatiuus. Qualificatiuus. Quantitatiuus*. Quidditatiuus eſt, per quem exprimitur, quid per verba Regulæ ſecundùm intentionem Auctoris ſignificatur. Qualificatiuus eſt, per quem exprimitur, qualiter, id eſt, ſub quo modo & determinatione, id quod præcipitur in Regula, ſecundùm intentionem Auctoris ſignificatur. Quantitatiuus eſt, per quem exprimitur quantitas obligationis ſecundùm intentionem Auctoris: ſcilicet, quòd ad tot, & ad hæc, nec ad plura, nec ad alia, ex vi Regulæ & intentionis Auctoris, obligantur profeſſores, ſub mortali culpa. Hinc eò vſq; quilibet Fr. Minor, ſuam Regulam, & ſenſum eius literalem ſpiritualem, ſecundùm intentionem S. F. dicitur ignorare: quo vſq; ipſam Regulam, & quamlibet partem ipſius. Quæ, Quid, Qualis, Quanta ſit, non valeat penetrare.

10. Cauſa formalis Reg: Franciſcanæ ſimul cum Materiali

iuncta,

iuncta, vti causæ intrinsecæ, intrinsecam constituunt Regulæ essentiam; & ideò ex vtraq; Regulæ Francisc: tota & adæquata tenetur intelligentia. Et quia Regulæ causam Materialem diximus supra n. 4, tria Vota essentialia, tripliciter ibidem explicata; Sic nunc dicimus causam formalem Regulæ, esse approbationem Sedis Apostolicæ, quæ est forma, anima, & vita Regulæ: & sine qua Regula quæcunq; mortua, & inualida est, prout de Reg: Franciscana determinauit Vrbanus VIII. in sua Const: quæ incipit *Militantis.* de qua diximus Art: 3. n 2. & 3. & Pius II. in Const: quæ incipit. *Circa Regularis.* de qua diximus cit: Art. n. 4. & 5. Approbationem autem Apostolicam, vocamus causam formale, tanquā animā Regulæ, eo modo vtendo animâ, sicut eâ solent Doctores in Moralibus vti, ponentes animam in actibus & virtutibus formatis, sic Legistæ dicunt. *Ratio legis est anima legis.* Et secundùm nonnullos hanc approbationem Apostolicam, ipse S. Pater in sua Reg: vocat animam; per illa verba ex cap. 10. Reg. *Obediant suis Ministris in omnibus, quæ non sunt contraria Animæ.* id est approbationi Sedis Apost: & Regulæ literaliter ad intentionem Ecclesiæ declaratæ. Et quia cuiuscunq; Regulæ duo sunt Conditores, scil: Approbator & Fundator, vt Reg: Min: Dñus Honorius III, & quilibet ei canonicè succedens Papa, & S. Francisc: tamen certum est, quòd Approbator maior sit Fundatore, quia licet vterq; eam ad literam declarare, id est, suam intentionem circa eam notificare valeat, tamen approbator intentionem fundatoris, circa literam Reg: arctare ampliare, commutare, & alterare potest: non tamen è contra. Vnde literalis sensus Regulæ non pendet, nisi à duobus ab Approbatore, & à Fundatore, cum hac tamen differentia, vt à primo scil. Approbatore, pendeat absolutè, à secundo autem scil: Fundatore, restrictè, seu sub determinatione Approbatoris, vt E. G. Honorius III. in approbatione Regulæ Min: sic intendebat, ergo sic est secundùm Regulam ad literam. Postea successu temporis Clemens IV. Martinus IV. Joannes XXII. Martinus V. Eugenius IV. Pius II. Sixtus IV. Alexander VI. (ante tempora Leonis X.) Post tempora autem Leonis X. Pius IV. Concil: Trid: Sess: 25. cap. 3. Nouissimè Vrb: VIII.

VIII. de Min: Con: ſic intendebant, ergo ſic eſt ſecundùm Regulam ad literam.

11. Deinde S. Fran: Fundator, non abſolutè ſed reſtrictim ſub approbatione & declaratione præfatorum Pontificum, ſic intendebat ſuam Regulam ad literam; Ergo ſic eſt ſecundùm Regulam ad literam: ad ſolum enim Papam Approbatorem pertinet Regulas approbare & declarare: & huic approbationi & declarationi, neq; Fundator neq; quæuis alia inferior poteſtas refragari poteſt: Intentio enim præciſa ſolius Fundatoris, nullum obligare poteſt, absq; approbatione & determinatione Sedis Apoſt: vt dicitur de Relig. Domi: in 6. cap. *Religionum*. Et in Extrau: quæ incipit. *S. Romana Eccleſia*. & Diſt: 21. cap: 4. *Inferior Sedes*. & in Decretali Innocentij III. de Relig: Dom: cap: 9. *Nè nimia Religionum*.

12. Hanc cauſam formalem ſuæ Regulæ S. F. Fundator omnimodè percalluit, & ideò omnia contenta in Regula huic cauſæ formali ſubiacere voluit; dum eam S. R. Eccleſiæ pedibus ſubiecit, & ſpeciale ſuæ ſubmiſſionis, & ſuæ Regulæ adiecit votum: ad mentem S. Bonau: in 1. cap. Reg: his verbis. *Fr. Franciſcus promittit obedientiam & Reuerentiam Dño Papæ Honorio ac Succeſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ*. Hinc Summus Pontifex non tantùm ratione Summi Pontificij, ſed etiam ratione huius Votiuæ ſubmiſſionis, Regulam S. F. poteſt declarare, gloſſare, mitigare, ampliare, temperare, commutare, & interpretari: prout Statui Minorum reſpectiuè viderit opportunum. Et huiuſmodi Apoſtolicis declarationibus, mitigationibus, vel ampliationibus, obtemperare debet quilibet Fr. Minor verus, qui pro adulterino degenerare non vult.

13. Vltra hanc intentionem generalem, habuit etiam S. P. circa conditionem & approbationem Regulæ, tres alias literales intentiones, iuxta amplitudinem eorum, quæ totam exæquant Regulam. Prima intentio fuit S. P. *Quidditatiuorum*, quâ intendebat ſubſtantialia ſeu eſſentialia tria vota à Fratribus ſuis ſeruari. Secunda S. P. fuit intentio. *Qualificantium*, quâ intendebat eſſentialia ſeu ſubſtantialia ſecundùm modum qualificantem, à ſuis

fratri-

fratribus seruari. Tertia fuit S. P. intentio. *Quantitatiuorum*, quâ intendebat præter quidditatiua & qualificantia à Fratribus suis seruari etiam ea, quæ ad quantitatem præceptorum Regulæ pertinebant. His præmissis & suppositis.

14. Dico Minores Con: in paupertate in communi per Sedem Apost: dispensati, dicendi sunt seruare Regulam S. F. ad literam simpliciter. Hoc ex dictis quisq; euidenter colligere potest, quia illi Fratres Minores seruant Regulam S. F. ad literam simpliciter, qui eam seruant ad intentionem Approbatoris, & Fundatoris: sed huiusmodi sunt Fratres Min: Con: ergo &c. De intentione Approbatoris scil: illorum Pontificum n. 10. specificatorum dubitare nefas est. De intentione Fundatoris expressa n. 12. non tantùm nefas, sed & impium esset dubitare.

15. Sed non solùm secundùm intentionem generalem S. P. Minores Con: in paupertate in Communi, per Sedem Apost: dispensati, dicendi sunt seruare Regulam S. F. ad literam: verùm etiam conformiter ad speciales tres n. 13. specificatas. Et quidem Deo auxiliante ad intentionem Fundatoris, primam quidditatiuorum seruant Min: Con: essentialia, seu substantialia tria vota; nec in eorum substantia vel in minimo cum ipsis est dispensatum: aliter Minores Con: cum cæteris Regularibus bona in communi possidentibus, simpliciter & essentialiter Religiosi vocari non possent. Essentiæ enim rerum consistunt in indiuisibili; & secundùm Philos: se habent vt numeri: de numero autem E. G. ternario, indiuisibili sublatâ vnitate, iam ampliùs non est ternarius, sed binarius: ita de quidditatiuis seu essentialibus discurrendum est Votis. Restat ergo, quòd illæsis substantialibus & literaliter secundùm intentionem Approbatoris, & Fundat: seruatis: Min: Con: in communi bona possidentes, seruant Regulam ad literàm, ita, vt eorum dispensatio, non offendat Regulæ literam, neq; in minimo lædat, secundùm hanc intentionem quidditatiuorum.

16. Quantùm autem ad intentionem qualificantium, etiam Min: Con: seruant Regulam S. F. ad literam: non lædendo literam Regulæ, seu intentionem S. P. Quia licet Min: Con: habeant

ant à S. Sede dispensationem Apostolicam, in Qualificantibus vltimum paupertatis essentiale Votum; quæ qualificantia expressimus supra n. 5. Tamen hoc non obstante, adhuc literaliter secundùm intentionem Approbatoris, & Fundatoris, Regulam seruare Min: Con: dicendi sunt, etiam in qualificantibus: propter tres rationes. *1mò*, propter generalem fundamentalem intentionem S. P., expressam n. 12. *2dò*, à potiori, quia Min: Con: ex vi professionis suæ, seruant tria vota essentialia, seu substantialia, in sua substantia, nè quidquam læsa, vt diximus n. 15. *3tiò*. quia Min: Con: ex trium Votorum essentialium qualificatiuis, duorum excellentiorum & digniorum qualificatiua, ex vi suæ professionis seruant: scil: qualificatiua Votum essentiale obedientiæ, & Votum castitatis; quæ sunt excellentiora, & potiora, ex determinatione Joannis XXII. in Extrau: *Quorundam exigit*. in hæc verba. *Magna quidem paupertas, sed major integritas: bonum est obedientia, maximum si custodiatur illæsa; nam prima rebus, secunda carni, tertia verò menti dominatur, & animo*. *4ta*. potest addi ratio à pari: quia PP. Obseru: etiam sunt dispensati in qualificantibus, primum Votum essentiale Obedientiæ, vt ostendimus Art: 30. n. 27. & n. 30. & palam cuilibet esse potest ex dispensatione Concil: Constant: Eugenij IV. Pij II, & vltimatè Leonis X. ante cuius tempora Minister Gen: verus S. F. Successor Raynaldus Gratianus; hoc ipsemet fatetur, à Nobis cit: Art: 16. n. 17. & tamen hac dispensatione qualitatiuorum, potioris voti essentialis non obstante: dicuntur seruare Regulam ad literam.

17. Idem dicendum remanet quò ad intentionem *Quantitatiuorum*, quæ Min: Con: seruant: quia vltra *Qualificantia* in valore vltimum paupertatis votum, de quibus supra n. 5. diximus: in nullo præcepto Reg:, tàm ex *Quidditatiuis* quàm ex *Qualificantibus*, sicut & *quantitatiuis* cum Min: Con: per Sedem Apost: extat dispensatum. Proinde simpliciter & absolutè, purè & ad literam dici debent seruare Regulam S. F., nec ob dispensationem *Qualificatiuorum*, vltimi voti diminutam vel truncam, possunt dici seruare Regulam: vt effutit Marchan: Neq; quodammodo, seu secundùm quid, vt valde distortè & obliquè sentire videntur.

Const:

Conſt: PP. Obſeru: in cap: 2. Reg: §. 1. n. 23. in hæc verba. *Conuentuales verò Religioſi, cùm noſtram Regulam quodammodo profiteantur.* Non enim SS. PP. & Doctores Eccleſiæ & Ord:, dum decreuerunt Regulæ tēperare rigorē, propter hoc creduntur deſtruxiſſe Regulam, vel eius perfectioni derogaſſe: vt ex Bernardo probauimus Art: 31. n. 9. quia in iſtis diſpenſationibus, nil agitur contra ſubſtantialia, nec contra *Qualificantia* principaliora, nec contra *Quantitatiuorum* præcepta: niſi prout pertinent ad *qualificantia* vltimum eſſentiale votum. Quare talis temperantia Apoſtolica, non diſcrepat à fundamentis Regulæ, vt patet ſanè intelligenti & non inſanienti.

18. Hæc confirmat Silueſter Bartolucius in ſua Minorica fol: 214. dicens. *Quarta eſt, quod etiam poteſt ſubſtineri, quòd qui ſeruat Regulam ſecundùm declarationem Apoſt: ſeruat eam ad literam, probatur hoc; quia conditor Regulæ formalis fuit Honorius III. qui eam approbauit, ſicut Materialis, qui eam ſcripſit fuit S. Franciſcus. Quando ergo Summus Pontifex, qui Honorio III. ſuccedit, diſpenſat in ea, literaliter eam exponit, & non gloſſas apponit, & ideo Fratres Conuen: obſeruantes eam ſecundùm declarationes Summorum Pontificum, non ſeruant eam ſecundùm gloſſas, ſed ad literam.* Imò ipſe S. Bonau: (ac ſi pro Min: Con: ſcripſiſſet, pro quibus ipſe primam diſpenſationem bonorum in Communi, vt diximus Art: 31. procurauit) in Expoſ: Reg: in illa cap: 2. verba. *Promittentes vitam iſtam & Regulam obſeruare.* Sic exponit: *In qua promiſſione ſic vouent totam Regulam, vt non omni eius parti ſe obligatoriè adſtringant, vouent enim ſe totam Regulam pro Regula habituros, ſecundùm mandantis intentionem.* Sic Min: Con: vouent totam Regulam, vt non omni eius parti ſe obligatoriè adſtringant; ſed duntaxat ſecundùm mandantis intentionem, ſcilicet illorum omnium Pontificum, quos Art: 31. & Art: 32. ac deinceps retulimus. Secundùm ergo horum mandantium intentionem, Regulam totam vouent, & omnia illa, quæ ipſi obligatoriè decreuerunt ſeruanda, ſeruare tenentur ad literam; quæ autem clementer ac beneuolè temperarunt, ad ea obligatoriè non manent adſtricti. Non ſecus ac Patres Obſeru: vouent totam Regulam, nec tamen omni eius parti ſe obligatoriè adſtrin-

ſtringunt: nam *Qualificantibus* primum votum eſſentiale obedientiæ, Regulariter originariè non ſe adſtringunt, ſed duntaxat diſpenſatiuè, & commutatiuè: Ab originaria enim directa & Regulari Obſeruantia in *Qualificantibus* obedientiam, auctoritate Pontificia, manent diſpenſati: vt enim ſupra n. 5. *Qualificantia* eſſentiale & primum Votum obedientiæ recenſuimus, ab his omnibus PP. Obſer: per Sedem Apoſt: ſucceſſiuè manent diſpenſati: Et primùm à *Qualificantibus* obiectiuè fuerunt diſpenſati, *Primò*, à Concil: Conſt: vt diximus Art: 13. n. 5. *Secundò*, ab Eugenio IV. vt diximus Art: 14. n. 19. *Tertiò*, à Pio II. vt diximus Art: 15. n. 10. Et ſimul etiam a *Qualificantibus* ſubiectiuè fuerunt exempti: cùm nonniſi vmbratilem & titularem, non ex Regula præſcriptam iuriſdictionem, in Miniſtro Gen: Con: agnoſcebant: vt ex locis cit: quiſq; cognoſcere poteſt.

19. Sed generaliter & abſolutè, quantùm ad ſecundum *Qualificans* ſubiectiuè, fuerunt diſpenſati per Leonẽ X à quo non ampliùs eum, qui erat à S. F. per continuam & directam ſucceſſionem, verus Min: Gen: & Regularis Succeſſor, ſed alium auctoritate Pontificia ab ipſis eligi permiſſum, agnoſcere cæperunt Min: Gen. auctoritate Pontificia moraliter S. F. Succeſſorem: primùm in anno 1517. ſe nuncupare incipientem. Sicq; illi Vicarij Gen: antecedanei indulto Pontificio in poſterum conuerſi ſunt in Min: Gen:, quibus etiam ante huiuſmodi conuerſionem diſpenſatiuam PP. Obſeru: in omnibus obediebant. Verum Succeſſorem S. F. Miniſtrum Gen: non niſi titulariter agnoſcentes, & auctoritatem ipſius indulto Pontificio limitantes: obedientiam non ipſi vt debebant ex vi Regulæ, tanquam vero Succeſſori S. F. ſed ſuo Vicario Gen: ex diſpenſatione Pontificia exhibebant: vt dicit Eugeniana in hæc verba. *Quòd Gen: Vicarius omnia & ſingula facere poſſit, quæ ipſe Min: Gen: facere poſſet: ſi perſonaliter intereſſet.* Imò Miniſtro Gen: circumſcripta & limitata fuit poteſtas, in Ord: filialem Obſeru: per illa Bullæ verba. *De regimine verò & cura prædictorum Fratrum de Obſeru: nuncupatorum, ſe aliter non intromittat.* ita vt ipſi Min: Gen: vel vniuerſo Capitulo primicerij Ord. Min: Con: neç vnius laici receptionem ad Ordinem Obſer:

liceret

liceret sibi reseruare: prout asserit Jacobus de Alcala Obseru: in Expos: Eugenianæ pag: mihi 67. b. inquiens. *Itaq; pro nulla re mundi oportet ad Gen: Ordinis recurrere, sed Fratres omnes de familia, ad suum Gen: Vicarium possunt & debent habere recursum.* Et subdit Statutum Min: Gen: Gulielmi, quo ordinabatur ne laici reciperentur ad Ordinem, absq; Min: Gen: licentia: quo tamen non obstante per Antithesim, omnia Vicario Gen: per dispensationem, ab obedientia Ministri Gen; veri Successoris S. F, ex vi Regulæ debita, iam exempto, facere & exequi licebat, & ex hac ratione, vt idem Jacobus de Alcala Obseru: cit: fol: asserit determinatum fuit in Capitulo Gen: Trecis celebrato. *Quod Fratres de familia, sunt Fratres de Obseru: sed non Regulari.* Si ergo PP. Obser: stante tali dispensatione *Qualificantium*, primum votum essentiale Obedientiæ dicuntur Regulam S. F. seruare ad literam: non video cur Fratres Min: Con: ob dispensationem in qualificantibus, vltimum votum essentiale paupertatis, non debeant dici seruare Regulam S. F. ad literam. Et si ob dispensationem *Qualificantium* vltimum votum paupertatis, deberent dici Min: Con: seruare Regulam, quodammodo, truncatè, & secundùm quid, certè potiori ratione ob dispensationem *Qualificantium* primum & dignissimum Votum essentiale obedientiæ, deberent dici seruare Regulam, non ad literam, sed magis quodammodo, magis truncatè, magis secundùm quid, magis non simpliciter, vt rectè discurrenti & non insanienti patet.

ARTICVLVS XXXV.

In quo maledicta ab Erasmo Roterodamo Acatolico in Min: Con: Statum eructata referuntur.

1. NOn tantùm domesticos nostros, vestitos duplicibus animi affectibus, tanquam cicuratas viperas morsum statui Min: Con: in silentio bonæ fidei infigentes inuenimus, quos Art: 33. recensuimus: sed etiam foris canes rabidos (illis Lazari de vulneribus dolorum suauitatem linguæ captantibus, non tamen

morſu vulnera inferentibus) deteriores: Statum Min: Con: rictibus mordentes, & ſuper dolorem vulnera addentes reperimus. Ex heterodoxis primus eſt Eraſmus Roterodamꝰ Acatolicus, Martini Luteri in Alemania præcurſor, de quo in initio Hæreſis Luteránæ, per Germaniam ſolenniter hæc decantabatur cantilena. *Eraſmus innuit, Luterus irruit, Eraſmus parit oua, Luterus excludit pullos, Eraſmus dubitat, Luterus aſſeuerat. Vel Eraſmus luterizat, vel Luterus Eraſmizat.* prout omnibus hæreticis eſt familiare cunctos Religioſos Ordines infectari, vituperare, funeſtare, & portentoſa mendacia quotidie de eis fingere, ac eos in odium vulgi producere: Vel ob id maximè, quia Religioſi omnes eorum fabuloſa dogmata deteſtantur, oppugnant, & refellunt. Hoc more eorum Symmiſta Eraſmus perduellibus innutritus, Min: Con: ſuo genuino momordit: dum (vt refert Rodul: pag. 328.) Joannes Standicius Anglus Minorita Conuentualis, Vir eruditus, eius heterodoxas noui teſtamenti Verſiones anno 1520. opugnat, diſſoluit, ad Orthodoxiam erronem reducere ſtudens, ipſe Stomachoſus & Veſano ſpiritu furens, quò altiùs Standicio morſum infigeret, eum cum ſuo Ord: Min: Con: hiſtrio in ſcenam expoſtulauit, & Pantomimi ſolenni ritu perſonatus, in proſcenio fabuloſo, dente Theonino proſcidit, & à veritate auerſus, ad fabulas autem conuerſus: in libro Adagiorum Chiliadis 2. Centuria 5. Adagio 98. hæc fabuloſa deliramenta in Min: Con: laruato ſupercilio effudit inquiens.

2. *Eiusmodi fermè ſpectaculum nobis exhibuerunt; non ſine magna omnium voluptate Superioribus hiſce diebus Londini apud Britannos duo Theologi, quorum alter erat magnus ille Standicius, Franciſcanorum, quos Conuentuales vocant in ea inſula. Coriphios homo mirè vocalis, Scotiſta ſtrenuus animo intrepido: tum ijs lateribus eaq; corporis firmitate, vt vel triarius miles, vel gladiator eſſe poſſet, ni Theologus eſſet. Alter Italus ex eorum ſodalitio, quos vulgus fratres Seruitas appellat, ob id vt accipio, quòd licet ſint ſcarabeis nigriores, tamen vni Virgini Mariæ ſeruiant, neq; cum Chriſto, neq; cum quoquam alio, qui Diuorum quidquã habeant commercij. Verùm hic - - - - concluſiones vt vocant aliquot ponere cæpit inter eruditos diſputandas, quarum pleraq; ad Negociatores*

pertine-

pertinebant excepta prima, quæ ad D. Francisci contumeliam videbatur pertinere. Ea habebat hanc fermè sententiam, peccare fratres Minores si pecuniam accipiant, siue ipsi, siue per alios, & ex consequenti peccare, qui illis pecuniam darent, quòd quisquis ministraret occasionem peccandi, peccaret ipse quoq;. Has fabulas seu insanias falsas, longo verborum circuitu diffundit. Dixi fabulas, cùm ipsemet sua dicta pro fabulis agnoscat inferius dicens. *Atq; hic fuit illius fabulæ primus actus, proximus autem* &c. Has autem fabulas comico discinctus Syrmate, sic exorditur laruatum Seruitam, in scenam inducens eiusmodi Conclusiones exponentem ad propugnandum.

3. *Et cùm ventum esset ad discutiendas expositas conclusiones, tunc (vt fabulatur Erasmus,) Seruitæ obiectus est Minorita quispiam sed Italus, Italo vt cornix cornici configeret oculos. Docti aliquot & proceres arrectis auribus circumstant. Ibi Minorita porrecto brachio. Tunè inquit ais peccare Minores, si tractent pecuniam? Aio. Negas Pontificem posse indulgere, vt liceat? Haud nego. At nobis indulsit. Credo. Licet igitur. Haud repugno. Mentitur igitur tua Conclusio. Hoc telum sic elusit Seruita, mea inquit Conclusio de Minoribus pronuntiat. Illis non licet: Vobis qui Minores non estis licet. Imò inquit alter, Bulla Pontificia nos Minores vocat. Vocat ait Seruita, sed addit Conuentuales. Sic enim Minores Con: Minores sunt, vt homo mortuus est homo.* Hunc autem Comicum risum ampliùs diffundens ioculator Scenicus Erasmus (rectè Tertullianus 2. in Martionem cap: 28. ait. *Virtus paucis amat mendacio erunt multa necessaria.*) subdit Standicium Min: Con: ad obiecta hæc regessisse Seruitæ. *Aio inquit te excommunicatum. Et mox neganti. Est nobis inquit Bulla Pontificia, quæ excommunicat omnes, qui dicere ausint Fratres Min: Con: apud Anglos peccare si recipiant pecuniam: tu vidisti Bullam & affirmas, ergo es excommunicatus. Hic planè iam embrocos tenebatur Seruita, nisi elapsus esset, vt diceret Bullam loqui de Minoribus Con: qui Minores non essent, suam Conclusionem loqui de Minoribus absolutè.* Et hanc comœdiam ex statu Ordinis Min: Con: & Religiosis personis togâ Erasmi Laruatis, & in scena præsentatis confictam, omnibus hæreticis Laicis Nugiuendis, Sciolis, & Sarpedis iucundam, & non sine magna voluptate acceptam fuisse asserit, proinde eam hoc Epiphonemate laureando concludit dicens. *Hoc spectaculi quoniam nobis vehementer iucundum*

fuit,

fuit, volui tibi optime lector eam voluptatem communicare, vt hac amœnitate lectionis tædium leuares. Hæc Erafmus Heterodoxus in fuis chartaceis fchediafmatibus, velut Euangelicis diplomatibus, in fcena pro Tribunali leuitate circulatoria in Min: Con: fententiauit & promulgauit: agnato Centaurorum, Logodædalorum Euangelicorum furore, amarulenta conuicia, & abfurda quæq; abfurdiffima Orthodoxæ Ecclefiæ, & illuftriori eius portioni: Viris Religiofis, ftudio affigentium.

4. Ad confutanda huius hæretici eiufmodi fomnia, etiam ipfo iudice nomine fabularum ftigmofa: fufficiet Standicio Conu: pro orthodoxia Heterodoxum confutanti, & eius Ordini Min: Con: refpondere cum Cypriano contra Nouat: vt alterum Erafmum in hæc verba. *Nos autem fratres dilectiffimi non moueat aut turbet hæretici iftius perfidi abruptæ dementia, qui cùm in tàm ingenti diffenfionis & fchifmatis crimine conftitutus, & ab Ecclefia feparatus fit, Sacrilega temeritate, non dubitet in nos fua crimina retorquere. Cùm enim fit à femetipfo nunc factus immundus fordibus, facrilegijs inquinatus, hoc nunc nos effe contendit.* Et reuera quòd deprauatæ libertatis mancipia oderint; laus eft Ecclefiæ & gloria Chrifti apud Chriftianos: maximè fi ringantur ex eo, quia eorum fabulamenta à Religiofis confutantur. Hinc impius Caluinus (non diftinguens ftatum à perfonis) 4 Inft: cap: 13. §. 15. Religioforum Monafteria vocat *Conuenticula Schifmaticorum, porcorum Aras.* & mores eorum vocat *peruerfos, improbos.* Alter Nebulo Beza in Confes. cap: 7. & 14. Religiofos fugillat, & per probrum contumeliosè vocat, *Superftitiofos, voratores, fuperbos, otiofos, gulofos, amphoras potiùs quàm homines, ignorantes, blafphemos, inuidos, ambitiofos, proditores, homicidas;* Et Monafteria eorũ vocat. *Luftra, & teterrimarum, ac monftruofiffimarum libidinum officinas, vel fœdiffimas potiùs cloacas.* Sed Religiofi cùm ab hæreticis laudari contemptim refpuant, vituperari facilè patiuntur. Sic Status Min: Con: his dicterijs hæreticis non oneratur fed honoratur: Si enim perfecutores fidei, perfecutores fuerunt etiam Status Min: Con: vtiq; fidem fequentibus, Status Min: Con: nõ eft contemnendus pro vitio, fed complectendus pro præmio. Non qui patitur fed qui facit contumeliam mifer eft.

ARTI-

ARTICVLVS XXXVI.

In quo deteriora lædoria, quàm fuerunt Erasmi Roterodami heterodoxi, à Petro Marchantio Obser: in Min: Con: Statum: corructata recensentur.

I. NOuissimè longè heterodoxo Erasmo mordaciori dente Statum Ord: Min: Con: perstrinxit Petrus March: Obser: nostrorum viscerum Conuentualium posthuma Franciscana Proles, qui sub specie Expos: lit: Reg: S. F. (reuera contra lit: Regulam & veram obseruantiam) supra dictas Art: 35. aniles fabellas, ab heterodoxo Erasmo ex odio fidei Orthodoxæ contra Min: Con: confictas, studiosè collegit, consultò transcripsit, & suæ expos: lit: Reg: intexuit: ac multò plures & perniciosiores, quàm heterodoxus Erasmus de suo penu addidit, & affinxit. Cunctas inuicem in Min: Con: suos primicerios & proauctores Patres (gratitudinis ergo ad maiorem ipsorum contumeliam) contra charitatis Christianæ simul & Religiosæ, Regulam, turmatim fæde contrusit: puræ eiusmodi Obseru: professor, feliciùs fabulosæ, & vanæ Metamorphoseon Ouidij, quam cælestis & veræ S. F. Regulæ contra Reg: expositor: per detractionem honoris fraterni, satiùs expilator famosus dicendus. Harum eius epithesium in Statum Min: Con: cum Erasmo Acatolico corructatarum, ex ipsius libello famoso intitulato. Expositio literalis in Reg: S. F. Antuerpiæ Typis Guilielmi Lestenij anno 1648. cuso, Alphabeticam subijcio Synopsim.

1. A FRATRES MIN: CON: *simpliciter & sine adiecto non possunt dici Fratres Minores.* fol: 5.

2. B CONVENTUALES *Regulam Fratrum Minorum simpliciter non voueut, sed prout Priuilegijs relaxata est, & in essentiali suo rigore diminuta* ibidem.

3. C CONVENTUALES *relaxati omnes vt membra à corpore toto dissona, per Leonem X. rescinduntur in aliud corpus* fol: 53.

4. D CONVENTUALES *spoliati sunt Ministeriatu & alijs officijs Ordinis* ibidem.

5. E. CONVENTUALES *à primo stipite separati sunt*. ibidem.

6. F. CONVENTUALES *Priuilegijs contra Regulam utentes, separati sunt in corpus aliud anomalum.* fol: 55.

7. G. CONVENTUALES *non nisi multùm truncatam S. F. Regulam obseruant*. ibidem.

8. H. *Nomen* CONVENTUALIS *sumitur pro ijs, qui Priuilegijs Regulam relaxantibus utuntur, & ex dispensatione redditus & bona possident*. fol: 62.

9 I. *Nullus talis Generalis totius Ord: fuit, nec professionem Regulæ sub huiusmodi dispensationibus ullus emisit ante annum 1517*. ibidem.

10. K. *Nomen* CONVENTUALIUM *sub hac significatione postrema cū nouo Mandato Pontificio, noua significatione euulgatum est* ibidem.

11. L. CONVENTUALES *Regulam S. F. priuilegijs alteratam vouentes, ad fraternitatem S. F. non spectant*. fol: 464.

12. M. CONVENTUALES *non censentur eodem semine nati* (supple cum Obser:) *sed alio siue alterato, & consequenter eiusdem sanguinis communionem non habent*. ibidem.

13 N. *Efflorescit* (puta Ordo Min:) *altissimâ paupertate, quæ omnis rei proprietatem & quosuis iuris actus abijcit, tàm in cōmuni quàm in particulari. In qua paupertate nullus hactenus ordo in Ecclesia, huic fraternitati assimilatus est, imò per hanc omnes legitimi filij S. F.* (supple omnes obseruantini) *ab illegitimis & spurijs* (subaudi Minorib⁹ Cōuent: iuris act⁹ in paupertate nō abijcientib⁹) *sunt distincti*. fol: 465.

14. O. *Moderni Minores* CONUEN: *à prioribus antiquis toto cælo sunt distantes*. fol: 491.

15. P. *A tempore S. F. vsq; ad Concil: Constā: nullus Fr. in Ordine fuit vocatus* CONUENTUALIS. ibidem.

16 Q. *Nomen* CONUENTUALIS *primò inditum est à tempore Concil: Constant: potissimum ab Eugenio IV*. fol: 492.

17. R. CONUENTUALES *sunt antiquiores Obseruantibus, non huius nominis distinctione, sed quia fratres de Communitate in eos deuolati sunt, à quibus Patres de Obseruantia, antequam Conuentuales nuncuparentur, exierunt*. pag: 494.

18. S. *Fratres de Communitate &* CONUENTUALES *dicti vsq; ad tēpora Leonis X, simpliciter professi sunt Regulam S. F. absq; Priuilegijs*. fol: 495.

19. T. *Fratres de Communitate ſeu* CONUENTUALES, *non potuerunt licitè pecuniam, bona temporalia, & redditus poſſidere, aut Priuilegijs vti à tempore S. F. vſq; ad Leonem X.* ibidem.

20. V. *Fratres moderni tanquam lapides Beſtiales, & mali, ſine conſcientia & ſcientia, remanent ſicut entia bruta. Hæc dicebat* (ſupple Samſon Min:Gen:) *de fratribus intra Conuentuales relaxatis.* pag: 511.

21. W. *Nullus ex omnibus Generalibus vſq; ad 32. fuit aut* CONUENTUALIS, *aut ex* CONUENTUALIBUS *aſſumptus.* fol: 515.

22 X. *A tempore Concil:Conſtant:vſq; ad Leonem X.omnes Gen: ex* CONVENTUALIBUS *aſſumpti ſunt, non vt modo Conuentuales ſunt, bona temporalia poſſidentes.*ibidem.

23. Y. *Nullus Generalis fuit* CONVENTUALIS *nomine aut profeſſione eorum, qui poſt Leonem X. fuerunt.* fol: 516.

24. Z. *Nomen* CONUENTUALIUM *Modernorum cum prioribus antiquis æquiuocum eſt, & profeſſio planè diuerſa* ibidem.

25. *Communitas Ordinis nunquam redditus aut Priuilegia contra paupertatem & Regulæ puritatem admiſit.* ibidem §. 3.

26. *Corpus Ordinis ſumitur ex membris ſanis, non ex putridis, etiam inter Conuentuales reputatis: quibus non obſtante multorum inhoneſta relaxatione,Ordo abundauit.* fol: 517.

27. *Conſtat qui reputati fuerunt inter ſana mēbra in Corpore Ordinis, & qualiter omnes impuritates contra Regulam ſunt abominati* (mente ſubaudi omnes Obſeru:) fol: 522.

28. *Ex quibus conſtat - - - qualiter etiam relaxati reputarentur inter mortua mēbra & ſcandaloſos Vineæ agricolas.*(ſupple omēsCon:)ib.

29. *In medio Communitatis &* CONUENTUALIUM *habitantes non adorauerunt idolum auaritiæ & relaxationis, nec flexerunt genua coram Baal.* pag: 526.

30. *Minores* CON: *ab electione Capitis totius Ord: remanebant excluſi.* fol: 530.

31. CONVENVUALES *Obſeruantiæ Regulæ ſecundùm ſuam puritatem ſubſcribere redditibus & Priuilegijs renuntiare noluerunt.* ibidem.

32. CONVENTUALES *Fratres Minores S. F. ſimpliciter non poſſunt nūcupari, ſed Frarres Con: S. Franc.* ibidem.

33. CONVENTUALES *cùm Regulam noſtrā quodammodo profiteantur* Conſt: PP. Obſer: in Cap: 2. Reg: §. 1. n.23. Iii 2 34.

34. CONVENTUALIBUS *redditaum & Priuilegiorum vsum Leo X. indulsit, & hoc indultum Professioni eorum inseri voluit.* fol: 530.

35. CONVENTUALES *non Regulam S. F. simpliciter, sed Regulam certis Priuilegijs & Pontificum Decretis modificatam, & relaxatam vouent.* fol: 531.

36. CONUENTUALIUM *vt respectus ad petram de qua excisi sunt non periret, Pontifex Ordinauit vt Magister Gen: Con: peteret confirmationem à Min: Gen: Obser:* fol: 531.

37. CONVENTUALES *post Leonem X. instituti, non pertinent ad Ordinis S. F. Vniuersalem fraternitatem.* fol: 533.

38. CONVENTUALES *post tempora Leonis X. nouam & singularem fraternitatem auctoritate Pontificia constitutam faciunt, ab Vniuersali Ordinis fraternitate multum alienam.* fol: 535.

39. CONVENTUALES *nihil retinent Commune cum Ordinis fraternitate ante tempora Leonis X. existente.* ibidem.

40. CONVENTUALIUM *Modernorum Conuentualitas est omninò à Conuentualitate ante tempora Leonis X. distincta & disparata.* ibidem.

41. CONVENTUALIUM *sana membra puritatem Regulæ seruarunt, nec redditus aut possessiones vt licitas admiserunt.* fol: 536.

42. CONVENTUALES *Moderni, omnino à Gen: totius Ord: se separant, & aliam omnino professionem emittunt.* ibidem.

43. CONVENTUALES *Moderni Heliam Gen: non sibi proponant, quia eius relaxationes Deo & Ordini abominabiles fuerunt:* ibidem.

44. *In his tamen nolo Minoris æstimare PP.* CONVENTUALES, *qui secundum professionem approbatam à S. Sede Apostolica, vitam Religiosam ducunt, & in Ecclesia Dei suum splendorem habent.* fol. 536.

45. *Hoc deduco latiùs vt verborum lites, & vanitates veritate lucescente sopiantur, & sepeliantur. &c. &c. &c.*

Hæc omnia quæ leuifidi Marchantini sequaces tanquam muta animalia habitualiter norunt in ijs corrumpuntur: quæ autem de Statu Min: Con. ignorant blasphemant. Art: 50. eodem ordine Alphabetico & numero adnotantur, & loca ac rationes, quibus hæc propudiosa lædoria dissoluuntur, indigitantur & commonstrantur.

2. Prædicto epiphonemate ad instar Erasmi coronauit suas fabulas

bulas Petrus Marchan: Obſer: optans vt verborum lites & vanitates ſopiantur, & ſepeliantur, & ſua mendacia in dehoneſtationem Status Min: Con: conficta, tanquam oracula credantur: quia vt dicit Homerus. *Falſus honos iuuat, & mendax infamia terret.* Quod vt faciliùs conſequeretur: extinguendis litium flammis, accomodum Expos: Reg: concinnauit inſtrumentum; pyrio puluere, nitro, ſulfure, reſina & pice ſuffarcinatum. Et vt fucum fidei prætenderet, hæc omnia ex rei veritate, in Statum Min: Con: ſcripſiſſe: tribus verbis in fine eos nomine eulogiæ cohoneſtauit inquiens, *Vitam Religioſam ducunt, & in Eccleſia Dei ſuum ſplendorem habent:* Sicq; vt inueniretur iniquitas eius ad odium; poſt tot ſtigmata, fronti primicerij Status Ord: Min: Con: fœde inuſta, oculis erutis, auribus & naſo deciſis, viſceribus enucleatis, producit eos in publicum iam deartuatos, exemplatos, & velut nouos Samios literatos: ad eum modum, quo fecit Pontius Pilatus Saluatori: flagellatum, ſpinis coronatum, veſte purpurea circumdatum, colaphis cæſum, foras produxit populo, vt inquit S. textus Joan: 19. *Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis quia in eo nullam inuenio cauſam* & dixit *Ecce Homo.* Sic Marchan: ſed iniquiùs, quia Pilatus liberè faſſus eſt; *vt cognoſcatis quia in eo nullam inuenio cauſam.* Marchantius autem cauſam, quam contra Min: Con: finxit, pro vera Expos: Reg: intexuit, & præmiſſis ſpinis, alapis, ludibrijs & flagellatione: per Ironiam dicit de Min: Con: ſine adiunctiuncula tamen (*Ecce*) *Vitam Religioſam ducunt, & in Eccleſia Dei ſuum ſplendorem habent.*

3. Hæ fabulæ ſeu mythologiæ primùm ab Eraſmo Roter: Acatolico poſt tempora Leonis X. principiatæ, poſtea à Petro March: Obſer: ſub ſpecie expos: Reg: collectæ ac exſcriptæ commentario auctæ, & tanquam ab Eraſmi interprete, paraphraſte, & auctionario, ita incrementatæ: vt eis alphabetica literarum ſerie deſcribendis, obeliſci tàm Marchantio, quàm Eraſmo, pro triumpho erigendi, Baſis ſpacium ſufficere non potuerit: multiplicauit eas ſuper numerum, vt apparentiores, & grauiores redderet, Eraſmi concluſionibus: Sicq; ſua Expos: Reg: hoc artificio digeſta, Londini, vel Oxonij, inter Eraſmi concluſiones facilius

liùs principem poſſet obtinere locum, & morionibus, ioculatoribus, detractoribus, diuerſi ſtatus hominibus, tum Nouitiolis, infirmis, puſillis, ſciolis, & rei hiſtoricæ ignaris, ampliorem traductionis materiam ſubminiſtraret. atq; vt iſtiusmodi fabulæ: quæ in theatris, ſiue cantantur, ſiue ſaltantur, ſiue mimica ſcurrilitate ridentur, impunè ampliùs contra Min:Con: diffamarentur. Nouum eſt ſtudium ab eo adiunctum: vt ad hæc paradigmata, ſiue exteri, ſiue domeſtici aſpicientes, ſimiles monſtruoſitates concipiant, pariant & diffamet, vti Jacob ſimplices oues, ſub aſpectu virgarum in canalib⁹ concipientes, & tales part⁹ edentes, qualis erat virgarum varietas. Maximè legendo titulum Expos: lit: Reg: & reſpiciendo Petrum March: Auctorem: qui vt viſum luſcorum congregaret, nigerrimo titulorum (*totius Ordinis Seraphici Definitoris Gen: Prouinciæ Flandriæ Patris: & Prouinciæ S. Ioſephi in Comitatu Flandriæ Miniſtri Prou: ſuper Prouincias Germaniæ, Belgij, ac annexas eiusdem Ord: Commiſſarij Gen:*) liquore atramentarium ſuperauit. Præfatam Expos: ſuo Generali tanquam Hoſtiam ex puriſſima ſimila, oleo conſperſa abſq; fermento, filijs ſuis diſtribuendam dicauit, & de licentia ac mandato ſuorum Superiorum, vt in licentia & mandato Superioris dicitur. (*Ad plurimorum Religioſorum ſolatium & maiorem quietem conſcientiarum, & ſatisfactionem externorum: qui ob diuerſitates Reformationum Ordinis, diuerſimodè & ſæpè malè iudicant*) vulgauit approbatam. His præſtigijs coruſcum qui legerit libellum; nonnè dicere & facere exemplo ſtimulabitur, non ſecus ac ille Jouem ſinum Danaæ inuadentem intuens, apud Auguſt: lib: 2. de Ciu: cap: 7. dixit. *Qui templa cæli ſummo ſonitu concutit; & ego homuncio non facerem? ac ego verò illud feci libenter.*

4. Huic fini faciliùs conſequendo, commodiora ſuffecit media, dùm ſuarum Mythologiarum Enchiridion ſeu manuale formauit, vt hoc epilogio, quacunq; manu circumferri prompto, faciliùs lectores præoccuparet, & faſcinaret: Expos: Reg: & obſeruantiæ titularis illicio pellectos, atq; à conficto Min: Con: Statu deterritos, & auerſos efficeret, ſolusq; ipſe philautiæ immerſus, ſuâ putatiuâ excellentiâ & vanitate inflatus, velut Scarabeus

fumanti

fumanti fimo pinguesceret, & reciperetur apud Sciolos veritatis ignaros, vt apud Romanos Fabulinus Deus, qui pueris primò fari incipientibus, præesse putabatur adhuc aduertere impotentibus: an fabulæ essent ea quæ primò proferebant, an solidum verum. Similibus præesse videtur Petrus March: tanquam apud Romanos Fabulinus: dum primus fabulas ab Erasmo Acatolico coaceruatas, nomine proprio velut hædera appensa diffamauit, & pueris Sciolis & Saperdis propinauit, & primùm proferre docuit, atq; vniuersis factiosorum & furiosorum laicorum, & omnium quibus est æquè promptum ac suaue de statu, lapsu, & differentia Religiosorum garrire, exposuit linguis. Hinc specietenùs Expos: lit: Reg: S. F. verè tamen expoliationem, honoris Conuentualium vulpina conscientia contexuit. Quare eas fabulas Erasmo-Marchantinas pari studio confinxit, fascino & præstigio animos lectorum ludificans, & simplicium oculis glaucoma obijciens; ea arte veteratoria, vt detracto primitiuis Min. primæuo & natiuo honore, ipsisq; traductis, ex denigratione eorum suus gloriosiùs inclaresceret Ordo, & ex dilatatis hisce Erasmo-Marchantinis philacterijs, & magnificatis fimbrijs, primos recubitus & cathedras teneret: & existimaretur ab hominibus solus verus & genuinus S. F. Reg: lit: obseruans. Sed hæc humilis Ordo Obseru: Euangelio & S. F. intentioni conformis reijcit, execratur, & abominatur. Sciens benè miseram & omni turpitudine turpiorem homine Christiano, & vero Minoritâ indignam gloriam, ex traductione & obscuratione fraterna splendescere, & seipsum iniquè traductis præseferre. Has tamen fabulas non prætextatas, nec togatas pingere maluit, sed vt vulgo peruiæ essent, tabernarias & attellanas: & vt dulciùs planipediæ per vulgum serperent, cothurnis & soccis detractis, discalceatas effinxit: quas euentus, etiam ad mensam pro comicis sannis, legere docuit: & verificatum est quod scripsit Iuuen: *It noua nec tristis per cunctas fabula cœnas.* Quod totum Conuentuales deridentes, inquiunt cum Persio, *Occipiti cæco posticæ occurrite sannæ.*

ARTI-

ARTICVLVS XXXVII.

In quo conclusiones Erasmi Roterodami Acatolici: tum Expos: lit: Reg: epitheses Petri March: Obseru: Statum Min: Con: incestantes vniuersaliter dissoluuntur, per rationem intrinsecam literalis Obseru.

1. VNiuersas tum Erasmi Acatolici conclusiones tum March: Obser: eius lateronis, epitheses Statum Min: Con: contra determinationem Ecclesiæ S. deuenustantes analyticè seu à priori iam dissoluimus & in nihilum redegimus, per eas rationes, quibus ostendimus communitatem antiquam Min: Con: tempora Leonis X. præcedentem, Priuilegia Apostolica, paupertatem in communi temperantia habuisse: ijsdem vsam fuisse, & secundùm ea professionem virtualiter seu implicitè emisisse: ne per hæc in minimo, substantiam literalis Obseruantiæ læsisse, seu diminuisse: ac proinde modernos Min: Con: ita esse simpliciter Minores, ac fuisse antiquos: non vt homo mortuus est homo, vt ioculatur histrio scenicus Erasmus. Neq; modernos à prioribus esse æquiuocos, toto cælo distantes, & disparatos, & cæteris epithesibus inquinatos: vt Scholiastes Erasmi, atq; auctionarius irrationaliter fabulatur Marchan: quæ omnia iam supra ad oculum demonstrauimus principaliter Art:9. per totum, sed præcipuè incipiendo a n. 26. vsq; ad n. 36. Tum etiam Art: 31. & Art: 32. præcipuè Art:34. in quibus locis, ad obturanda ora loquentium iniqua: tum Erasmi Acatolici: tum Marchantij Obseru: euidentia subministrauimus argumenta. Et quia veritas quæ semper abundat, & non deficit, omnia vincit. Vt ad sensum cuiuis pateat, omnia supra dicta tum Acatolici, tum Obseruantini, fuco veritatis laruatæ esse colorata mendacia, in Cathaclysmo verborum duntaxat demersa, & mergis apparentiarum eleuata: ex abundantia veri affluenter hæc omnia aduersa expugnantis; necessè est vt ampliùs præsentem Articulum diffundamus.

2. In

2. In vniuerſo Ord: Min: dupliciter poſſe accipi Obſeruantiam vnam Intrinſecam realem literalem, ſeu ſubſtantiuam. Alteram extrinſecam verbalem vocalem vocabularem ſeu appellatiuam. Prima eſt, de qua ſufficienter diſſeruimus ſupra Art: 34, quæ conſiſtit in adimpletione omnium in Regula Minorum contentorum. Secunda eſt in denominatione, ſeu appellatione conſiſtens: & in tanta varietate Minorum, in particulari vnũquemq; Ordinem deſignans: vt Conuentualium, Obſer: Capuc: qui omnes conueniunt in intrinſeca reali literali, vniuocè ſumpta obſeruántia: & tantùm in verbali vocali ſeu in vocabulari denominatione differunt: cum hac tamen differentia, quòd ſoli PP. Conuen: & Capucini ſimplici reali & literali ſint inſigniti obſeruantiâ: cùm aliundè, non ab Obſeruantia ſortiantur ſuam appellationem: & ſic *duplicibus dimiſſis* dicuntur reales literales Obſeruantes Conuentuales. Reales literales Obſeruantes Capucini. Solus Ordo Minorum Obſeruant:, duplici eſt præditus Obſeruantiâ, Reali literali, & vocali ſeu vocabulari: hinc omnes domeſtici eius *veſtiti ſunt duplicibus:* ita, vt non ſolùm dicantur reales literales Obſeruantes, ſed etiam ab eodem Obſeruantiæ vocabulo, nuncupentur & deſignentur Ordinis de Obſeru: nuncupati & appellati. Hac interim ſecundâ Obſeruantiâ extrinſecâ vocali, ſeu appellatiuâ, ad partem appellatiuorum, & Scholam nominalium relegatâ; Solam intrinſecam realem literalem, ſeu ſubſtantiuam in præſenti diſcutimus, quam cùm oſtenderimus ſeruare ex vi profeſſionis ſuæ Min: Con: luce meridiana clariùs nos probaſſe exiſtimabimus, omnes Concluſiones Eraſmi Acatolici & eius Commentatoris, & Auctionarij Marchantij Obſer: epitheſes, ex defectu talis Obſeruantiæ realis literalis: Conuentualium Statum dehoneſtantes, eſſe non ſolùm falſas, ſed etiam ipſamet putida mendacia, & ſomniorum figmenta.

3. Hæc Obſeruantia intrinſeca realis literalis triplex eſt. Prima eſt ſimpliciter & abſolutè, ſeu eſſentialiter intrinſeca, ſeu ſubſtantiua: & hæc, in quacunq; cuiuſcunq; Ordinis ſimpliciter Religioſi Regula, in tribus Votis ſolennibus eſſentialiter conſiſtit: quæ tria Vota eſſentialia, in quocunq; Religioſo Ordine, per

tria consuetè explicari solent, vt diximus Art: 34. n. 4. Secunda est respectiuè intrinseca, & secundùm quid, seu denominatiuè substantiua: vt sunt qualificantia, & modificantia accidentaliter priorem Obseruantiam; de quibus Art: cit: n. 5. disseruimus. Tertia est intrinsecè, in extrinsecis & merè accidentalibus consistens; quæ nec sunt essentialia, seu substantialia, primæ Obseruantiæ; nec sunt qualificantia, seu modificantia primam Obseruantiam: sed merè illam respiciunt vt extrinseca, & tam essentialibus, quam modificantibus addita & adiuncta, de quibus cit: Art: n. 5. Tam secunda quam tertia Obseruantia, pro diuersitate Religionum & Regularum, diuersimodè obligant suos professores: vel quò ad pænam solùm, vel etiam quoad culpam, vt in nostro Min: Ord: tenentur professores Minoritani, & veri Obseruantes reales literales, non tantùm ad Obseruantiam primam, simpliciter & absolutè intrinsecam, sub culpa mortali; sed etiã ad secundam. Ad tertiam autem, nonnisi vbi essent præcepta. Cæterùm ad admonitiones, exhortationes, & libertates, sub mortali culpa non tenentur. De his fusiùs disseruimus Art: 34. vbi latitudinem adæquatam Regulæ Franciscanæ deduximus sub n. 9.

4. Ad has tres Obseruantias reales literales, non æqualiter Fratres Min: obligantur, ex vi suæ Regulæ, vt determinauit Clemens V. in Bulla quæ incipit. *Exiui.* inquiens. *Neq; tamen putandum est, quòd D. P. N. Franciscus professores huius Regulæ, quantùm ad ea omnia contenta in Regula, modificantia tria Vota, æqualiter intenderit esse obligatos.* Proindè Minores ex vi suæ Regulæ, ad primam Obseruantiam, simpliciter & absolutè intrinsecam & substantiuam; Scilicet trium Votorum solenniùm obligantur essentialiter; ita, vt vno vel altero sublato, statim tolleretur essentia Status Ordinis Minoritani: Sublatâ enim parte intrinsecè, & essentialiter alicuius rei constitutiuâ; & rem ipsam auferri & perire necesse est. Hinc supposito, aliquo ex Minoribus ab vno ex præfatis solennibus Votis absoluto, hic talis ita incederet in Ordine Min:, sicut hircoceruus in armentis hædorum, vel ceruorum: vel esset sicut homo mortuus est homo: vt de Min: Con: Londini, in proscenio supercilio momico fabulatus est Erasmus

hetero-

heterodoxus; prout retulimus Art: 35. : vel moderni Conuen: æquiuoci essent & toto cælo distantes, atq; vt Spurij & illegitimi, à legitimis posterioribus distincti, vt heterodoxi Scholiastes Petrus March: Obser: in sua Expos: Reg: blaterare non erubuit: prout retulimus Art: 36. Quare sola prima Obseruantia, quæ consistit in tribus Votis solennibus: est essentialis Statui Minoritico, ita, vt nec etiam ipse Summus Pontifex, sine iusta & pia causa, quemq; Minoritam, siue quemuis alium Regularem, hisce Votis obstrictum, siue ab vno, siue à pluribus absoluere possit. Vt statuitur de Statu Monach: cap. *Cùm ad Monasterium* in hæc verba. *Nec existimet Abbas, quòd super habenda proprietate, possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

5. Ad reliquas autem duas Obseruantias veri Minoritæ, & reales literales Obseruantes, obligantur solummodò accidentaliter, & non essentialiter, seu substantialiter, ita scilicet, vt vno vel altero præcepto Regulæ, ex iusta & pia causa per Priuilegium Apostolicum sublato, & veluti accidente semoto, imò etiam omnibus sublatis, adhuc essentialis ratio Status Minoritani subsisteret & perseueraret: & taliter realis Obseruans & literalis, sine hisce præceptis tria præfata modificantibus, vel sine merè extraneis & accidentalibus, esset verus realis literaliter obseruans: atq; legitimus Fr. Minor, non æquiuocus, non secundùm quid, vel spurius, sed simpliciter, literaliter, & essentialiter Regulam S. F. obseruans. In his enim omnibus præceptis tria vota solennia modificantibus, tum in merè extraneis & accidentalibus, iusta adueniente & pia causa, possunt etiam Superiores Ordinis dispensare absq; eorundem Status essentiali diminutione, vel subuersione, vt benè aduertit Roder: Obser: tom: 1. q. 26. Art: 1. in hæc verba. *In his namq; possunt Superiores dispensare ex Causa, nam quando Concil: Trid: dicit non posse Superiores relaxare, quæ ad substantiam Regularem pertinent: loquitur de his, quæ sunt simpliciter, & absolutè essentialia, cuicunq; Religioni, non autem de his, quæ respectiuè, sunt essentialia alicui Religioni. Et ideò dicit Concil: Trid: absolutè & simpli-*

ſimpliciter, quòd non poſſunt relaxare, quæ pertinent ad ſubſtantiam Regularis vitæ; & non dixit alicuius Regularis Voti. Quod ſtatim magis Concilium explicat, cùm ſtatim apertè loquatur de illis ſubſtantialibus obſeruantijs, quæ ſunt baſes & fundamenta totiꝰ Regularis diſciplinæ. At verò ſola tria Vota eſſentialia, ſunt huiuſmodi: quia ſine reliquis poteſt vera conſtare Religio, ſine autem illis minimè. Meritò ergo ſola tria Vota eſſentialia, vocantur baſes, & fundamenta. Atq; adeò certò ſtatuendum eſt; quòd in omnibus ſpecialibus Votis, & præceptis ſecundi generis; cuiuscunq; Religionis, poſſunt ſecundùm ius & Concil: Trid: diſpenſare Prælati in particulari, cum aliquo: Si iuſta exiſtat cauſa. Hæc Roder.

6. Qui ibidem pro ſuo Ord: Obſer: ad diſpenſandum, in huiuſmodi præceptis, conceſſionem Pij II. adducit inquiens. *Et quantùm ad noſtram Religionē Reg: Obſeru: habemus conceſſionem Pij II, in qua conceſſit, quòd Prælati Ord: Min: de Obſeru: circa ſubditos ſuos poſſint annuere ſeu diſpenſare - - - - in ijs, quæ non ſunt contraria Regulæ.* Circa quam conceſſionem aduertit collector Priuilegiorū Mend. Hieronymus Sorbo Capucinus V. *Diſpenſatio.* n. 8. dicens. *Aduertendum eſt circa huiuſmodi conceſſionem, quòd eſt velut propoſitio ſeipſam falſificans, nam primò dicit, quòd poſſit diſpenſari in his, quæ non ſunt contra Regulam, & poſtea explicat aliqua, quæ ſunt manifeſtè contra Regulam, ponit enim exemplum in equitatione, & calceamentis &c. quæ ſunt manifeſtè de obligatorijs. Et propterea videtur, quòd debuit hic dici de his, quæ non ſunt contra tria ſubſtantialia Vota. Vel intelligitur non eſſe contra Regulam, quando eſt neceſſitas talis, quæ bono modo aliter fieri non poteſt.* Idem Roder: Obſeru: cit: Q. 26. Art: 4. probans contra quendam, omnia præcepta in Regula Min: contenta, quæ ſecunda & tertia complectitur obſeruantia: non eſſe Vota ſolennia præter tria eſſentialia, in prima obſeruantia contenta: dicit. *Illud proculdubio eſt in cauſa, quòd ſolennia Vota ſunt Monachatui eſſentialia; ſublatâ autem rei eſſentiâ, rem ipſam perire neceſſe eſt. Igitur ſi Minorum præcepta de quibus modò eſt concertatio, ſunt, vt affirmas Vota ſolennia, apertiſſimè conſequitur Papa (etiam abſq; vlla cauſa) diſpenſante cum Franciſco, ex familia Minorum, nè tempore aduentus ieiunare teneatur; in huiuſmodi aduentu Franciſcum ipſum nō manere fratrem Minorem, quoniam ſublato ſolenni Voto, vt diximus, non*

manet

manet idem Monachatus, tolle è medio rei essentiam, velis, nolis, res ipsa peribit ---- At verò frequentissimè hactenus contigit, Romanum Pontificem, peculiari ac pia quadam dispensatione, quibusdam Minorum fratrum concessisse, nè ad aliqua suæ Regulæ præcepta, præterquam ad tria solennia Vota teneantur. Nec tamen ob hanc concessionem ab instituto liberantur, & à Minorum Obseruantia. Igitur huiusmodi præcepta, nequaquam solennia Vota sunt nuncupanda. Aliter enim, qui iam obtentâ præceptorum dispensatione; frueretur Priuilegijs & immunitatibus nobis concessis, & in Comitijs Gen: aut Prouincialibus haberet actiua & passiua suffragia: esset in statu damnationis, cùm non esset ex familia Minorum, & ipsorum immunitatibus frueretur. Tandem hoc vno argumento proposito, verbum non ampliùs addam. Dicatur mihi: Habet nè quispiam Prælatorum, quantumcunq; sit dignitate præditus, Vices Romanorum Pontificum sibi commissas, vt dispensare possit cum sibi subditis, in aliquo Votorum solennium? Hactenus nullus est. Tamen Pius II. indulsit (vt dictum est in Superioribus) Minorum Prælatis, vt etiam extra arctam necessitatem, dispensare possint in singulis Regulæ præceptis: præter substantialia Vota cum omnibus sibi subditis.

7. Idem quoq; Roder: Obser: cit: Q. Art: 5. de suo Ord: Obser: decernit his verbis. *Et ita videtur intelligendus Pius II. in sua concessione, scilicet, quòd Guardiani & Præsidentes possint dispensare cum subditis, in aliquibus casibus particularibus. Vt possint equitare & portare calceamenta, necessitate licet non arctâ interueniente. Verùm Generales & Prouin: possunt dispensare cum fratribus particularibus, non solùm in aliquibus casib⁹ pro vna aut duabus vicibus: Sed etiã pro toto eorũ tempore, necessitate licet non arcta interueniente. Vt possint portare calceamenta & equitare.* Tandem eadem Q. 26. Art: 7. sui Ordinis Superiores alloquens sic concludit: *Ipsos autem per Deum viuum obsecro, & obtestor, vt in dispensando sint parci, sicut enim vestis propter vnum paruum foramen paulatim rumpitur, ita Regularis Obseruantia, per vnius dispensationis facultatem paulatim decidit. Et considerent quòd exemptio aliquorum; etiam iusta causa id suadente: est occasio, vt alij hoc exemplo ad similia sine dispensatione facienda moueantur, prout in quodam Concil: Later: Spiritus S. lumine illustrato, omnibus prædicatur.*

8. Hac doctrinâ præmissâ: conclusiones Erasmi Roter: A-

catolici, Londini pro Scena expositæ, & epitheses Expos: Reg: Petri March: Obser: ad infamiam Min: Con: toti Orbi diffamatæ, facilè dissoluuntur, & refelluntur. Primitiui namq; Minores, quasi ab initio sui Ordinis Conuentuales appellati: vt probauimus Art: 29. n. 3. Obseruantiâ vocali vocabulari, seu nuncupatiuâ semper reiectâ, & nunquam in vsum admissâ: Solam Obseruantiam realem tùm absolutè & simpliciter intrinsecam, quàm respectiuè substantialem, atq; accidentalem & extrinsecam, Regulæ S. F. sunt amplexati, & fuêre professi. Neq; per Priuilegia Apost: quæ eis Votum paupertatis modificantia dispensârunt, & mitigarûnt, alij ab illis primis Minoribus, qui Regulam S. F. ad literam absq; Priuilegijs obseruabant, euaserunt æquiuoci, & formâ Obseruantiæ vniuocâ destituti: Scilicet non simpliciter Minores, sed in essentialibus diminuti: Spurij, non Regulam S. F. simpliciter, sed Regulam certis Priuilegijs & Pontificum Decretis modificatam & temperatam Obseruantes. Et alia absurda recensendo, quæ Marchan: Obser: Regulæ S. F. professor, & expositor: in præfatis epithesibus Art: 36. recensitis, pejùs Erasmo Heterodoxo hæresis professore, & expositore euomere non erubuit. Non inquam his blasphemijs, ab Ecclesia Orthodoxa anathemate perculsis, Minores Con: Alij æquiuoci, aut spurij constituti sunt à Sede Apostolica, per Priuilegia velut per fermentum impuritatis, in modificantibus paupertatis Votum, dispensati, & releuati. Nam hæc paupertatis Votum modificantia, per dispensationem sublata, essentialem paupertatis Voti non enecant, neq; exanimant rationem, sed in sua essentiali integritate retinent, atq; relinquunt: Rigidi enim paupertatis vsus, vt paupertatis in Communi conuictus, nudipedum incessus, abdicato equitatu, pauper peditatus, non constituunt essentiam paupertatis, sed modificant, & restringunt. Essentia enim Voti paupertatis constituitur in abdicatione Dominij priuati bonorum temporalium, vt Mastrius cum communi probat, in Theol: Morali Disp: 14. Art: 5. n. 40. Paupertas enim in Communi est accidentalis Voto solenni paupertatis, vt diximus Art: 26. n. 7. cum Lezana. Quæst: Regul: cap: 6. n. 2. & 3. cum Nauar: tom: 2. de Regul: Sanchez lib: 7. in Decalog: cap: 18. n. 25.

18. n. 25. Proindè Min: Con: ab arcto vsu paupertatis in Communi per Priuilegium Clem: IV. à S. Bonau: procuratum, de quo diximus Art: 31. n. 3. & sic de cæteris, arctis & rigidis paupertatis in communi vsibus, per Priuilegia subsequentium Pontificum concessa sublatis, de quibus diximus Art: 32. exempti, liberi, & immunes effecti: Sunt ijdem vniuoci essentialiter, & identicè, atq; specificè, vt primitiui Minores: prout eandem trium Votorum solennium essentiam simpliciter profitentes, & Dei auxilio Obseruantes. quia vt docet Belar: S. R. E. C. Contr: de Monach: lib: 2. cap: 5. *Essentia vitæ Religiosæ in tribus illis Virtutibus, obedientia, paupertate, castitate, ab omnibus huius temporis Religiosis constituitur.*

9. Et quia Min: Con: profitentur tria præfata solennia Vota, in sua essentia intemerata, & intaminata, nec hilùm infracta, aliàs non essent cum cæteris Religiosis, bona in communi possidentibus, veri essentialiter Religiosi, quod absurdum, nullus Orthodoxus concedere potest: etiamsi in schola Petri March: Obser. initiaretur, per impositionem manuum Theologaster Jubilatus. Hæc omnia vsq; ad sensum demonstrant, hodiernos Min: Con: cum primitiuis & originarijs Conuentualibus esse vniuocos & identicos, neq; in professione discrepantes. Quod euidenter vlteriùs deducitur, per illã triplicẽ realẽ & literalẽ Obseruantiam, supra n. 3. definitam: Sic: Moderni Min: Con: profitentur Vota essentialia, quæ pertinent ad primam Obseruantiam simpliciter, & absolutè, seu essentialiter intrinsecam, & literalem: prout profitebantur primitiui Min: Con: : Ergo in hac prima obseruantia reali literali intrinseca cum ipsis conueniunt vniuocè, & identicè. Moderni Min: Con: profitentur modificantia, quæ pertinent ad secundam Obseruantiam respectiuè intrinsecam, & denominatiuè substantiuam, prout profitebantur primitiui Conuentuales, quantùm se extendunt modificantia ad duo principaliora Vota solennia, obedientiæ & castitatis. Ergo in hac secunda Obseruantia reali literali, quantùm ad modificantia duo specificata Vota, moderni cum antiquis Conuentualibus conueniunt vniuocè, & identicè: Moderni Con: profitentur omnia quæ pertinent ad tertiam obseruantiam realem literalem, prout profiteban-

fitebantur primitiui: Ergo in hac tertia obſeruantia moderni cum primitiuis, conueniunt vniuocè, & identicè. Quantùm ad primam obſeruantiam, nulli Catholico dubium eſſe poteſt, de Conuentualibus pariter ſicut de cæteris Regularibus, bona in Communi poſſidentibus. Quantùm ad ſecundam Obſeruantiam modificantium duo principaliora Vota, nullum extat in Ord: Min:Con: priuilegium Apoſtolicum, ſeu diſpenſatio: qui oppoſitum affirmat oſtendat. Quantùm ad tertiam Obſeruantiam, pari ratione diſcurrendum eſt: niſi in his extrinſecis ſecundæ Obſeruantiæ additis, & adiunctis, aliqua inueniantur, quæ pertinent ad modificationem vltimi Voti, ſcilicet paupertatis. Hoc namq; omnes Conuentuales poſt primum Priuilegium Apoſt: à S. Bonau: impetratum: tum cætera ab alijs Pontificibus conceſſa, differunt ab illis primò primis, qui nullo adhuc Priuilegio Apoſtolico fruebantur; quia hi extiterunt diſpenſati à Sede Apoſtolica, in modificantibus vltimum Votum paupertatis, quæ diſpenſatio non ſuſtulit eſſentiam Voti paupertatis, ſed tantùm extrinſecum & accidentalem rigorem. Quare præfati Min: Con: atq; præſentes cum primo primis, eſſentialiter vniuocè & identicè, in omni obſeruantia reali literali dicendi ſunt conuenire; & tantum accidentaliter extrinſecè differre in vltimi voti modificantibus.

10. Succeſſu temporis Ordo Min: Con: ex Dei gratia creuit numero multitudinis, creuit etiam ex indulto Pontificio rebus, iure, poſſeſſu, & qui antea erat pauper in communi & in particulari, retinuit paupertatem in particulari eſſentialem cuiuis Ordini; ſed reliquit accidentalé, quæ erat in cõmuni, per hoc tamẽ in ſubſtantialib⁹ & intrinſecis, idẽ fuit & eſt inuariatus eſſentialiter nõ verò diminut⁹ niſi duntaxat accidentaliter: Sicut homo interulâ lineâ, vel dũtaxat penulâ mulonia indutus, nõ differt eſſentialiter à ſeipſo, neq; ſibi eſt æquiuocus poſtea, dum coccineâ veſte, vel phrygio paludamento ornatus exiſtit. Qui ſuccreſcit accidentali diuerſitate, non perdit ſubſtantialem identitatem. Homo trimulus, non eſt in ſubſtantia & ſanguine æquiuocus, à ſeipſo ſeptuagenario. Eadem familia nacta hæreditatem aliundè, quàm ex patrimonio, non poteſt dici quòd ſit alio, à paterno ſe-

mine nata, & quòd propterea cum patre non habeat communionem sanguinis.

11. Deinde prima sola Obseruantia est, intrinsecè essentialis Statui Religioso: vt ostendimus; cæterùm duæ obseruantiæ reliquæ, sunt extrinsecæ & accidentales: & omnes tres profitentur Min: Con:, exceptis modificantibus vltimum votum paupertatis, quæ accidentalis differentia, non officit quin debeant dici simpliciter & intrinsecè secundùm vtramq; obseruantiam realem extrinsecam, & intrinsecam, identicè & specificè ijdem Min: Con: vt primitiui fuêre. Hoc euidenter ostenditur à potiori: si enim nihil officit Ordini filiali Obser:, quin debeat dici de Obser: reali vtraq;, tàm intrinseca quàm extrinseca, licet ipse per Priuilegia Apost:, in modificantibus duo vota essentialia, obedientiæ & paupertatis, extra Regulæ normam, sit solutus, & dispensatus. Et quantùm ad primum obedientiæ Votum modificantia, quòd sit dispensatus, patet ex dictis Art: 34. n. 19. Quantùm autem ad modificantia vltimum Votum paupertatis: quòd sit dispensatus, patet infra Art: 40. n. 6. & 7. Multò minùs ergo dispensatio in modificantibus vnicum paupertatis Votum Conuentualibus præiudicare debet, quin debeant dici veri legitimi, de vtraq; Obseruantia Obseruantes, non minùs quàm primò primi Minores. Imò si per dispensationem modificantium vnicum paupertatis Votum, Min: Con: deberent dici relaxati, & præfatis Erasmo-Marchantinis epithesibus conspurcari: potiori iure (quod tamen absit) id debere tribui filiali Ordini Obser: quia ipse non vnius Voti duntaxat, sed duorum Votorum modificantia, per Priuilegia Apost: dispensata obtinet, & possidet, ideò iustiori titulo Min: Con:, accedente primitiuo & originario iure deberent nuncupari strictioris Obser: & hæreditariæ successionis conseruatores, quàm ipsi de Obseruantia nuncupati Alumni: quia soli Min: Con: post primitiuos Min:, duorum Votorum essentialium modificantia vsq; nunc profitentur. Isti verò qui de Obseru: nuncupantur, duntaxat vnius Voti: Scilicet castitatis modificantia profitentur. Nam præter obedientiæ votum: de quo vide Art: 30. n. 30. in omnibus ferè rigidis paupertatis vsibus per Pri-

 uilegia

uilegia Apost: sunt mitigati & dispensati, vt ex cit: loco patet; exceptis possessionibus, forsan in communi possessu retinendis: quibus summæ pecuniariæ in notabili quantitate, apud Syndicos collocatæ an æquiualeant, an non? altiori iudicio committitur decidendum. De quo vide infra Art: 46. n. 30. & n. 31.

12. Hæc quæ hucusq; diximus confutando Erasmi Acatolici & Petri Marchantij Obseru: lædoria & maledicta, in Statum Min: Con: fæde coniecta, solidè approbat paritas de Ecclesia Orthodoxa primitiua: tum Illustri PP. Prædicatorum Ord: assumpta. De Ecclesia primit: dicitur Act: 4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Etiam ipsi Apostoli & eorum legitimi Successores, tum Episcopi, tum Cardinales nihil suum, & proprium habebant, vt eorum omnium nomine D. Petrus confitetur Matth: 19. *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* & Act: 3. *Argentum & aurum non est mihi.* immò ipsamet Veritas Christus, Orthodoxæ Ecclesiæ Fundator & caput, suam fatetur altissimam paupertatem huiusmodi Matth: 8. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis, non habet vbi caput suum reclinet.* Postea tamen Ecclesia cùm tentoria sua dilatare cæpisset, multiplicata super numerum, eundem altissimæ paupertatis rigorem remisit, & bonorum stabilium proprietatem, & redditDuum annuatim prouenientium possessionem admisit: quare præsens Ecclesia, eo modo obseruantiam paupertatis non profitetur, quo primitiua eam profitebatur. In præsenti enim Ecclesiæ Statu, multitudo credentium, bona temporalia propria possidet, non in communi. Cardinales & Episcopi abundant possessionibus, & annuis redditibus sunt locupletati: gaudent proprio, seu dominio quò ad administrationem, & dispositionem, quò ad suos vsus liberos & honestos. Immò Summus ipse Pontifex, possidet Monarchiam Romanam à Constantino Imperatore, S. Syluestro Papæ, & Successoribus eius donatam: vt habetur De elect: in 6. cap. *Fundamenta.* & Dist: 96. cap. *Constantinus.* Deinde quòd à Pipino, & Carolo Magno eius filio, fuerat cum reali possessione traditum; per Ludouicum Pium I. Impe-

perato-

peratorem confirmatum. Dist: 63. cap. *Ego Ludouicus.* Vbi Papæ ac Successoribus in perpetuum tradit, concedit, confirmat donationem ciuitatis Romæ. Ducatum Romanum, suburbana, vicos, & omnes terras, in territorijs Montanis, Maritimis littoribusꝫ, portus, cunctas ciuitates, oppida, & Castella: etiam in Tusciæ partibusꝫ.

13. Pariter etiam Illustris Prædic: Ordo in eodem specifico & identico paupertatis rigore, in Communi & in particulari, vti etiam primitiuus Ordo Min: originario iure fundatus fuerat, vt innuimus Art: 26. n. 8. & Wading: multis probat: S. Thoma. S. Bonau: S. Antonino Castillo. Thoma ab Apoldia: & principaliter auctoritate Alexandri IV, de quo ad annum 1324. n. 9. sic inquit. *Simili loquendi formula, æquiparat vitam Prædicatorum, & Minorum, & ijsdem afficit elogijs; quia sanè sub eo tempore, similis erat ratio mendicitatis vtriusq; instituti, & eadem erat species paupertatis.* Idem confirmat Clemens IV. apud eundem Wad: ad annum 1256. n. 3. dicens. *Neutrum ergo neutri præferimus, sed in vna & arctissima paupertate fundatos, ad vnum tendere credimus.* Hæc loquitur Clemens IV. de vtroq; Ord: Præd: & Min: Hoc idem Joannes XXII. in sua Extrau: quæ incipit. *Quia quorundam.* ex mente Gregorij IX. affirmat his formalibus. *Qui in quadam sua Decretali dicit expressè Fratres Prædicatores & Minores, in altissima paupertate Christo pauperi famulari.* Hoc idem refert Spec: Vitæ pag: 132. b. in fine. Ad hæc tanta testimonia exeat Marcha: cum suo fabuloso asserto pag: 465. ementito & dicat. *Speciale Symbolum fraternitatis Ordinis S. F. est altissima paupertas.* Vbi cùm incluserit paupertatem tàm in Communi quam in particulari, subdit. *In qua paupertate nullus hactenus Ordo in Ecclesia huic fraternitati assimililatus est.* Cùm ex tot testimonijs Ordo Dominicanus in pari paupertate altissima, cum Ord: Min: fundatus fuisse & assimilatus conuincitur: & simul pro paupertatis in Communi rigore mitigando Priuilegium Apostolicum dispensatiuum, eodem anno & die obtinuisse agnoscitur, ex Art: 31. n. 2. Ex quo manifestè apparet, quàm sit versatus Marchan: aliarum Regularum vestigator, & suæ accuratus Expositor. Deinde demonstratur fidelitas Marchantinarum

fabularum, qui vt lateret Seductor, sub specie Expos: lit: Reg: ab eo artem est mutuatus, qui se vt lateat & alios decipiat, in lucis Angelum transfigurat. Dicat ergo hodiernam Orthodoxam Ecclesiam, propter admissionem bonorum stabilium, & propter illius primitiui feruoris remissionem, non esse eandem, sed esse æquiuocam, anomalam, secundùm quid, & toto cælo à se distantem; Similiter & illustrem Ord: Præd: dicat non esse eundem, sed æquiuocum, & in essentialibus diminutum; & effutiat omnes illas quas contra Min: Con: supra blaterauit blasphemias: credo si pertinaciter easdem contra Ecclesiam & S. Prædic: Ord: pari ratione assereret, non tantùm S. Inquisitionis tribunali sisteretur iudicandus, sed etiam rogo adiudicaretur concremandus; & illis connumerandus, qui temerario paupertatis Franciscanæ zelo ardentes & superbiâ tumentes ex Mandato Joannis XXII. combusti fuêre. De quibus disseruimus Art: 10. n. 8. Ad horum gregem Petrus Marchan: Obser: græcâ fide initiatus, pertinere identitate rationis manifestè conuincitur, & nisi sui libelli famosi, sub specie Expos: Reg: S. F. contra Min: Con: editi, palinodiam canat, sententiamq; suam contra determinationem Ecclesiæ S. promulgatam abiuret: eodem cauterio cum Erasmo Acatolico, relinquitur exustulandus.

14. Et vt eodem claui ictu vtriusq; Momi tàm Roterodam: heter: conclusi: quàm March: Obser: in Expos: Reg: in Min: Con: sordidas epitheses; validè elidamus: discutienda est causa præcisa, ob quam tot absurda in Statum Min: Con: multi congerere non dubitarunt, non solùm priuati Scriptores, & affectuum suorum mancipia: Vt Erasmus vocat Min: Con: ita Minores sicut homo mortuus est homo. Petrus March: vocat æquiuocos, toto cælo distantes, à prioribus in transubstantiatos deuolutos, & velut Spurios, à legitimis distinctos: & alia sexcenta: Sed etiam publica communitatis instituta, pro correctione & sinceritate morum sancita: vt sunt Const: PP. Obseruant: Romæ anno 1663. impressæ, in cap: 2. Reg: §. 1. n. 23. de Min: Con: dicere hæc non erubuerunt. *Cùm Regulam nostram quodammodò profiteantur:* qui terminus *quodammodo*, est alienatiuus propriæ significationis, &

coin-

coincidit cum Erasmi & March: sensu: acsi diceret *quodammodò*, id est, impropriè, æquiuocè, & analogicè. Harum autem fatuitatum causa præcisa est, quia Minorum altissimam paupertatem in communi non profitentur, quæ vt dicit March: pag: 465. *Omnis rei proprietatem, & quosuis iuris actus abijcit.* Sed ab ea per Sedem Apost: cum cæteris Regularibus, bona stabilia in Communi possidentibus, manent dispensati. Sed hic est verè ignorantium, vel merè malignantium cauillus non ratio: qui verum scienter impugnant, & falsum scienter affirmant: Vt enim supra n. 8. diximus. Paupertas in communi Voto essentiali, paupertatis est tantùm accidentalis, & extrinseca, & sola paupertas in particulari essentialis, & intrinseca, vt determinare palàm videtur Concil: Trid: Sess: 25. de Regul; cap: 3. dum dicit. *Concedit S. Synodus omnibus Monasterijs & Domibus tàm Virorum quàm Mulierum & Mendicantium, exceptis Domibus FF. S. Fran: Capucinorum, & eorum, qui Minorum de Obseru: vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Clarum enim est Concil: Trid: per hoc Priuilegium dispensatiuum, nullum Votum essentiale, ex tribus solennibus aueruncasse, detruncasse, transubstantiasse, aut in essentiali ratione constitutiua imminuisse: Alioquin omnes Ord: Religiosi, quibus bona stabilia in Communi, per suas Regulas seu Constitutiones fuerunt prohibita, & paupertas in Communi, ex vi Regulæ professioni eorum fuit debita: tandem per Concil: Trid: supra dicto Priuilegio relaxata, & dispensata: ijsdem omnibus epithesibus respectiuè polui deberent, ob identitatem rationis, quibus conspurcati sunt Min: Con: scilicet ob dispensationem paupertatis in Communi. Sic primi quatuor Ordines Mendic: vt FF. Ord: Præd: FF. Ord: Min: Con: FF. Ord: Eremit: S. August: FF. Ord: Carmelitani, qui ante Concil: Trid: per Sedem Apost: à rigore paupertatis in Communi fuerunt soluti: Sed etiam alij qui in ipso Concil: Trid: à rigore eiusdem paupertatis in Communi fuerunt dispensati: Omnes insimul deberent dici æquiuoci Religiosi, à seipsis rigorem paupertatis in communi obseruantibus, Toto cælo distantes: In essentialibus

diminuti. Non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid Religioſi, truncatas Regulas ſeruantes, & vt Spurij à ſeipſis antea legitimis diſtincti.

15. Hæc diſpenſatio ſi culpa eſſet, totum crimen (quod abſit) retorqueri deberet in S. Sedem Apoſt:, eò, quia ipſa ſuis Priuil: Apoſt: contra Vota eſſentialia, de iure Diuino ſeruanda, cum omnibus mendicantibus in eſſentialibus diſpenſauit (exceptis Capucinis & Obſeru:) & inde eorum Statum Religioſum, à vera propria & eſſentiali ratione per Apoſtolicam auctoritatem alienauit: & ſic omnes eiuſmodi Ordines in eſſentialibus diminuti inſimul cum Min: Con:, paupertatis in communi rigorem, per Priuilegia Apoſtolica temperatum ſeruantes, dicere poſſent de S. Sede, quod Hugo de S. Victore generosè, ſed per impoſſibile fuerat locutus de Deo. *Domine ſi decipimur, à te ſolo decipimur, ea enim quæ tenemus & credimus fundantur miraculis & prodigijs tantis, quæ non potuerunt patrari niſi à te.* Sed quia Deus infallibilis veritas, qui nec falli nec fallere poteſt, qui in ſui diſpoſitione nō fallitur: ita & Orthodoxa Eccleſia, quæ Magiſterio Spiritus S. in his quæ pertinent ad ſalutem æternam edocetur, & eſt columna inconcuſſa, & firmamentum ſolidum infallibilis veritatis. Sicut ergo omnia præfata, in Eccleſiam Orthodoxam referri non poſſunt, ita dependenter ab eius auctoritate, eiuſmodi dicteria in omnes Ordines ob rigorem paupertatis in Communi, per Apoſtolicam Sedem temperatam, inuehi nequeunt, niſi dependenter ab auctoritate tanti valoris auctorum, affectu prauo præoccupatorum, quos citauimus ſupra. Reflexè aduertendum eſt in præfato n. 14. Conc: Trid: Decreto appoſitum eſſe. *Quibus aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum.* In hoc loco accipiuntur Conſtit: pro Regula: nam vt dicit Vrb: VIII. in Conſtit: Vrb: per Bullam, quæ incipit. *Militantis.* pro Min:Con: editis in Cap: 1. Reg: tit: 6 n. 4. *Idē enim obſeruantiæ rigor Conſtitutionib⁹ debitus eſt, qui Regulæ ipſi debetur.* Idem confirmat Roder: Obſer: Tom: 3. Q. 26. Art: 14. *Ego in ea ſum opinione, vt Regulā à Conſtitutionibus, minimè differre exiſtimē.*

16. Pulſis igitur his nugamentis, & velut à priori analyticè eliſis, hiſce anilibus fabellis, ob rigorem paupertatis in Communi

muni accidentalem, per Apostolicam Sedem moderatum, non solum Statum Ord: Min: sed etiam omnium aliorum Ord: in eadem naui nauigantium incessantibus: tum etiam Ecclesiæ S. determinationem impiè temerantibus (In paupertate namq; nullius Religionis perfectio consistit, vt probauimus Art: 8. n. 20.) Quod reliquum superest, maiorem menti incutit stuporem: dum ipsemet Petrus March: Fr. Minor de Obser: speciali Voto S. R. E. obstrictus, enormiùs ipso Erasmo extorri Priuilegia Apost: cernitur aspernari, & auersari, dum ea prout sunt actus clauium potestatis Apostolicæ in nuncupatoria, suo Min: Gen: Joanni à Neapoli inscripta. (*Ne prologus deformior esset quàm fabula.*) & passim in sua opella impudenter vocat fermentum impuritatis, in hæc verba. *Quia verò nonnullum fermentum timebatur inspersum Regulæ, per prouisiones Apostolicas ---- conatus sum ventilabro relectionis Theologicæ & literalis, prouisiones illas excutere, & ab omni impuritate liberatas ---- Regulæ puritati reddere.* Sed cum hac breui censura sed morosula, remittendus est ad S. Inquisitionis tribunal. Interim legat Rodericum sui Ord: Obser: cit: Art: 33. n 4, & Rodul: ibidem cit: n. 6. Et quia vt dicit Salomon in Parabol: cap: 14. *Ambulans recto itinere, & timens Deum despicitur, ab eo qui infami graditur via.* Ideò Ordo primicerius Min: Con: generoso pectore despiciens hæc Erasmo-Marchantina maledicta concludit.

Opto placere bonis, prauis odiosus haberi
Quis nisi sit, prauis nemo placere potest.

17. Partiarij namq; more solito affectui rationem subseruire facientes sic in laudem vnius communitatis cui affecti sunt, obcæcato animo erumpunt, vt aliam deprimant: Obtendente eorum astum purioris Obseruantiæ zelo; quo titulo promptiores in odiosas comparationes prosiliunt. De istis sunt illæ adolescentulæ animæ, quæ vt Bernard: in Can: serm: 24. ait. *Non idem cum alijs sapientes, licet cum alijs currere videantur, quæ sua sunt quærentes,* (& alios extra fraternitatem eijcientes) *& non ambulantes simpliciter* (sed in magnis) *neq; sincerè, sed speciali gloriæ Matris inuidentes, & captantes occasionem murmurandi aduersus eam &c. quod non est aliud, nisi quod Apost: ait: Periculum in falsis fratribus.* Sed istiusmodi

usmodi rabulæ insultent, subsannent, iudicent, & despiciant alios atq; cum prauis filijs Israel, dicant eos vt Moysen & Aaron fætere apud Pharaonem: talibus si videtur Odor & Ordo Noster Min: Con: execrabilis, tanquam Pharaoni (execrationi namq; vitiis ducitur Virtus) habet consolationem ex cit: Bernardo super illa verba: *Recti diligunt te.* huiusmodi aduersus cæteros, vanitate inflatas animulas æmulas, adolescentulas corripiente, & rectum Ordinem defendente in hæc verba: *Non sint tibi inquiunt curæ de iniqua reprehensione blasphemiarum harum, cùm constet quia recti diligunt te. Bona profectò consolatio cùm blasphemamur à malis, benefacientes, si recti diligant. Omnino sufficit aduersus os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ: in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur; mansueti inquit lætentur, mansuetis placeam, & æquanimiter audis quidquid in me iactare voluerit, liuor perditarum.*

ARTICVLVS XXXVIII.

In quo præseruatiua sequacibus Erasmo-Marchantinis præscribuntur: Nè præfatas Expos: Reg: lit: epitheses in Statum Min: Con: de virulento pectore contra Ecclesiæ sensum eructatas, legant, teneant, & euulgent.

1. LIcet cuiuis sanè intelligenti Erasmo-Marchantina figmenta meras fabulas esse constet, vel eo solo titulo, quia contra determinationem Ecclesiæ, & contra realem Obseruantiam, tum charitatem fraternam diffamata sunt. Nihilominùs factum est, vt præfatas Londino-flandricas gerras, & bullatas nugas, hi qui de eadem, vt dicitur Telemachi olla victitare solent, vnus ab alio, vt aspis à vipera, hæc virulenta venena mutuati fuerint. Cuius rei domesticum adducimus documentum. Posnaniæ in Maioris Poloniæ Metropoli Actis Consist: Officij Spiritualis authenticum

anno 1671. Vbi à Fratribus Min: Con: pro solenni concione, inter Octauas celebres Tutelaris Eccl: Patroni S. Antonij Patauini, inuitatus loci Ordinarius Concionator Obser: qui à quodam veterano missilium telorum architecto, auctoritate Officij, à peroranda concione fuit repressus, & in locum eius iuuenis Obser: nondū scholari ferulæ subductus, substitutus, & subordinatus fuit ad concionandum, simul & conuiciandum Minoribus Con: : Memoratus enim similium dicteriorum dictator veteranus, & huius Scenæ Erasmo-Marchantinæ epithomarius, veteratorio artificio ex cit: Auctoribus corraso, benè imbutus (*Mulus mulum scabit*) velut nouus Archita Tarentinus, nouum concioni perorandæ effinxit crepitaculum, quo sua sponte Magister in discipulo sonantius crepitaret prædicante: qui adinstar columbæ Architæ, affabrè inflatus, per aëra imaginaria, transcriptorum & effictorum improperiorum, ac maledictorum volitans, tanquam Picus Martius, potiùs graculus inter Musas, in illo scandalizato spectaculo, cornicum oculos configere voluit: vocans Min; Con: S. F. primogenitos, *non simpliciter, sed cum adiecto Minores*, appellans *nō veros S. F. fratres & filios; sed Spurios, & illegitimos, Helianos, Regulæ transgressores &c.* Sed dum tellurem in vndas effundit, cælumq; in tartara soluit, susq; deq; miscens sacra profanis: absq; coronide recessisse, & cum suo crepitaculi Auctore, ad Architæ platagen recidisse compulsus est: vterq; pro mercede lucellum ex Lucilio reportando.

Verum hic ludus, vbi susq; omnia deq; fuère
Susq; & deq; fuère inquam omnia ludus iocusq;.

2. Hæc omnia videns veræ & realis, non verbalis Obseruantiæ Sacer Ordo Obseru: vt verbis Marchan: vtar pag: 67. *ex purioribus & sanioribus membris constitutus.* & pag: 53. in quo *vt in pretiosiori parte corporis spiritus S. Francisci conseruatur.* & pag: 528. *Veros filios, & hæredes spiritu S. P. Francisci* comprehendens: de talibus ceruicosis ac discolis capitonibus, & labeonibus epudoratis, tactus cordis dolore, & purâ ac reali obseruantiâ accensus, conqueritur vt alter Eschines in Orat: ad Cthesiphontem inquiens. *Capite hos prædones, qui semper in ore habent rempublicam* (id est Re-

gularem Obſeruantiam) *nauigant enim in mari verborum vt hoc prætextu Reipub.* (veræ Obſeruantiæ & charitati) *extrema mala accerſant.* Scit enim benè Religioſus Obſer: Ordo, etiam ex perfectiſſimis familijs ſimiles vituperones, labeones & capitones, reprobos & proiectos, non ſemel proſilire absq; noxæ in innoxios transfuſione: ob vnius enim vel alterius hominis delictum, vniuerſum nō maculatur ſodalitium, vt nec ob Judam Collegium Apoſtolicum, vel ob zizania ager Dominicus, ſagenna ob piſces malos foras emiſſos.

3. Ordo autem primicerius Min: Con: ad huiuſmodi næ- nias reſpondet cum Greg: lib: 8. Epiſt: 45. *Inter verba laudantium, ſiue vituperantium, ad mentem ſemper recurrendum eſt: etſi in ea non inuenitur bonum, quod de Nobis dicitur, magnam triſtitiam generare debet: & rurſum, ſi in ea non inuenitur malum, quod de Nobis homines loquuntur; in magnam debemus lætitiam proſilire. Quid enim ſi homines laudent, & conſcientia nos accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia liberos nos demonſtret? Habemus Paulum dicentem. gloria noſtra hæc eſt teſtimonium Conſcientiæ noſtræ.* Job quoq; dicit. *Ecce in cælo teſtis meus. Si ergo eſt nobis teſtis in cælo, teſtis in corde, dimittamus ſtultos foris loqui quod volunt.* Deinde idem Greg: eiuſmodi ſuſurrones, & peruerſos æmulos ſaluare cupiens ſubdit. *Vocandi tamen etiam ſunt ipſi & tranquillè admonendi, eiſq, ſatis fieri modis omnibus debet: ſcientes quid de Iudæis Veritas dicit. nè forte ſcandelizemus eos. Si autem ſatisfieri ſibi ex veritate noluerint, habes conſolationem quam in S. Euangelio conſpicias. Cùm enim Domino dictum fuiſſet. Scis quia Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizati ſunt, reſpondit. Sinite illos: cæci ſunt & Duces cæcorum.* Eodem exemplo, cum ſequacibus Eraſmo-Marchantinis, nobis extat procedendum: qui vt non habeant excuſationem de peccato, præſeruatiua ſpiritualia (nè epitheſes recenſitas contra Statum Min: Con: & Eccleſiæ ſenſum, teneant, ad menſam legant, & euulgent) eis præſcribimus.

4. Et quia Petrus March: Obſer: in ſua Expos: Reg: magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe Religionem, quia in ea nullam contra Min: Con: Statum reſpuebat falſitatem. Has omnes eius epithe-

epitheses; conclusiones, veriùs elusiones, quas recensita synopsis continet, vnico Orthodoxo necesse est concidere argumento, decernente ex Regulis Indicis, eas omnes tanquam propositiones scandalosas, & temerarias, Statum Religiosum ab Ecclesia approbatum damnantes, esse prohibitas, & inter vetitæ lectionis Schedas, anilibus fabellis gliscentes adnumerandas. Ita Indicis librorum prohibitorum Regulæ per Patres à Trid: Synodo delectos conscriptæ, declarant, vt patet in calce Concil: Trid: de correctione libr: §. 2. vbi prohibentur non tantùm propositiones hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, sed etiam *scandalosæ, piarum aurium offensiuæ, temerariæ, & schismaticæ, seditiosæ, blasphemæ, - - - - profanæ, etiam nouitates vocum ab hæreticis excogitatæ, & ad fallendum introductæ - - - - Item quæ famæ proximorum & præsertim Ecclesiasticorum & principum detrahunt: bonisq; moribus & Christianæ disciplinæ sunt contraria, expurgantur - - - - Explodantur exempla quæ Ecclesiasticos ritus Religiosorum Ordines, Statum, dignitatem, ac personas lædunt & violant: faceciæ etiam aut dicteria in perniciem, aut præiudicium famæ, & existimationis aliorum, iactata repudientur.* Hæc ex Regulis Indicis librorum prohibitorum à Concil: Trid: præscriptis excerpta: per quæ Marchantij Obseru: epitheses & Conclusiones, vt earum elenchum patet intuenti, manent prohibitæ, & ipso facto, vt vetitæ lectionis commenta, suspensæ.

5. Sed non solùm per Regulas Indicis, hæc Erasmo-Marchantina fabulamenta sunt prohibita, verùm etiam per Bullas Põtificias particulares, hæc Expositionis Reg: lit: Marchan: Obseru: schediasmata anathemate feriuntur; & à Communione Orthodoxiæ, in his in quibus Statum Min: Con: dehonestant, & infamant, velut scandalosæ, & temerariæ propositiones releganture, & expunguntur, ac ipsimet Auctores & Fautores exploduntur, & diris deuouentur. Ita declarauit Vrbanus VIII. in Constit: quæ incipit. *Militantis.* verbatim recitata Art: 3. n. 3. Alexander VI. in Const: quæ incipit. *Super gregem.* vt refertur in firm: 3. Ord: 2. part: tract: 2. fol: 50. in hæc verba. *Quodq; ipsi fratres de Obser: contra Conuen:, aut ipsi Conuen: contra de Obseru: fratres prædictos eorumq; Religionem, vitam, mores, & honestatem quò ad Prouinciam & illius do-*

mos, ac fratres huiusmodi Christi fidelibus, directè vel indirectè, quouis quæsito colore, aliquid quoquo modo prædicare, aut publicè dicere sub Excommunicationis, anathematis, maledictionis, & alijs sententijs, censuris, & pænis prædictis, quas contra facientes etiam eo ipso incurrant, nullatenùs possint. Imò etiam ipse Leo X. in Bulla quæ incipit. *Ite & vos in vineam.* præcipit firmiter & mandat, sub pæna excommunicationis latæ sententiæ, ipso facto incurrendæ, a quâ nullus præterquã in mortis articulo, nisi à Sede Apostolica possit absolui: Si aliquis Fr: Ord: S. F. appellet alium fratrem, eiusdem Ord: malitiosè, irrisoriè, seu improperiosè *Priuilegiatum* &c. multò magis spurium & secundùm quid minorem, in essentialibus diminutum, de qua Bulla diximus supra Art: 30. n. 15.

6. Secundò vt Erasmo-Marchantinis sequacibus nugivendis, antidotum præseruatiuum præscribamus, statuendi sunt ante faciem suam, vt ex vultu eorum ab ipsismet iudicium proprium prodeat. Hoc autem per aliquot SS. PP. auctoritates prosequemur. Prima sit August: quem cùm Orthodoxia momorderat Petilianus sub nomine *Viperæ.* lib: 2. cap: 13. eo prorsus modo, quo Petrus Marchan: cum Erasmo Min: Con: & eorum Statum condemnando: cui sic respondet August: *Hos, si dicam de talibus esse dicta, quales vos estis, respondetis proba. Quid enim tu probasti? aut si eo putas probari quo dicuntur, non opus est eadem repetere. Recita illa ipsa tibi, & vobis in vos. Ecce & ego probaui, si hoc est probare: & tamen disce quid sit probare: neq; enim extrinsecùs quæro documenta, vt vos viperas probem.* (Spurios, non veros Minores, sed veros detractores & ex diffamatione fraterna, meros vanæ gloriæ appetitores.) *Ecce idipsum vipereum est, non habere in ore firmamentum veritatis, sed venenum maledictionis, sicut scriptum est: Venenum aspidum sub labijs eorum. Et quia passim a quolibet in quemlibet dici potest, quasi quæreretur quorum? continuò subiecit. quorum os maledictione & amaritudine plenum est. Cùm ergo talia iacitis in homines per totum mundum dispersos.* (in Min: Con: Statum omnium Prouinciarum) *& quos omninò ignoratis, quorum etiam multi nec Cæciliani, nec Donati.* (Erasmi Roterodami, Petri Marchantij.) *nomen audierunt, nec auditis in silentio respondentes: non ad nos pertinet quidquid dicitis, non vidimus,*

non

non fecimus, quid loquamini penitus ignoramus. Vos qui nihil aliud vultis, quam dicere, quod probare omninò non potestis, quid aliud, quàm os vestrum maledictione & amaritudine plenum est? Iam videte vtrum vos possitis ostendere nos esse viperas, (non simpliciter Minores, in essentialibus diminutos, spurios, & non veros fratres S. F.) *Nisi ostenderitis omnes Christianos omnium gentium* (omnes Min: Con:) *traditores esse, homicidas, & non esse Christianos* (scandalosos agricolas, mortua & putrida membra, Regulam S F. non simpliciter, sed quodammodo seruantes.) *imò verò etiamsi potestis singulorum hominum* (Conuentualium) *per totum Orbem diffusorum, vitas & facta nosse, & ostendere, tandem antequam id faciatis, & temerè ista iactatis os vestrum vipereum est, os vestrum maledictione & amaritudine plenum est ---- Attendite hæc omnia, videte vtrum aliquid horum quæ obijcitis.* (cætui & Statui Min: Con:) *probare possitis, cui tamen maledicere non quiescitis, in vobis vera ostenditis, quæ de illo falsò iactatis.* Hæc Aug:

7. Deinde collectaneis Marchantinis, ex Erasmo Roter: corrasis: auctoritate Priuilegiorum Apost: munitus, Ordo primicerius Min: Con: cum Gregor. Nazian: respondet in hæc verba. *Quid verò mea interest, qui rei veritatem magis curo, imò solùm curo: hoc enim vel me condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid alijs videatur nihil ad nos: quemadmodum nec alienum somnium. Non ita alijs videtur, ais,* (puta Marchantinis) *Quid vero? An ijs qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur, an ebrijs, qui sobrij sunt integra mente esse, ac non potiùs in caput incedere, ac sursum deorsumq; moueri? An non quibusdam interdum hominibus mel amarum est: nempè morbo laborantibus, maleq; affectis? at non propterea res ita se habet, vt qui in hoc Statu sunt arbitrantur. Quocirca fac priùs fidem sanos eos esse, qui de Nobis ita sentiunt, tunc nos admone, vt meliorem mentem induamus, aut condemna, nisi consilio tuo pareamus.* Horum iudicium repudiandum est, quia pro alijs se in facto exhibent, & pro alijs in nomine vendunt: vt illi, de quibus Bernard: 3. de Consid: inquit. *Quid sibi vult, quòd Clerici aliud esse, aliud videri volunt? nempè habitu milites dicamus* (verbalis obseruantiæ pro reali ostentatores, vanæ gloriæ per contemptum

aliorum buccinatores) *quæstu cleros* (pauperes mendicantes) *actu neutrum exhibent, nam neq; vt milites pugnant, neq; vt clerici euangelizant. Cuius Ordinis sunt, cùm vtriusq; esse cupiunt, vtrumq; confundunt, vnusquisq; in suo Ordine resurget. Isti in quo? an qui sine Ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? aut si summè sapiens Deus veraciter creditur, à summo vsq; deorsum nihil inordinatum relinquere: Vereor non alibi ordinandos, quàm vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

8. Sed vt pateat quòd eo ipso in quo vaniloqui & seductores, cæteris se puriores ac sanctiores æstimando gloriantur, & alios contemnendo aspernantur, proprio ore à seipsis condemnantur: adducenda est auctoritas S. Bernardi his præcisis[r]. *Vnde nunc mihi conueniendi sunt quidam de Ordine nostro, qui contra illam sententiam nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniet dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: alijs Ordinibus derogare dicuntur, & suam iustitiam solam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: quos profectò (si qui tamen huiuscemodi sunt) nec nostri, nec cuiuspiam Ordinis veriùs dixerim: quippe qui etsi ordinatè viuentes, superbè tamen loquentes, ciues se faciunt Babylonis, id est confusionis, imò filios tenebrarum, ipsiusq; gehennæ, vbi nullus Ordo sed sempiternus horror inhabitat. Vobis ergo inquam fratres, qui etiam post auditam illam Domini de Pharisæo & Publicano parabolam, de vestra iustitia præsumentes, cæteros aspernamini dicitis (vt dicitur) solos vos hominum esse iustos, aut omnibus sanctiores: solos vos Monachorum regulariter viuere, cæteros verò Regulæ potiùs existere transgressores, primò? quid ad vos de alienis seruis? suo Domino aut stant aut cadunt. Quis vos constituit iudices super eos? Deinde si ita (vt dicitur) de Ordine vestro præsumitis, qualis Ordo est? vt antequam de suo quisq; trabem eijciat in fratrum oculis, tàm curiosè festucas perquirat? qui in Regula gloriamini, cur contra Regulam detrahitis? Contra Euangelium ante tempus, & contra Apostolum alienos seruos iudicatis; an Regula non concordat Euangelio? vel Apostolo? alioquin Regula nō est Regula, quia non recta. Audite & discite Ordinem, qui contra Ordinem alijs Ordinibus derogatis, hypocrita eijce primò trabem de oculo tuo, & sic videbis eijcere festucam de oculo fratris tui. Quaris quam trabem? an non grandis est & grossa trabs est superbia: qua te putas*

aliquid

aliquid esse cùm nihil sis? insanissimè tibi tanquam sanus exultas, & alijs vanissimè trabem portans de festucis insultas. Gratias inquit ago tibi Deus, quia non sum sicut cæteri hominum, iniusti, raptores, adulteri (spurij, putrida membra, non veri fratres S.F. non simpliciter minores, scandalosi agricolæ) *Nolo te esse latronem insultantem cruci Domini, sed nec te volo esse Pharisæum iactantem merita sua, & occultantem vulnera sua. Si fueris iniquus & perseuerans in illa iniquitate, non dico tibi non proderit laus, sed non me laudas ait Dominus. Laudem istam esse non deputo. Rursus si fueris quasi iustus,(nam nemo iustus, nisi humilis & pius) & de iustitia inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, & super extuleris, tanquam glorians de meritis tuis, non me laudas: nec ille me laudat, qui malè viuit, nec ille me laudat, qui quasi de suo bene viuit.*

9. Sed vt sequacibus Marchan: collectas Art: 36. epitheses amplectentibus satis faciamus, eosq; in viam pacis & charitatis, ac in sensum Ecclesiæ modestè reducamus: Seruemus doctrinam Chrysost: serm: 5. de Concub: dicentis. *Etsi iniustè reprehendant, diluamus crimina,* & infra. *Etsi sint velut ebrij, quidquid in buccam venit loquentes, & talia vt nullum responsum mereantur, non grauemur* (ait S.) *respondere, & mansuetè cum eis agere, donec ab hac ebrietate illos liberemus, quantùm scilicet ad nos attinet.* Et quia iam per intrinsecam rationem Art: præc; Mythologias March:, sufficienter dissoluimus: in præsenti eius sequaces velut ebrios, per extrinseca ad veritatem mansuetè reducimus amuleta: non plùs sapere vt Marchan: docet; sed sapere ad sobrietatem, iuxta Ecclesiæ sensum omnes sumus obligati, nec dicere quisquam potest sine temeritate, quòd in vno solo Ordine integro & diuiso, sint omnia membra mortua & putrida, & in alio omnia viua, & sana, quia hoc asserere, est hæresi Catharorum, Maniehæorum, Donatistarum consentire; qui asserebant omnia viua membra, veram suam constituere Ecclesiam: Orthodoxam autem vocabant Ecclesiam malignantium, contra quos & eorum fictam Ecclesiam, sic exclamat August: inquiens. *Hæc est spelunca latronum, hæc progenies traditorum, hæc mulier fornicaria: quæ relicto Christo, Donato prostituit lupanaria, cuius domus iuxta Salomonem secessus est mortis, cuius viæ sunt*

infero.

inferorum, quæ se mundam vocat, cùm sit sordibus plena, quæ se innocentem clamat, cùm sit sceleribus irretita, quæ pudenda committit, & facta sua in alteram dicit, nè prior audiat quæ commisit. Hincidem August: admiratur tantum superbiæ fastum lib: 4. de Bapt: cap: 12. inquit. *Quantus arrogantiæ tumor est, quanta humilitatis & lenitatis obliuio, arrogantiæ quanta iactatio, vt quis aut audeat, aut facere se posse credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, vt zizania à frumento putet se posse discernere.* Non aliter putauit Petrus Marchan: Obser. suum filialem Ord: Obser: à primicerio Min: Con: fuisse separatum, vt eius Expositionem Reg: lit:, & epitheses recensitas, patet liquidò intuenti.

10. Quòd si ita contendat Marchan: vt vndiq; à suis Alumnis Contubernalibus, aromata fluant, à corruptione præseruantia: impertiatur quæso etiam Conuentualibus quæ supersunt, vt putridorum corpora piè vngantur in sepulturam. Sed exhibeat prius nobis certum documentum, quâ arte, quâ viâ, & modò, de ligno vitæ aliquis ramus decerptus sit, & plantatus in suo Ord: velut paradiso, pro immortalitate conseruanda suorum Alumnorum. Demonstret fidam hanc Stationem, vbi nullus ventorum æstus vndas concitet. Clarâ indagine, ducat nos ad hanc terram benedictam, spinas & tribulos nescientem, melle sanctitatis & impeccabilitatis nectare fluentem, lacte innocentiæ quasi modò genitos infantes, suos alumnos pascentem: quos tàm specialis ac penè personalis gratia Dei subleuat, vt quasi Angelicis manibus subuecti, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum, neq; eos possit Sol adurere per diem, neq; luna per noctem: ità vt cum Laodicensibus gloriari possint, quòd nullius egeant, & quilibet eorum cum S. Dauid dicere valeat. *Custodi animam meã quoniam ego sanctus sum*, ac alteri improperare queat. *Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum.* Reuera Marchan: vnus est ex illis de quibus Proph: inquit. *Mortificabant animas, quæ non moriebantur: & viuificabant, quæ non viuunt.* Appositè decernit Canon Causa 11. Q. 3. cap: 89. *Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis superba gloriatio.* & Causa 12. Q. 12. cap: 10. dicitur. *Qui enim Hypocrita est mortuus est.*

Qui

II. Sed excepto Christo & SS. V. M. Si omnes Sanctos & Sanctas interrogaremus, vtrum essent sine peccato: vna voce dicerent illud Joan: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Omnibus quantùmuis Sanctis, competit dicere. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Per quod docemur quotidiè peccare, dum quotidie iubemur pro peccatis exorare. Ipse summus peccator est, qui se peccatorem negat; immò ipsum peccatum est, qui non vult dicere *& à peccato meo munda me.* & qui ita laudantur, considerent illud Isaiæ 3. *Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Sunt enim multi ex Greg: 7. Moral: cap: 12. *Qui volunt esse humiles, sed tamen sine despectu, esse contenti proprijs, sed sine necessitate: esse casti, sed sine maceratione corporis, esse patientes, sed sine contumelijs volunt, cumq; adipisci virtutes quærant, sed labores virtutum fugiant, quid aliud quàm exhibere belli certamen in campo nesciunt, & triumphare in vrbibus, de bello concupiscunt.* Verùm quia Marchan: nou⁹ Adam omne quod vocauit, ipsum est nomen eius, aliqua sua fabulamenta, vult stabilire per auctoritatem Bullarum Leonis X; ideò de obseruantia earum, quid sit sentiendum, in sequentibus statuemus.



ARTICVLVS XXXIX.

In quo omnia puncta, quibus Ordo Fil: Obseru: Ordini primicerio Min: Con: Virtute Bullarum Leonis X. anteferri videtur referuntur, & nunquam fuisse in vsum inducta ostenduntur.

1. PRimum punctum ex Bulla Vnionis Leonis X. quæ incipit. *Ite & vos in vineam.* est. *Quod vnus Minister Gen: totius Ordinis, cum plenaria potestate; quæ ex Regula sibi competit eligatur: cui omnes fratres in omnibus, quæ non sunt contra Deum, animam, & Regulam, obedire teneantur.* Hoc non esse in vsu: Notum enim tres in Ordine Min: Generales, Summo Pontifici immediatè subiectos existere, qui æquali iurisdictione gaudent, habentq; parem auctoritatem & potestatem in suos fratres: cum quibus eodem iure communi, Diuino, & humano dispensare possunt. Vnusquisq; enim præest absolutè, tanquam Primas & Summus Pastor suæ Religioni. Hæc igitur Generalium diuersitas, contra Regulæ præscriptum, & præfati puncti intentum, manifestè ostendit Gen: Ordinis Obser: non esse eum, quem Leo X. intendebat: Scilicet cui omnes & singuli fratres, firmiter teneantur obedire: cùm ex primicerio Ord: Min: Con: & ex Capucinis, huiusmodi Ministro, nec minimus laiculus in aliquo obedit, neq; obedire tenetur.

2. Secundum punctum est: quòd *electio Successoris fieri debeat à Min: Prou: & Cust: Reformatis &c. & quòd nullus frater possit eligi in Min: Gen: nisi vitam ducat Reformatam, & pro reformato à Cõmunitate habeatur. In præfata verò electione Min: Gen: nullus penitùs vocem habeat, nisi Reformatus, & pro Reformato à congregatione Reformatorum habeatur: quòd si in futuro quidquam in contrarium attentatum fuerit, irritum penè & inane habeatur.* Hoc punctum non esse in vsu: nam præ cæteris, vt alios omittam, Ministri Gen: electores, de quibus iure dubitari potest; trium Prouinciarum Franciæ ele-

ciæ electores Prouinciales & Custodes, Burgundiæ, Turoniæ, & Franciæ; atq; Guardianus Magni Conuentus Parisiensis, nec vitam degunt Reformatam, nec à communitate pro Reformatis vlla ratione censeri possunt: cùm Priuilegijs Apost: bona stabilia concernentibus potiantur, nec communia Statuta, vt Barchinonensia, vel alia similia seruent; & hoc tàm certum est, vt nulla dubitatio cuiquam subrepere possit, ex testimonio oculati testis Fabri Parisiensis, in suo Speculo Franciscanæ Relig: pag: 241. hæc referentis. *Nam præterquam quòd omnium oculis ista veritas, de possessione stabilium clarè subijciatur, & omnes studentes annuum pensum pro victu soluere teneantur, quod Statui Obseruantium aduersatur, adhuc & ipsi Superiores Conuentûs & Prouinciarum illud fatentur & Sanctissimo exponunt.* Quare si hoc punctum robur suum haberet, profectò electio Min: Gen: Ord: Obseru: esset irrita & inanis: quia ab huiusmodi Puncti intento & instituto expresse deflectit, vt enim habetur in l. *Dubium*. cap *de lege*. *In legem committit, qui verba legis amplexus, contra legislatoris nititur voluntatem.* & in L. *contra* ff. eodem tit. *Fraudem facit legi, qui saluis eiusdem verbis, mentem eius circumuenit.* Maximè quando lex est pænalis, quæ statim ad culpam obligat, iuxta D. Thomam 1. 2. q 87. art: 3. & 22. q. 108. art: 4. *Et Priuilegium euacuatur, fitq; inualidum, si priuilegiatus facit contra illud, quod in eodem Priuilegio exprimitur concessum.* Vt habetur cap: *Porrò:* & cap. *Recepimus*, De Priuilegijs. & *de Rescrip:* cap *Ad aures*. dicitur. *In omnibus dispositionibus, maximè spectanda est intentio & finis Legislatoris.*

3. Tertium punctum est, *Quòd omnium Reformatorum quocunq; nomine nuncupatorum, Corpus insimul debeat esse vnum & Ministris subesse.* Quartum punctum est, *quòd omissa diuersitate nominum, fratres Min: Regularis Obser: nuncupari debeant.* Quintum punctum est. *quòd nouæ Reformationes deinceps non fiant: sine Ministrorum assensu, etsi fiant, Ministris subijciantur.* Hæc omnia puncta sicut priora, per contrarios & continuos vsus, extant abrogata, & inualidata: Neq; enim omnium Reformatorum deinceps superuenientium, est vnum corpus, iisdem Ministris subiectum: neq; eadem appellationis nomenclatura potiuntur; nam Capucini pro-

dierunt ex Ord: filiali Obser: Reformati, vt testatur Hieron: à Sorbo Capucinus in Compend: Priuil: in Additionibus initial: inquiens. *Reformatio Fratrum de Obseru: exijt à Fratribus Conuen:, & cæpit ab anno 1414. iuxta Concil: Constant: Decretum - - - è quibus Fratribus de Obser: exijt reformatio nostra Capucinorum.* Et Barbosa Iuris Eccl: libr: 1. cap: 41. n. 179. ait. *Capucini &c. initium sumpserunt à quibusdam fratribus Min:de Obser: anno 1525.* Idem censet Roder: tom: 1. Q. 2. Art: 3. inquiens. *De quibus Fratribus de Obseru: exijt congregatio Capucinorum, cæpta à quodam deuotissimo Mathæo &c.* & tamen Capucini contra tenorem Leoninæ, non constituunt vnum corpus cum Obseruantinis: neq; ijsdem Ministris subijciuntur, neq; eodem Regularis Obseruantiæ denominationis titulo vtuntur.

4. Reformati etiam Obseru: quos Leo X. redegerat in vnū corpus, cum Obseruantinis tempore Clementis VII. anno 1532. diuidi cæperunt, & sub Gregorio XIII. anno 1579. à iurisdictione Min: Prou: contra tenorem Bullarum Leonis X. seiuncti fuerunt; qui etiam mutato cognomine, Recollecti, & fratres arctioris Obseru: vocati sunt, de quibus Marchant: in Expos: Reg: pag: 546. murmurat dicens. *Sub Clemente VII. cæpisse idem ferè institutum in Italia, sub nomine Reformatorum, idq; etsi feliciter sibi, non tamen vtiliter adeò Ordini.* & concludit. *Relinquentes Prouincias & Conuentus Obseruantiæ suo cursui, absq; reformatione.* id est, cum relaxatione. Tum etiam Reformati Conuen: appellati, iuxta Bullam Sixti V. incip: *Apostolici muneris.* Conuentualibus associati sunt, contra Bullæ Leon: tenorem, ex quibus aliqui erant Obseruantini, aliqui Eremitæ, & Tertiarij: qui omnes ex formula Leoninæ, ad consortium Obseru: transire debebant, & tamen tam isti quàm Capucini, contra tenorem Bullæ extra corpus Obseruantiæ nuncupatæ, Conuentualibus adhæserunt. Ex his omnibus liquidò cōstat, omnia puncta præfatæ Leoninæ, per contrarium vsum, robore virium suarum fuisse euacuata, & abrogata, præcipuè ea, quæ aliqualem præeminentiæ auram, ratione Obseruantiæ Regularis Ord: filiali Obseru: supra primogenitos Min: Con: tribuere videbantur.

5. Quan-

5. Quantùm ad puncta secundæ Bullæ, nomine Concordiæ nuncupatæ, Leonis X. quæ incipit. *Omnipotens.* nullum punctum est vsu receptum, sed quodlibet contrario more & vsu inualidatum & eneruatum. Primum est, *quòd Magister Gen: Con: teneatur semper petere suæ electionis confirmationem à Min: Gen: de Obseru: pariter Magistri Prouin: à Ministris Prou: eo modo, quo Vicarij Gen: & Vicarij Prouin: olim de familia nuncupati, à Ministris Conuen: petere tenebantur.* Hoc punctum non est, neq; vnquam fuit in vsum receptum: Generales enim Conuen: nunquam à Gen: Obser: cõfirmationem petiêre, sed ab ipsis Summis Pontificibus, etiam ab ipsomet Leone legislatore eam obtinuêre, iteratis vicibus duos Generales Conuentualium per se confirmante. Primus Generalis electus post promulgationem Leoninarum, fuit Antonius Marcellus Dalmata, qui suam confirmationem ob ipsomet Leone X. obtinuit, vt ex cit: Bulla patet. Cui successit Antonius Sassolinus electus Bononiæ, qui ab eodem Leone contra præscriptum suarum Constit: confirmatus fuit; cuius confirmatio in forma breuis sub annulo Piscatoris (testante Fabro Parisien: in Spec: Status Franc: pag: 17.) Romæ conseruatur in Archiuo SS. 12. Apostolorum, Joannes autem Ferus siue Vigerius, & Jacobus de Ancona, qui vicissim post illos Generales electi successerunt, à Clemente VII. confirmati fuerunt; quod & eorum Successores, vsq; ad hodiernum diem obseruarunt, à solis Summis Pontificibus confirmati, vt videre est in Archiuo Abbreuiaturæ Apostolicæ & continua praxi.

6. Secundum punctum. sic summatur. *Titulus Ministri tàm Generalis quàm Prouincialium, de nouo filiali Ord: Obser: confertur, & primitiuo Ord: Conuen: titulus Magistri conceditur in locum Ministri.* Et vt deinceps hoc semper seruetur, in alia Bulla à Roder: in noua Collect: Bull: pag: mihi 273. relata, idem Pontifex cassat & annullat electionem Magistri Gen: Con: *Si fiat nomine & titulo Ministri.* Hoc punctum quò ad rem nunquam fuit in vsu, quò ad nomen paulò vltra 40. annos, nomen Ministri in nomen Magistri immutatum stetisse, vsq; ad Pium IV: per cuius Bullam, quæ incipit. *Sedis Apostolicæ.* anno 1565. editam ad preces S. Caroli Bo-

romæi, tunc Conuen: SSmi Protectoris, hoc eodem titulo Ministri potiti sunt Conuentuales. Hoc idem nomen Ministri exindè clariùs à Sixto V. repetitum, & per Bullam quæ incipit. *Diuinæ charitatis.* expressum: sicut in primordio eiusdem Ordinis, ita in præsenti apud Conuen: remanet frequentatum. Sed vt benè aduertit Scotus in 1. Dist: 1. Q. 3. allegans August: *Non est facienda vis de nominibus, vbi constat de re.* Et in principio infortiati in glossa 1. dicitur. *De nominibus disputare, relinquitur pertinacibus.* Et secundùm Tullium. *Nomina Magistralia sunt, ideò de eis non est disputandum,* quia secundùm Senecam. *Sufficit vt id tantùm attendatur, quod in re dicitur.* Et scriptum legimus. *Opera eorum* (non nomina) *sequuntur eos.*

7. Hoc totum confirmat Clemens VII. in Bulla, quæ incipit. *Religioni deditis.* Hæsitationi Min: Con:, an Generalem & Prouinciales sub nomine Magistri (de quo in Regula nulla sit mentio) eligentes secundùm Regulam S. F. viuerent, & indulta olim Min: Gen: concessa eis suffragarentur: sic respondit inquiens: *Nos attendentes propter mutationem nominis Ministri in Magistrũ, vestra Regularium instituta mutata non esse, ac volentes Priuilegia & indulta vobis concessa, illæsa permanere - - - decernimus & declaramus vos FF. Conu: Ord: Min: sub Magistro Gen: viuentes, non aliter quàm iuxta B. Francisci Ord: vestri Institutoris Regulam viuere: nec non Priuilegijs & indultis prædictis, absq; vlla differentia aut exceptione vti, potiri, gaudere, illaq; vobis suffragari debere; in omnibus & per omnia, perindè, ac si nomina huiusmodi mutata non fuissent.* Ex qua declaratione Clementis VII, dignitas Generalis & Prouincialium Conuent:, eadem inuariata, & in alium non translata: in suo esse reali in omnibus & per omnia permansit integra. *Perinde ac si nomina huiusmodi mutata non fuissent.* Hoc idem antea declarauerat de Ord: filiali Obser: Pius II. in Bulla, cuius verba allegauimus art: 15. n. 15. Immo ex declaratione ipsius Leonis X. hoc idem deducitur, qui licet tunc totius Ordinis iurisdictionem, in vno Ministro Gen: Reformato, duabus Constit: stabilire statuerat: attamen dum suo tempore duos Gen: Con: iteratis vicibus, ipsemet confirmat, contra ipsarum Constitutionum formam:

iam

iam etiam post promulgationem earum, pluralitatem Generalium in Ord: Min: æquali præfectura, super suos Ordines Præsidentium, permisisse & introduxisse, nefas est dubitare.

8. Sed præter auctoritatem Pontificiam, ratio ipsa euincit, quòd titulus Ministri, tam Generalis quam Prouincialium, in suo significato reali consistens, nunquam fuit à primicerio Ord: Min: Con: in filialem Obser: translatus; sed duntaxat nouam dignitatem filiali Ord: a Leone X. collatam designauit: quia dignitas & potestas Gen: & Prouincialium, secundùm esse, non petitur à nomine secundùm dici: sed à re per nomen significata, secundùm esse. Nec variatio nominis, dignitatem Generalatûs vel Prouincialatûs, variare vel immutare potest; aliâs talis superioratus dignitas, in verbis vel syllabis, aut in agnomine, suam vim & facultatem residentem complecteretur: quod est ridiculum. Sicut enim habitus, non facit Monachum sed vita, ita nudum nomen & denominatio simplex extrinseca, Superiorem non constituit. Vt enim dicitur C. 1. Q. 1. cap. Marcion. *Nè putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Quamobrem non potest cum ratione inferri huius Leoninæ vsum, à Conuentualibus fuisse receptum, ex eo, quia eorum primitiuus Ministri titulus, auctoritate Pontificia fuit permutatus, in nomen Magistri: & hoc propter nullitatem finis à Pontifice intenti, & nunquam iustificati: Ideò enim ordinatum & Statutum fuit à Leone X. vt nomen Ministri, soli Generali Obser: tribueretur: quia solus constituebatur ad præscriptum Reg: Min: Gen: totius Ordinis Min:, cui omnes & singuli fratres, secundùm Reg: B. Fran: subijci, & obedire debebant: atq; hoc titulo Ministri insigniebatur, vt omnium fratrum S. F. ad vnum Supremum caput Ordinis, & omnium Reformatorum ad vnum Obseruantiæ corpus, constitueretur constructio; & vt deinceps nouæ Reformationes non fierent, nisi in eodem corpore, & sub eadem potestate, & nomenclatura: quæ omnia non successerunt, sed effectu suo frustrata sunt, vt supra n. 1. & 3. & 4. vidimus; ipseq; Minister Gen: Obser: cum nudo & inani totius Ord:Min: Ministri titulo remansit,

ad so-

ad solam nuncupatam Obseruantiam, imperium suum extendens, & restringens. Ex quo euidenter sequitur, dignitatem Generalis & Prouincialium Con:, nomine Magistri nuncupatam, re ipsa in nullo fuisse diminutam, sed eandem vt priùs inuariatam stetisse. Ex quo enim Minister Gen: Obseru: in Magistrum Gen: & alios Conuen: nullam vnquam exercuit superioritatem, consequens est, Magistrum Gen: & cæteros Conuen:, respectu Ministri Gen: Obser: nunquam subijsse vllam inferioritatem, sed eandem, non interruptam, ab exordio Religionis nactam, retinuisse dignitatem. Nullitas enim finis Ministri Obseru: nouiter facti, nullitatem ostendit iurisdictionis eius Ministerij: Suffragante Regulâ iuris. *Cessante fine, cessare debet eius dispositio.*

9. Hanc eandem inuariatam dignitatem Generalis Conuentualium sub nomine Magistri, quæ a principio Ord: fuerat designata sub nomine Ministri, probabit exemplo suo omnium Ministrorum Antesignanus S. F. Franciscus, qui cùm esset Fundator & totius Ord: Min: Minister, nunquam tamen etiam post confirmationem Regulæ, huiusmodi titulo Ministri vsus est. Et Summi Pontifices, nunc dilectum filium: nunc Rectorem Minor: nunquam tamen Ministrum appellarũt. Ipsemet etiam S. P. in suis epistolis, nunquam nomine Ministri se subscripsit, quod etiã 1. cap: Reg: expressit inquiens. *Fr. Franciscus promittit obedientiam.* non addidit *Minister*. *Et alij teneantur Fratri Francisco* sine adiuncto *Ministro*. Et 8. cap: Reg: Ministrum appellat nomine Custodis dicens. *Teneantur alium sibi eligere in Custodem*. Et tamen ex non adiunctione, vel mutatione horum nominum, quis dicet Officium Ministeriatûs S. F. immutatum, imminutum, vel aliud fuisse? immo per hoc figuram præmisisse primogenitos & patrimos suos filios in diuersitate Ordinis diuisi, & nominum varietate præsignantem. Præmisit namq; S. P. Deo sic ordinante, aliquas figuras seu symbola, distinctionem primitiuorum & primogenitorum suorum filiorum, à postea superuenientibus deriuatiuis & posthumis à longè prænuntiantia, vt etiam notauimus Art: 27. n. 1. Porrò Conuen: nunquam respuerunt nomen Ministri, etiamsi quandoq; Magistri nomine potiti fuerunt: contigit illis vt

Abra-

Abrahæ, cui dilatatum nomen meriti indicium fuit: creuerunt nomine, quia noua prole Obseruantinorum creuerunt: & deinceps Capuc:, & Refor: mediatâ prole crescere debebant. Non displicuit Conuentualibus nomen Magistri, post diuisionem denominatiuam Ordinis filialis à Leone X. introductam, hac potissimũ ratione, vt ostenderent apud eos vigere Magisterium doctrinæ, & veram Generalatûs originarij per successum non interruptum, ab exordio durationem, & vt pateret Ord: primicerium Min: Con: esse Magistralem & fontalem omnium filialium, postea superuenientium Reformationum. Cùm enim Prædecessores Gen: à tempore D. Bonau: qui fuit septimus Gen: Ordinis, Magisterij titulo decorati fuerint, & solis Conuentualibus, hæc virtutis hæreditas remanserit, non abs re hoc idem nomen & titulum quandoq; libenti animo amplexati sunt; at cùm iam apud omnes satis hoc innotuerit, S. Sede annuente, solo Ministri nomine vtuntur, vt cum primæuis Patribus communi titulo concordarent.

10. Tertium punctum est, *Quòd Minister Gen: de Obseruantia tanquam totius Ord: Min: Caput, visitare Conuentuales, sed nihil iudicialiter circa ipsos & domos eorum & loca exercere possit, nisi eo modo, quò Minister Gen: tunc FF. Conuentualium super fratres de familia, & eorum domos & loca exercebat.* Hoc etiam punctum non solùm quò ad hanc truncam & non secundùm Regulam plenam, sed in obedientia claudicantem circumscriptam Visitationem: sed etiam quò ad hunc titulum *Minister Gen: totius Ord: Min:* secundùm rem nunquam fuisse in vsu: nam esse Min: Gen: totius Ord: Min: secundùm rem, est esse illum Ministrum, cui omnes fratres in vniuerso Ord: Min: sub pæna peccati mortalis; ex vi Regulæ obedire tenentur, dicente S. Patre 1. cap: Reg. *Et alij fratres teneantur fratri Francisco & eius Successoribus obedire.* Sed Minister Ord: Obser: non est huiusmodi Minister, cùm ei ex vniuerso primo Ord: Min: non obediant, neq; obedire tenentur omnes Min:, vt Min: Con:, & Capucini: imò Reformati Strictioris Obser: Constitutionibus Apostolicis coarctatam, & non ex Regula præscriptam, ei præstant obedientiam. Quamobrem nullus post tempora Leonis X. fuit ita vniuersi Ord: Min: in re Minister Gen:, cui omnes

fratres Min: ex præscripto Regulæ obedirent vel obedire tenerentur; ac proinde nullum vnquam Ministrum Gen: Obseru: Bullis Leoninis conformem, vsq; in hanc horam prodijsse, & extitisse manifestè constat: quod probè ostendunt tres Supremi Generales in Ord: Min:, qui æquali conditione & iurisdictione sine aliqua dependentia, vel subordinatione suos regunt & moderantur Ordines.

11. Nec obstat quòd sic de facto Minister Gen: Obser: totius Ordinis Min: se soleat virtute Leoninarum intitulare & inscribere, quia hic tituli vsus, statim à principio Leoninarum in eius potestate fuit, à solo ipsius calamo dependens post Leoninas, licet contra intentum Leoninarum proprio significato destitutus, & suo fine frustratus, atq; non nisi respectu vniuersæ Religionis Min: secundùm denominationem extrinsecam, & vocalem retentus: duntaxat nuncupatiuus derelictus: atq; ad solum Ord: Obser: per Bullas Pontificias & praxim vsitatam restrictus, & coarctatus, præcipuè per Concil: Trid: Sess: 25. cap: 3. per hæc verba. *Et eorum qui Minorum de Obseruantia vocantur.* Licet enim Sacra Congregatio, anno 1631. propter pacem communem & quietem, nihil noui innouare intendens, hunc titulum ei in suo vsu reliquit: Nè innouato titulo simul innouarentur illæ antiquæ & antiquatæ lites, à nobis in recensu Generalium descriptæ, quibus per vnum & ampliùs sæculum gliscentibus, vniuersus vsq; ad nauseam resonabat Orbis: tamen huiusmodi Decretum, in solam vocalitatem titularem, seu titularitatem verbalem hucusq; continuatam se extendit, & totius Ord: Min: vniuersitatem non offendit: Non enim vnquam hic titulus, iuxta intentum Leoninarum, omnigenam & vniuersam Franciscanam sobolem, vel in minimo verificationis Leoninæ intento, re ipsâ sibi subiecit, vel moderna titularitate subdidit. Quamobrem huius tituli totalitas, est nominalis titularitas, & præcisa nomenclaturæ verbalitas, significato reali euacuata; quâ ita Min: Con: & Capucini alterantur, sicut chymerica vulnera dolere docent Archiatri Poetici; Et ita cohonestantur titulati, sicut spatia imaginaria, hircoceruí sanguine tanquam conchylio tincta, & purpurea reddita asse-

asserunt Fullones fabulones. Est enim hic titulus Ministri Gen: Obser: in vniuerso Ord: Min: *Reuerendissimum nihil*, id est vacuum sine corpore nomen.

12. Quartum punctum est, quòd in *Processionibus funeralibus & exequijs, ac alijs publicis actibus, Conuentuales digniorem locum Obseruantinis relinquere teneantur.* Hoc punctum præter Decretum Bullæ Gregor: XIII. quo mendicantium præcedentiam maximè in processionibus determinat, iuxta Conuentuum antiquitatem: nõ est, neq; fuit in vsu, nam ad hæc vsq; tempora, multis in locis quò ad processiones, & vbiq; quò ad actus publicos, vniuersitatum seu Academiarum & Magistratuum S. Inquisitionis, quos Religio Min: Con: gerere vsq; ad præsens cernitur, Conuentuales præferuntur Obseru:; quantùm ad actus publicos vbiq; tàm vniuersitatum, quàm S. Inquisitionis Magistratuum. Quantùm autem ad processiones, patet apud Assisium, Vbi est caput Religionis ex dictis Art: 2. n. 9. à quo cæteri Conuentus regulari etiam apud Obseruant: debent: Conuentuales præcedunt Obseru: Tum etiam patet in Processionibus Castillionis Florentini, in quibus testante Franchino apologemate antiquioritatis Franciscanæ Sect: 5. n. 12. in fine, *PP. de Obseruantia sub Cruce Conuentualium incedunt, subsequentibus Conuentualibus, quod & alicubi in Regno Neapolis & aliquando Bictonij in Vmbria obseruatur.* Etsi in aliquibus locis Obseruantini in processionibus præcedunt Conuentuales, hoc fit habitâ ratione Conuentuum antiquorum, in loco: & non respectu Leoninarum.

ARTICVLVS XL.

In quo rationes inualiditatis, duarum Bullarum Leonis X. Vnionis & Concordiæ appellatarum adferuntur: ad ea, quibus Ordo filialis Obser: Matrici Relig: Min: Con: præferri videtur.

1. PRima ratio inualiditatis punctorum Art: præc: ex Bullis Leonis X. collectorum est legalis. Leges enim vim non habent quæ vsu positæ non sunt, vt docent V. I. Professores: lex enim siue Statutum, tollitur per non vsum, maximè si adueniunt

 & præ-

& prætereunt casus, in quibus ipsa executioni demandari debeat & non demandatur. Eò magis, quando sciente Principe, & eas ad praxim deducere nolente, imò ad contrarium vsum cooperante, in non vsu delitescunt. Humanæ namq; leges instituuntur, cùm promulgantur, firmantur, cùm moribus vtentium approbantur, & sicut moribus vtentium leges approbantur, ita contrarijs vsibus abrogantur. vt patet in multis legibus hodie per non vsum abrogatis: prout Dist: 4. cap: 4. Thelesph: Papa statuerat, vt Clerici à Quinquagesima à carnibus & delicijs ieiunarent, & hymnis & vigilijs atq; orationibus Domino inhærere die noctuq; studerent, quod quia more non est approbatum, sed contrario vsu abrogatum, aliter agentes transgressionis non arguuntur. Hoc etiam patet ex cit: dist: 4. cap: *Deniq*. Et de Tregua & pace cap: *Treguas*. vbi Alexander III. decreuerat, nè bellum fieret etiam iustum in Aduentu vsq; ad Epiphaniam, neq; à Septuagesima vsq; ad Octauam Paschæ, & hoc sub pœna excommunicationis: quod tamen per non vsum, non habet vim ligandi atq; adstringendi, vt nunc præsentium bellorum experientia demonstrat: pro quo etiam facit lex de quibus ff. de Legibus in hæc verba. *Cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quòd iudicio populi receptæ sunt*. Hoc idem fusè probat Nauar: in suo manuali cap: 23. n. 41. & lib: 1. Consil: de Const: cap: 1. n. 23. & Cons: 3. n. 1. & lib: 3. de Statu Monach: Cons: 28. n. 1. sic de cæteris legibus vsu non receptis, immo contrarijs actibus inualidatis iudicium est. Hinc cùm præfata puncta ex eiusdem generis legibus sint, vt ipse omnium experientia Magistra palam fatetur, & ex Art: præc: patet: Proindè inualidata censenda sunt.

2. Secunda ratio inualiditatis punctorum prænominatorum constat ex nullitate finis ipsius legis, vt sic quæ vt docet S. Thomas 1. 2. Q. 196. Art: 6. Iuris consulti l. nulla ff. de legibus: instituitur, & promulgatur vt commune bonum astruat: ciuium pacem & vnionem stabiliat, & conseruet, lex enim quæ à communi bono deficit, nullam habet vim, neq; inducit obligationem eam obseruandi. Vnde legem huiusmodi seruare, est contra mentem legis operari, illam, scil: quam legislator haberet si adesset, & videret legem suam fine legis frustrari. Sed proposita Art: præc:

puncta

puncta, isto fine boni publici inducendi, & procurandi destituuntur. Nunquam enim paci communi, quieti publicæ, & vnioni reali, effectiuè profuerunt, imò diuisionem maiorem effecerunt, ex tunc enim contentiones non paucæ emanarunt: nec inde vnio secuta est, sed disunio, ita, vt exindè non vna Religio sed plures existāt, nec ipso quidē cognomine quo à Patre suo fuerat vocata, insignita persistat: sed varijs appositis agnominibus Conuentualium, Obseruantinorum, & Capucinorum, neq; amplius regitur Rectore vno ad formam gregis Dominici, cuius est vnus Pastor; neq; ad præscriptum Regulæ, quæ vnico Ministro subdit omnes fratres his verbis. *Vniuersi fratres vnum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum.* Tres enim Generales in vniuerso Ord: Min: conspicimus, qui æqualiter suis præsunt Fratribus, nec alteri licet suæ iurisdictionis limites transgredi, & Statum suum excedere. Hinc vniuersum Ord: Min: in illa tempora & calamitates incidisse animaduertimus, de quibus Joannes à Pechano Cantuar. aiebat. *Si vnquam contingeret Minorum Ordinem ab vno capite discedere, vno Generali Præfecto destitui, necesse esset Ordinem ipsum dissolui ac ruere* iuxta illud Euangelicum. *Omne Regnum in se diuisum desolabitur.* Non ergo præfata puncta communi Religionis bono (quod de ratione legis est) inseruire poterunt, quæ suum Vnionis effectum non sunt sortita, neq; vniuersi Ord: vtilitatem & felicitatem conseruarunt, sed oppositum excitarunt. Proinde ex nullitate finis legis, sunt inualidata.

3. Tertia ratio inualiditatis punctorum præmissorum est, quia leges quæ per decursum decem saltem annorum sciente Principe non recipiuntur, abrogatæ intelliguntur. Obligatio enim legis per actus contrarios sciente principe euacuatur, & annullatur: ad quam annullationem secundùm Abbatem sufficit actus binus vel trinus. Et faciens legem, destruere potest legem: & si eam destruat, rectè destructa intelligatur, prout ex Communi Iurisperitorum conclus: constat. Sed hæc omnia de præfatis punctis verificantur, quæ nunquam à FF. Conuentualibus, neq; temporis processu, a Fratribus Capucinis & Reformatis Conuentualibus acceptata fuerunt sciente Principe, potissimùm quò ad

 illud

illud, quod iurisdictionem seu supereminentiam super alios importat: quæ tot actibus contrarijs, per vnum & ampliùs medium sæculum exactum continuatis: non solùm sciente Principe sed annuente & cooperante inualidata sunt, diruta atq; viribus suis euacuata. Maximè dum ipsemet legislator Leo X. iterato absoluto & non conditionato actu, vt priùs sub fine Pontificatus sui, contra Statutum & Bullarum suarum intentum, Generalem Cõuentualium confirmauit, quo sanè sustulit legem à se præscriptam. Lex siquidem à ratione & voluntate legislatoris proficiscitur, quæ manifestatur non minùs facto quàm verbo, & sicut quis verbo ostendit suam voluntatem & intentionem alteri (quia voces sunt secundùm Arist· earum quæ sunt in anima passionum notæ) ita etiam facto potest illam manifestare, vnde sicut lex Principis verbo statim introduci potest, ita contrario facto & opere potest irritari. Cùm igitur tot actus contrarij Bullis Leonis aduersentur, etiam ipso volente & cooperante legislatore ac Successoribus eius, non est ampliùs inquirendum de voluntate legislatoris: cùm mens facto & actibus, non minùs quàm verbis satis manifestatur. Insuper si Princeps per taciturnitatem suspendit & tollit legem iuxta glossam singularem in cap: 1. *de Treg. & Pace*, quam approbat Panhormitanus, & communiter omnes Doctores, vt refert Felinus in eodem cap: potiori iure tollitur dum actus contrarios ipsemet admittit, tunc enim lex destrui censetur ipso sciente & annuente.

4. Quarta ratio inualiditatis est ex nullitate finis Leoninarum quà Leoninarum. Clarum enim est Leonem X. pro tot tantisq; gratijs quibus Ordinem Obser: fastigiauit, nullam aliam habuisse causam finalem, quàm perpetuam puræ Regulæ Obseruantiam, cuius pio motiuo inductus, iura electionis, Dignitates Regulares, puta Ministeriat⁹, Custodiatus, de nouo institutas est ei elargitus, quæ omnia antequam ei contulisset, priùs protestatus est ipsi Ordo Obser: & firma sponsione promisit, in perpetua puræ Regulæ viuere Obseruantia, nec ampliùs se recessurum ab eo puritatis Statu spopondit, nec eiusdem recessus causa, nouas reformationes vnquam se admissurum obligatoriè condixit. Hoc fatetur

tetur Marchantius Obser: qui pag: 527. memorans Capitulum Romæ anno 1517. celebrato inquit. *In quo, cùm in prima Sessione opposita esset Unio vniuersalis totius Ordinis: ei quidem consenserunt omnes Patres Obseruantiam Regularem zelantes sub conditione, quòd Conuentuales relaxati, prætensis priuilegijs contra puritatem Regulæ, & omni rerum proprietati, ac quibusuis annuis redditibus renuntiarent: & Regularis Obseruantiæ nihil detrimenti pateretur. Cui conditioni cùm patres relaxationem Regulæ sequentes subscribere noluissent. Summus Pontifex &c.* & ob hanc causam finalem in electione & collatione officiorum, Obseruantinos semper Reformatos interpellare solet, quibus solùm & non alijs actiuam vocem simul & passiuam impertitur. Electionem sancit & stabilit, irritamq;, si per vocales à pura Regulæ Obseruantia alienos celebretur, declarat. Et nè hoc reformationis nomen aliquo erroris vmbraculo tegeretur, eos puros Obseruantes declarat, qui Priuilegijs Apost: bona temporalia concernentibus non vtuntur, & ob id præcedentiam eis concessit, vt notat Brancatus de Laurea S. R. E. C. in suo Epitome V. FF. Min: S. F. de Obser. *Ex causa Obseruantiæ Regulæ.*

5. Sed hic finis à Leone X. intentus & ab Ord: Obser: obligatoriè promissus, modò non viget in Ordine Obser: neq; subsistit, quod ad oculum patet ex nouis reformationibus ab eo emanatis, quæ superfluæ fuissent, si viguisset puræ Regulæ obseruantia, & eò magis, quia erant interdictæ, tàm Decreto Pontificio quàm sponsione ab Ordine asserta. Insuper mirandum qualis fuit feruor istius Obseruantiæ nouellæ Leoni X. promissæ, cùm vix octo annis elapsis marcescere & euanescere cœperit, nam anno 1525. sub Clemente VII. Leonis X. fratre Patruele, ad strictiorem vitæ methodum erigendam, ex ipso Ord: Obser: vt diximus Art:39. n. 3. prodierunt Capucini, vt isti lapsabundæ & vt scelerum debili subuenirent obseruantiæ: cuius intuitu filialem Ord: Leo X. informata de nouo & simul reformata Religione instituit, ac multa Priuilegia concessit: Stante enim pura Obseruantia cum interdicto nouarum reformationum; Sanè dùm nouæ emergunt, relaxationem eius Ordinis, de quo prodeunt manifestè supponunt, vt diximus Art:26. n. 10: dum enim aliquis Ordo ab alio priori emanat,

nat, necesse est vt distinguatur ab eo aliquo fine speciali, & Obseruantiâ restrictâ, vt nugamentum confusionis vitetur. Hic autem finis debet esse specialis & distinctiuus, non communis seu confusiuus, qui non potest esse nisi diuersa Obseruantia Regularis, & ritus professionis eiusdem Regulæ in Obseruantia diuersus, quo pullulans reformatio, pristinum puræ Obseruantiæ restituere contendit nitorem, relicto eo Ordine, à quo pullulat in suo statu laxiori: id est in Obseruantia eiusdem Regulæ accidentaliter alterata, & substantialiter inuariata: alioquin quando nulla intercedit circa eandem Reg: in Obseruantia distinctio, tunc nulla admitti potest reformatio, & si admitteretur in eo casu, concederetur nugatoria principij petitio. Quocirca necessario inferendum est, aut reformationem Capucinorum, & eorum Reformatorum qui de Strictiori Obser: appellantur, ab Ord: Obser: procedentium, fuisse & esse superfluam, aut in Ord: Obser: fuisse & esse accidentaliter relaxatam puram Obseruantiam. Ex his consequenter inferendum extat: meliùs fuisse conditioni dictæ n. 4. non subscripsisse, quàm Patres suos securitatis causâ iuxta Priuilegia Apost: viuentes reliquisse, & contempsisse, & tandem post octo annos non stando promissis, proprium relaxatorum statum constituisse, tantò deteriorem, quantò propria sponte absq; Priuilegijs Apost: introductum, & promissis Summo Pontifici subscriptis non adæquatum.

6. Secundò nullitas finis à Leone X. intenti patet, scilicet puram Regulæ Obseruantiam modo in Ordine Obseru: non vigere propter multa Priuilegia bona temporalia concernentia, Ord: Obser: præter puritatem Regulæ à Summis Pontificibus cōcessa. Hæc Priuilegia ipsi Auctores Obser: libero non minùs ore fatentur, sed etiam ingenuo calamo exarant concessa, ex quibus Rodericus Obser: non minùs doctus quàm Status Obser: peritus: Hic in sua collectione Bullarum fol: 408. n. 15. sic refert. *Ego frater Aloisius Petrus totius Ordinis Minorum Generalis Minister fidem facio, qualiter Sanctissimus D. N. D. Pius Papa V. die vigesimo tertio Mensis Martij 1567. me supplicante suæ sanctitati, concessit confirmationem & concessionem omnium Priuilegiorum, & quarumcunq; gratiarum, & viuæ*

vocis

vocis oraculo fratribus dicti Ordinis Minorum concessarum, prout de verbo ad verbum hic est inserta. Idem Roder: loco cit: n. 16. subdit. *Anno 1566. die 6. Maij idem Pontifex Pius V. ad instantiam dicti P. Ioannis de Aquilera Commissarij Romani, prout ipse literis suo sigillo & nomine munitis est testificatus, cõcessit viuæ vocis oraculo, vt omnes tuta conscientia possint vti concessionibus quæ sequuntur, prout ego vidi in quibusdam literis propria manu scriptis à nostro Reuerendissimo Patre Generali Francisco à Sosa.* Et inter ea Priuilegia, quæ sub diuersis numeris à cit: Roderico referuntur. hæc sunt

Sub. N. 22. *Quòd possumus vti Syndico secundùm Priuilegia, & quòd Superiores Ordinis disponere possint de pecunia expendenda per Syndicum, & quòd ipsi Syndici nequeant de ea disponere, nisi in quibus & quando Prælatus voluerit.*

Sub N. 23. *Quòd de licentia Ministrorum licet Prælatis & fratribus recipere & petere vinum, & alias eleemosynas in sua specie, & per Syndicum venundari: & talis pecunia possit licitè conuerti in vtilitatem fratrum & Conuentuum reparationem: & in alias extraordinarias necessitates, pro tempore occurrentes.*

Sub N. 24. *Quòd de licentia Prælatorum, recurrere possit frater ad dictos Syndicos, & amicos spirituales: pro emendis quibusdam rebus, licet non sint admodum necessariæ.*

Sub N. 25. *Quòd liceat congregare vinum, frumentum, & alia quando Prælatis videbitur: quòd in tali conuentu aliter non possumus commodè vel decenter viuere; dummodò tales congregationes non fiant, nisi pro vno anno tantùm.*

Sub N. 26. *Quòd missas & eleemosynas vni loco, vel aliquib⁹ fratribus commendatas, liceat Prælatis alijs fratribus etiam aliorum Ordinum, vel Præsbyteris sæcularibus commendare: nisi oppositum expressè dixerint, qui Missas commendauerunt, & pecunias dederunt.*

Sub N. 27. *Quòd fratres iter agentes de licentia Prælatorum, possint secùm ferre famulum cum pecunia: quando alio modo iter agere commodè non possunt.*

Sub N. 29. *Quòd possint procurare pecunias, non solùm pro vrgentibus necessitatibus, sed etiam pro his quæ non ita necessariæ sunt: imò pro superfluis & curiosis, v. g. pro ornamentis & ædificijs sumptuosis. Item*

non solùm pro necessitatibus præsentibus, & eminentibus, sed etiam pro futuris, pro quibus eleemosyna procurata, apud Syndicum deponatur.

Sub N. 30. *Quòd non sint obligati quando petunt pecuniam, explicare necessitatem in particulari: Sed quòd possunt procurare denarios, vel pecunias pro necessitatibus in generali: & data pro una particulari necessitate, possint in alteram Ordine Syndici deputari.* Hæc Roder: Obser: qui QQ. Reg: tom: 3. Q. 39. art: 4. habet hæc formalia. *Sed restat resoluere, vtrum vti Syndico ad recipiendum pecunias, sit secundùm prædictam Regulam, an verò per viam dispensationis sit in Religione introductum. Speculum fratrum Minorum, & auctor Compendij dicunt esse dispensationem. Corduba sentit esse dispensationem & relaxationem.*

Has præfatas relaxatiuas dispensationes, Ordo Obser: obtulit Greg: XIII. confirmandas, & vlterius ampliandas: vt testatur Roder: in cit: collectione Bullatij pag: mihi 457. ex relatione Julij Feltri de Ruuere S. R. E. C. & totius Ord: B.F. Protectoris, in hæc verba. *Cùm Rndus Pater Commissarius Gen: familiæ Cismontanæ fratrum Minorum de Obseruantia exhibuisset Sanctissimo D. N. Gregorio, diuina prouidentia Papæ XIII. quandam cedulam continentem nonnullas gratias, aliàs à felicis recordationis Pio V. vt asserebat concessas, partim Reuerendissimo Patri Ministro Gen: partim verò ipsi Commissario in fauorem Ordinis præfati de Obseruantia, eiq; subiectorum, & humiliter supplicasset sanctitatem suam, vt dignaretur eas omnes confirmare ampliare, & declarare.*

7. Hic idem Roder: loco cit: varias sub diuersis Numeris laxiores & ampliores subiungit dispensationes.

Sub n. 5. *Commissario Gen: concessit quòd cum aliqui Conuentus nostri præsertim ex illis qui fuerunt Amadeorũ & Clarenorũ, habent vineas intra septa Conuentuum, ex quibus colligunt singulis annis vinum, quòd non videtur cõuenire puritati Regulæ & professionis Nostræ, possimus illas tenere & illis vti pro serenitate conscictiæ, quia sic dispensauit & benignè concessit.*

Item quòd Syndicus seu procurator noster sæcularis, possit vendere fænum, quod colligitur in pratis nostris, & conuertere pretium in alias res Conuentibus & fratribus necessarias &c.

De his dispensationibus & Priuilegijs Apost: memoratus Cardinalis Ordinis Protector, velut oculatus & auritus testis: tale profert

profert

profert teſtimonium. *De quibus confirmatione, ampliatione, & declaratione, nè aliquando dubitare contingat, & auctoritate nobis à præfato Sanctiſſimo Dño viuæ vocis oraculo attributâ, fidem facimus indubiam per præſentes: quas ad huiuſmodi effectum propria manu noſtra, ac Secretarij noſtri infra ſcripti ſubſcriptas: noſtriq; ſoliti Sigilli impreſſione communitas, fieri iuſſimus. Datis Romæ in Ædibus Noſtris die 15. Maij 1573.*

8. Aliàs etiam refert Roder: Obſer: non ſolùm contra finem à Leone X. intentum, ſed etiam contra declarationes Nicolai III. & Clementis V. diſpenſationes, puritatis Regulæ relaxatiuas, non motu proprio Summorum Pontificum, ſed ad petitionem Ord: Obſer: eidem conceſſas. Primò Clemens VII. vt refert Roder: in collect: Bullarum fol: mihi 318. in Bulla quæ incipit. *Nuper pro parte veſtra nobis expoſitum fuit.* Conceſſit Ordini Obſer:, vt poſſint pro legatis componere cum hæredibus, & in pecunia vel alijs bonis mobilibus accipere: pactio autem, conuentio, & compoſitio, cum teſtamentarijs fratribus Obſer: eſt prohibita per Clement: quæ incipit. *Exiui de Paradiſo.* de verb: ſig: Item Paulus IV. in Bulla quæ incipit. *Ex Clementi.* ad petitionem Clementis de Monelia Miniſtri Gen: de Obſeru: eidem Ordini Obſer: conceſſit, vt refert cit: Roder: fol: 350. vt poſſit deputare Syndicum extra Ordinem, ad exigenda legata, ipſiq; Syndici circa contractus habeant facultatem petendi, exigendi, recipiendi, alienandi, prædicta tranſigendi, quoq; & paciſcendi, conueniendi, compromittendi, remittendi, refutandi, quietationem faciendi, agendi, defendendi. Syndicus namq; non poteſt retinere eleemoſynas pecuniarias FF Obſeruantinorum, nec in iudicio legata depoſcere, niſi per viam diſpenſationis, prout aſſerit Speculum FF. Minorum, & auctor Compend: Mend: nec legata Nomine Eccleſiæ, Sacrarij, valetudinarij, exigere, nam hæc tanquam inanimata, non ſunt ſufficientia media, ad acquirendum ciuili acquiſitione, cùm non habeant velle, & poſſe, vnde in propoſito Eccleſia ſumitur perſonaliter, & ſignificatiuè, id eſt pro collegio, Eccleſia enim & collegium idem ſunt, vt notat Baldus & nos diximus ſupra Art: 27. n. 6. & n. 7. Idem Roder: in cit:

collect: Bullarum pag: 259 sub pluribus numeris diuersas enumerat à Julio II. Ordini suo Obser: concessas dispensationes, inter quas sub n. 10. hæc refert formalia. *Dum essem in Vrbe die septimo Nouembris, quia fratres vident non posse recurrere ad pecuniam nisi in rebus necessarijs, & in hoc sint maximæ perplexitates fratrum, obtinui oretenùs à Summo Pontifice, quòd fratres possint recurrere ad pecuniam, etiam in non necessarijs, dummodò non sint talia illicita, & quòd hoc faciant cum licentia sua:* quarum dispensationum Julij II. meminit Vrbanus VIII. in Bulla quæ incipit. *Sacro-sanctum*, quam refert Marchantius fol: 26. quas cum alijs abrogauit, & in praxi seruari vetuit.

9. Fuerunt & aliæ dispensationes relaxatiuæ in Ordine Obser: ex indulto Pij II. introductæ, de quibus Reder: Tom: 1. Q. 26, & Ludouicus Miranda Obser: Tom: 2. Q. 30. de quibus nos egimus Art: 37. n. 6. Varias etiam in diuersis locis Sorbo Capucinus in Compen: Priuil: enumerat similes concessiones, vt illam sub V. *Commutare*. quæ concedit Ordini Obser: vt possit recipere triticum & alias res superabundantes per suum Syndicum, vt seruentur, & commutentur pro alijs rebus: de qua dispensatione sic loco cit: Collector dicit. *Cauendum est omninò ab ista concessione, quia est expresse contra declarationem Nicolai III: & sic relaxatiua & destructiua nostræ paupertatis, quam in Regula promisimus; cùm talia sic recepta sint manifestè pecunia, cuius receptio quàm prohibita sit in Regula nostra, notorium est.* Nec valet dicere ex Constit: Nuperis PP. Obseruantinorum in cap: IV. Reg: §. 1. præfata omnia indulta in Ordine Obser: aditum non habuisse, neq; acceptata fuisse: nam præter quàm quòd ad instantiam Ministrorum Gen: Obser: & eiusdem Ord: Commiss: fuerint impetrata, & concessa, verùm etiam Fr. Franciscus Gonzaga Min: Gen: Obser: anno 1579. Christianissimum Regem, & parlamentum Parisiense supplicauerit, pro recuperatione bonorum immobilium: vt videre est apud Ocularium Min: Obser: quæ nonnisi ex huiusmodi indultis relaxatiuis, & admissis prætendere poterat. Rodericus etiã cit: annotat, quòd Obseruantini suis laboribus partam aliquam pecuniarum copiam, mediante Syndico, Parentum & amicorum

vsibus

vſibus diſtribuere, & accommodare poſſunt. Nec valet excuſa-
tio quòd Obſeruantini pecunias manu propria non contractent;
quia Reges & Principes nunquam aut rarò pecuniam tangunt,
nec propterea dici non poteſt quòd proprietarij non ſint: cùm
ad eorum libitum & nutum pecuniæ expendantur. Et licet Ob-
ſeruantini ad quorum voluntatem, vigore præfatorum indulto-
rum, per Syndicos pecuniæ expenduntur, per hoc proprietarij la-
bem effugiant: relaxationis tamen nomen, contra puritatem
Regulæ, & finem a Leone X. intentum, euitare non poſſunt. Et
ideò ex nullitate finis Leoninarum, & ipſæ ſunt annullatæ, & o-
mnes gratiæ & dignitates eis conceſſæ, factæ ſunt nullæ. Actus
enim agentium non operantur vltra intentionem eorum, vt in-
quit Philoſophus. Et verba poſita ad vnum finem, ad illum ſunt
interpretanda, & non aliter, vt habetur in cap: fin: *de verb: ſignif.*

10. Ex his dictis, duo concluduntur: primum, quòd Ordo
Obſer: his recenſitis Priuilegijs Apoſt: munitus, non eſt ille, cui
Leo X. dedit titulum Miniſterij, dignitatem graduum & præce-
dentiam Ordinis: ille enim conſtabat tantùm fratribus Reforma-
tis purè & ſimpliciter Regulam profitentibus, abſq; priuilegijs
bona temporalia concernentibus: hic autem complectitur fra-
tres huiuſmodi Priuilegijs Apoſt: contra Statutum & intentum
Leonis X. temperatos & exoneratos. Secundum, Generalis nun-
cupatorum Obſer: non eſt ille, cui Leo tot prærogatiuas conceſſit:
ille enim ſub pœna nullitatis electionis, eligi non poterat; niſi
ex Reformatis, & à ſolis Reformatis: ſed hic modernus eligitur
à vocalibus, dictis Priuilegijs vtentibus, vt ſunt vocales Prouinciæ
Franciæ, Burgundiæ, & Turoniæ: & Magni Conuentus Pariſi-
enſis, ex teſtimonio Fabri Pariſien: cit: Art: 39. n. 2. qui omnes
Reformati non ſunt, cùm bonis immobilibus vtantur: hinc pro-
bè ſequitur, ex non conſecutione intentionis Leoninæ, effectum
dignitatum, & præcedentiarum: modernum Ord: Obſer: conſe-
qui non poſſe. Sublatâ enim causâ tollitur effectus: quia vt di-
citur l. ſi is de Excus: tutor: mutato facto mutatur & ius, alioquin
ſi Leoninæ nunc ſuum robur haberent, electio Generalis Obſer:
irrita proculdubio foret; vt enim dicitur de Priuilegijs cap: *Por-*

rò. & cap: *Accipimus*. Priuilegium amittitur & euacuatur fitq; inualidum, si priuilegiatus facit contra illud, quod in eodem Priuilegio exprimitur concessum: Constat autem Obseruantinos, qui se lege Leonis Priuilegiatos ostentant, eandem legem per se abrogasse, præstando illud, quod est contra mentem & intentum legislatoris, qui apertè Generalis electionem solis Reformatis demandandam præcepit & decreuit sub pœna nullitatis. Quare si valida electio sit à non Reformatis facta, consequens est, vigor ipsius Bullæ quò ad hoc vt inualidus sit necesse est. Ex dictis patet, quâ veritate & fronte Statuta Ordinis Obser: in cap: 4. Reg: §. 1. n. 1. hæc verba proferunt. *Declaramus iuxta multorum Generalium Comitiorum sententiam, in nullo præcepto Regulæ hactenus dispensatum esse: nec Ordinem vllam vnquam dispensationem admisisse, vel admittere. Hinc iuxta Regulã & Declarationes per DD. Nicolaũ III. & Clem: V. factas, quas solas Ordo noster recepit, & recipit: quasq; obseruari præcipuè circa paupertatẽ, ac bis in anno cũ his statutis in communitate legi volum⁹*. Sed vt ipsæmet Const: PP. Obser: imò idem ipse §. contra se ferat sententiã n. 8. relegatur: in quo sic statuitur. *Nemo sine sui Superioris licentia eleemosynam pecuniariam pro se, vel pro alijs fratribus quærere aut accipere audeat sub pœna proprietarij, qua etiam puniatur, qui sine Superioris licentia, eleemosynam pecuniariam in manu Syndici Apostolici tenuerit, nec non qui quouis modo debita contraxerit.* Vbi quærere aut accipere eleemosynam pecuniariam, pro se vel pro alijs fratribus, ac eam in manu Syndici tenere, in Ordine Obser: nemini est licitum sine licentia sui Superioris: Ergo manifestè exinde sequitur, quòd cum licentia sui Superioris licitum erit eleemosynam pecuniariam quærere, accipere, ac eam in manu Syndici tenere: quod est manifestissima dispensatio, & Dominij dependentis admissio: quam Marchan: more suo diceret esse contra Regulam, cùm tamen nulla dispensatio Pontificia possit dici contra Regulam, vt toties probauimus. Licet enim Regula dicat, *Nullo modo denarios vel pecuniam recipiant.* quæ verba Bartholomæus Pisanus in Firm: 3. Ord: 4. Part: fol: 71. sic exponit. *Nota, quòd nullus modus, & aliquis modus sunt contradictoria. & ideo nulli subest potentiæ, quòd isto remanente præcepto sicut Stat: modus aliquis cõcedatur.*

cedatur. Et Ministris etiam atq; Custodibus, cum particula exceptiua *tantùm*, permissus sit per amicos Spirituales ad pecuniam recursus, pro determinatis necessitatibus infirmorum & alijs fratribus induendis: *eò semper saluo (vt sicut dictum est) denarios vel pecuniam non recipiant.* Hic tamen in Constit: præfatis, videtur permitti per particulares fratres, cum licentia Superioris pecuniæ quæstuatio & receptio, atq; in manu Syndici eius repositio: quod fieri non potest, nisi mediante dispensatione & Priuilegio Apostolico. Vnde dictæ Const: n. 9. subiungunt. *Nec Prælatorum quisquam alicui subditorum licentiam accipiendi, vel dandi pecuniam in vniuersum concedat, sed peculiaris facultas sit semper necessaria, ad quascunq; etiam minimas res comparandas.* Vbi manifestè conceditur Auctoritas Prælatis, vt peculiarem facultatem possint dare suis subditis, ad quascunq; etiam minimas res pecunia comparandas: quod ex diametro soluit modificans Regulæ de non receptione denariorum, tam in communi, quàm in particulari: aliâs inter particulares Fratres PP. Obser: Reformatorum, & aliorum Regularium in communi bona possidentium, nulla intercederet differentia quò ad paupertatis vsum, quia tàm hi quàm illi, cùm licentia suorum Superiorum, possent accipere & expendere pecuniam, pro rebus pecunia comparandis quod aduersatur rigori regulari, & differentiæ à nobis expressæ. & Bullæ Vrbani VIII. quæ incipit. *Sacrosanctum Apostolatus.*

11. Vltima ratio inualiditatis Leoninarum, desumitur à Priuilegio Sixti V, qui per Bullam motu proprio datam 1588, dictarum Leoninarum expressum abrogationis signum vulgauit: cùm in erectione Archiconfr: Chordigerorum, Assisij Ministro Gen: Ord: Min: Con: tanquam vero ac legitimo Successori Seraphici Patris, & Successoribus suis, plenam facultatem concessit, instituendi & erigendi, in omnibus Ecclesijs domorum, non solùm Conuentualium, sed etiam Capuc: & Obseru: præfatam Confr: vt etiam diximus supra Art; 2. n. 11. Bullæ verba. *Dilecto filio Clementi Bontadosio Moderno, & pro tempore existenti, dicti Ordinis Min: Gen: plenam & omnimodam facultatem, & auctoritatem concedimus, vt*

quas-

quascunq; confraternitates vtriusq; sexus Chordigerorum, in quibuscunq; Ecclesijs domorum Ordinum Fratrum, tàm Min: Con:, quàm de Obser:, & Capucinorum nuncupatorum; vbicunq; & in omnibus partibus, erigere, & instituere: illasq; cùm erectæ fuerint, præfatæ Archiconfr. cum omnibus & singulis indulgentijs, peccatorum remissionibus, ac relaxationibus aggregare: ipsasq; indulgentias confratribus illarum communicare & concedere valeat. Nec obstat quòd etiam Ministro Gen: Obser: concesserit facultatem erigendi, præfatam Archiconfr. in omnibus Ecclesijs sui Ord: Obser:, quia eius potestatem coarctauit, & limitauit, per hæc verba. *Vbicunq; non sunt Monasteria Conuentualium, & vbi etiam non sunt Confraternitates Min:Con: iam erectæ.* hinc potestas Gen: Obser: limitatur ad suos Conuentus, & vbi non sunt Conuentus Min:Con: vel confraternitates ab eis iam erectæ; potestas autem Generalis Min: Con: remanet absoluta cum plenaria iurisdictione, ad omnes Ecclesias Ord: S. F. Conuentualium & Capucinorum, & per præuentionem etiam ad Ecclesias Minorum Obseru: per quod demonstrare voluit Ministrũ Gen: Min: Con: vnicum esse & verum Successorem S. F., non obstantibus Leoninis; sed in suo non vsu suppositis & sepultis.

ARTICVLVS XLI.

Quis sit durationis Naturalis, & cœtus à S. Fran: immediatè instituti, Ministrorum Gen: in officio Generalatus, à S. F. sibi succedentium, legitimus, tàm naturalis, quàm moralis Successor.

1. STabilito Leoninarum Statu, & viridi non vsu, non erit difficile reliqua Petri Marchan: nugalia, quæ Leoninis Bullis vt hederam parieti, inniti finxit, pessum ire, & pessundare. Inter cætera suæ Expos: Reg: sparsim sparsa, & præcipuè scopo, contra primogenitos S. F. Min: Con: studioso animo contorta; est illa conclusio Bullæ Leoninæ inuitè impacta, & in elusionem lectorum pag: 50. exposita his verbis. *Verus Successor S. Francisci in Officio*

Officio

Officio Generalis simpliciter est solus Generalis Minister, qui fratres Minores Reg: Obseruantiæ cum omnibus congregationibus suis reformatis gubernat. Sed hæc conclusio potiùs rudium elusio, sicut & cæteræ eius Bullatæ nugæ & Flandricæ gerræ, vel primo intuitu facilè exploditur, & dissipatur, si accipiamus initium, & institutionis tempus, primi Ministri Gen: in Ordine filiali Obser. Scilicet Christophori de Fotoliuio anno 1517. à Leone X. nouo indulto, nouo electionis per transnominationem vocalium modo, & nouâ institutionis formâ electi, & confirmati. Hic non potuit esse durationis naturalis, & cætus à S. F. immediatè instituti Ministrorum Gen: in officio Generalatus à S. F. sibi immediatè succedentium legitimus naturalis durationis simul & moralis Successor: nisi priùs constet eum successisse antecedaneis Ministris Gen: à tempore S. Francisci in duratione, & in eodem cætu à S. F. instituto sibi immediatè, & non interruptè succedentibus, & successoribus, quod est falsum: quia nulli ex huiusmodi Ministris Gen:, sibi ad inuicem post S. Franc: in duratione, & eodem cætu successoribus successit: sed potiùs successit Vicarijs Gen: eum præcedentibus, & ipsemet Minister Gen: Ordinis Obser: primus, sibimet Vicario Gen: successit vltimo: qui post Vicariatum Gen: electus fuit Minister Gen: per vocales extra præscriptum Regulæ, per dispensationem Pontificiam institutos: Scilicet per Vicarios Prou: & eorum discretos, in veros Ministros & Custodes, ad effectum eiusmodi electionis auctoritate Apostolica suffectos.

2. Proinde cùm fuerit primus in Ord: Obser: post Vicarios Minister Gen: priores Ministros Gen: habere non valuit, quibus succedere potuisset: quòd fuerit primus præter veritatem & Bullas Leonis id ipsum elucidantes, ipsimet Auctores Obser: liberè fatentur vt August: de Witte Obser: in genealogia S. Fr: pag: 51. de eodem Christophoro inquit. *Hic fuit primus Minister Gen: familiæ de Obser:, cùm antea Ministri Gen: fuerunt Conuentuales.* & Marchantius Obser: pag: 59. *Hic assumptus est ex Vicario Generali Obseruantiæ ---- totius Ordinis Minister Gen:* idem testatur Gonzaga Obser: 1. part: hist: Seraph. Hinc benè infertur quòd in Ordine Obseru: in tali prima & noua electionis, per dispensationem forma:

non habuit priores Miniſtros Gen: quibus ſuccederet niſi ipſos Vicarios Gen: ex quorum numero ipſemet locò Vicariatûs ad Miniſteriatum extitit aſſumptus. Maximè quia priores Miniſtri Gen: S. F. legitimi Succeſſores, ſecundùm præſcriptum Regulæ per Miniſtros Prou: & Cuſtodes ab initio Ord: Min: ſibi inuicem continuò ſuccedentes, electi fuerint, & nullius electio per Vicarios & Diſcretos prouiſione Apoſtolica, in vocales legitimos, ſubrogatos celebrata extiterit.

3. Eſt etiam ratio euidens demonſtrans Miniſtros Gen: Obſer: à Leone X. recenter inſtitutos, nunquam ſucceſſiſſe in Officio Generalatûs Miniſtris S. F. naturalis durationis, in hæreditario & primitiuo cætu Succeſſoribus, ſed potiùs ſucceſſiſſet Vicarijs Generalibus. Illis debet quis cenſeri in Officio ſucceſſiſſe, quibus ab eodem cætu, eadem poteſtate, eadem primitiua electione, per eiusdem rationis hæreditariæ vocales: per eandem naturalis durationis ſucceſſionem, electus ita ſucceſſit, ſicut anteriores prioribus ſucceſſerunt. Sed omnes anteriores Miniſtri Gen: filialis Ord: Obſer: incipiendo à primo Chriſtophoro de Foroliuio, vſq; ad hodiernum ab eodem cætu, eadem poteſtate, eadem primitiua electione, per eiusdem rationis hæreditariæ vocales, per eandem naturalis durationis ſucceſſionem, fuerunt electi Miniſtri Gen: auctoritate Leonis X. ſicut priores ante Chriſtophorum de Foroliuio Vicarij Gen:, in cætu iam ſeparato & diuiſo à Matrice Religione Min: Con: vel particulariter à Concil: Conſtant: vt diximus Art: 13. n. 5. Vel vniuerſaliter ab Eugenio IV. vt diximus Art: 14. n. 19. fuerunt electi. Ergo Miniſtri Gen: Obſer: ſucceſſerunt Vicarijs Gen: & non ſucceſſerunt Miniſtris Gen: S. F. ſucceſſoribus naturalis durationis, & hæreditariæ ſucceſſionis ab anno 1227. vt diximus Art: 4. n. 7. potiùs enim dicendi ſunt ſucceſſiſſe ipſis Vicarijs Gen: præfatum Chriſtophorum de Foroliuio à Concil: Conſt: in anno 1415. particulariter, & ab Eugenio IV. in anno 1446. vniuerſaliter antecedentibus: Ex quibus ipſe primus ex Vicario Gen: Miniſter Gen: Ord: Obſeru: auctoritate Leonis X. in formata nouiter Religione & abſoluta fuit electus, & in noua forma confirmatus. Hoc argumento potiſſimè ſucceſſionis.

4. Ordo namq; Obseru: idem erat in se simpliciter, in electione Christophori Numai, de Foroliuio, ante Leoninam sub nomine Vicarij electi, qui erat in electione eiusdem post Leoninam, sub nomine Ministri. Hoc demonstratiuè patet, ex identitate professionis, obseruantiæ, iurisdictionis & regiminis, vocalium actiuitate, locorum possessione, ac totali in cætu reformato separatione, quia idem Ordo Reformatus Obseruantinus nullo essentiali prædicato, sub nomine Ministri, à seipso sub nomine Vicarij extitit diuersificatus, nisi solis nominibus Vicariorum & Discretorum in Ministros & Custodes transnominatione discriminatus, quæ transnominatio, non variat essentiam Ordinis, vt Art: 39. n. 7. & 8. clarè ostendimus. Illa etiam aliquarum Congregationum reformatarum, Ordini Obser: virtute Leoninarum facta adiunctio, Ordinem in essentialibus non mutauit, sed dumtaxat ampliori Obseruantinum cætum incremento cumulauit: Vnico tantùm differentiæ accidentalis charactere, Ordo Obser: sub Ministris collocatus, à seipso sub Vicarijs militante extitit discretus, & distinctus; nimirum quia de potestate Ministrorum Gen: Con:, quò ad confirmationem suorum Superiorum fuit emancipatus, & in formata Religione institutus, & declaratus⁹. Hæc autem titularis confirmatio, quam tenui iurisdictionis pendebat filo, Eugeniana quæ incipit. *Vt Sacra Ordinum.* edocet mandans vt triduo elapso, & electo Vicario Obser: per Ministrũ Gen: Con: non confirmato, ipse electus auctoritate Pontificia censeatur confirmatus. Alia quæ ex causa Obseruantiæ Leo X. Ordini Obser: concessit, per non vsum & rationes, Articulis præc: expositas; in abrogatione facti delitescunt: & ipse Ordo Obser: in eodem Statu, in quo erat ante Leoninas (exceptis nominalibus) remansit coarctatus⁹.

5. Deinde congregatio Ordinis Obser: de familia tunc nuncupata à Concil: Constant: originaliter partialiter, Ab Eugenio IV. adæquatè vniuersaliter, aliud in re & facto constituebat corpus, sub suo Vicario Gen: distinctum à corpore, quod Min: Con: constituebant sub suo Ministro Gen: militantes; vt etiam ipsi Obser: fatentur, vt locis cit: ostendimus. Et Roder: Obseru:

tom: I. Q. 5. Art: 2. inquit. *Cautum fuit in Concil: Conſtant: vt ex ipſis Minoribus reformatis qui Fratres de familia vocabantur, eligerentur Vicarij Prouinciales, qui omnibus reformatis Religioſis praeeſſent; ea lege & conditione, vt Vicarij Prouinciales fratres Min: Regularis Obſer: vocarentur, dummodò in omnibus ſubderentur Miniſtris Prouincialibꝰ Conuentualium. Verùm Eugenius IV. Apoſtolico diplomate cauit, vt fratres Obſer: eligere poſſent Vicarium Gen: in Comitijs Gen:, & Vicarios Prouinciales in Capitulis Prouincialibus, qui nimirum Vicarij in nullo ſubderentur Miniſtris Conuentualibus, niſi quò ad Vicariatûs confirmationem.* Idem affirmat Jacobus de Alcala Obſer: in Expos: Eugenianæ fol: 67. b. inquiens. *Itaq; pro nulla re mundi oportet ad Generalem Ord: recurrere, ſed fratres omnes de familia ad ſuum Gen: Vicarium, poſſunt & debent habere recurſum.* Idem Marchantius pag: 63. aſſerit Vicarios independenter à Miniſtris ſuos fratres rexiſſe. Hoc totum probauimus Art: 30. incipiendo à n. 27. & deinceps. Deinde legatur Epiſtola Chambonis ad calcem poſita.

6. Hoc idem ipſimet Gen: Conuentuales Leonis X. tempora præcedentes, hanc duorum corporum diſtinctionem realem aduertentes, eamq; impediendo, obſtando, diſijciendo, deplorando, fatentur, vt patet de Guilelmo de Caſali Miniſtro Gen: Con: qui huic diuiſioni & diſtinctioni primus obſtitit, vt refert Wadin: Obſer: ad annum 1440. n. 30. in hæc verba. *Petierat Nicolaus Auximanus Pontifici gratiſſimus, vt ab omnimoda iuriſdictione Miniſtrorum Prouincialium Con: (à quibus diuerſimodè vexabantur) domos & perſonas eximeret Obſeruantum, conceſſâ ampla facultate eorundem Vicarijs. Conceſſit hoc Eugenius, dum Gulielmus Gen: Min: abeſſet in Gallia. Vt verò redijt egerrimè tulit hunc Nicolai conatum, eoq; aſperè coram fratribus & S. Bernardino correpto, obtinuit à Pontifice, vt diploma huius conceſſionis reuocaretur.* Patet etiam de Antonio de Ruſconibus Miniſtro Gen: Con: hanc diuiſionem & ſeparationem ægrè ferente & eam diſijcere & diſſoluere adnitente, vt idem Wad: Obſeru: ad annum 1449. n. 20. refert inquiens. *Miniſter Gen: ægrè ferebat ipſe & Miniſtri Prou: à ſe pedetentim diuelli numeroſam Principibus, charam populo, acceptabilē & multis titulis honorificam familiam. Nihil ergo intentatum reliquerunt, nihil non excogitarunt, vt ſibi eo ſubiectio-*

iectionis & unionis glutino compaginarent: quo non tam rescissum à corpore membrum, quàm eiusdem pars intima, & capiti inhaerens aestimaretur. In Bullam itaq; Eugenianam separationis conspicuam, originem vmodis omnibus inuehuntur, & conantur labefactare, Inde facilior videbatur conatus & titulus speciosior, quod plerique ex ipsa familia id clam appeterent, & secreti suggestionibus hos ad aggrediendum vrgerent. vocat Wadingus membrum non corpus, ob limitatam confirmationem & non ob regularem iurisdictionem.

7. Vlterius hoc totum patet de Angelo Serpetri Ministro Gen: vt claré ostendimus Art: 14. n. 25. tum etiam de Jacobo Bussolino à Mozanica Min: Gen: vt retulimus Art: 15. n. 1. & vlterius. Tum deniq; patet de Jacobo Sarzuela Min: Gen: propter hanc diuisionem seu separationem totalem, filialem Ord: Obser: à ferendis suffragijs pro Ministro Gen: Con: in Capitulo Gen: Romae in Conuentu Aracaelitano celebrato excludente, vt diximus Art: 15. n. 7. & n. 8. Patet deniq; de Francisco de Ruuere, pro tunc Ministro Gen: Con: vt videre est. Art: 15. n. 16. Atq; de eodem magis patet post Generalatum & Cardinalatum ad Sedem Petri assumpto & Sixto IV. nominato, quam totis Viribus aduersabatur huic separationi: vt videre licet cit: Art: n. 20. & caeteris. Id ipsum patet ex querela Raynaldi Gratiani de Cotignola, quam retulimus Art: 16. n. 17. Imò ipsamet Leonina quae incipit. *Omnipotens Deus.* hanc duorum corporum à se inuicem diuisorum distinctionem fatetur, dum asserit Ministrum Gen: Con: nudam tantum Vicarij Gen: familiae confirmationem exercuisse, nec quidquam iudicialiter & auctoritatiuè circa fratres tunc de familia nuncupatos exercere potuisse; Hoc idem fatetur Pius II. ante tempora Leonis X. anno 1464. hanc diuisionem & totalem separationem exprimens his praecisis. *Quamuis non Ministri sed Vicarij nuncupantur, in nomine tantum non autem re, differunt à Ministris.* Sed de hoc latiùs diximus Art: 15. n. 15.

8. Ex quibus omnibus adductis luculenter patet, quòd familia Obseruantina ante tempora Leonis X. sub suis Vicarijs Gen: sic à Min: Con: diuisa in suae multitudinis corpore separato in regimine, potestate, auctoritate, & obseruantia nihilo magis specta-

ſpectabat ad corpus Min: Con: ſub ſuo Miniſtro Gen: militantium: quàm hodie ſpectant Minores Obſer: ad Minores Con: hodiernos. His dumtaxat exceptis, ſcilicet vmbratili dependentia per confirmationem Vicariorũ familiæ expreſſa à Miniſtris Gen: Con: exercita, & non à Regula S. F., ſed à lege Pontificia circumſcripta, ac à libera voluntate Miniſtri Gen: Con: præter Regulam ſubducta: tum etiam Viſitatione reuerentiali potiùs politica & putatiua, ad recognitionem vnius Miniſtri Gen:, tanquam capitis S. Franciſcum repræſentantis, & per Regulam eius legitimi Succeſſoris: ſed præter Regulam nullam iudicialem & auctoritatiuam in fratres de familia poteſtatem exercere valentis. Patet hoc in Chriſtophoro Numaio de Foroliuio: qui ex Rodul: pag: 199. fuit Vicarius Gen: vltimus à Concil: Conſtant: & Eugeniana, & primus Gen: Miniſter Fratrum de familia tempore Leonis X; Dum erat per Vicarios & Diſcretos electus Vicarius Gen: vltimus, in nullo diuerſam & differentem poteſtatem habuit, ab ea, quâ functus eſt, dum ex diſpenſatione Pontificia per Miniſtros & Cuſtodes, fuit primus Gen: Min: ab eadem familia electus: & iſti vocales, qui eum primum Miniſtrum Gen: per Leoninam elegerunt, non aliam poteſtatem, ſed eandem habuerunt, quam illi, qui eum iuxta Eugenianam, vltimum Vicarium Gen: elegerunt.

9. Nec iuuat dicere quòd Chriſtophorus Numaius de Foroliuio ſecundùm Leoninam electus, Min: Gen: habuerit aliam diuerſam, & differentem poteſtatem ab ea, quam habuit, dum erat vltimus Vicarius Gen: ſecundùm Eugenianam electus: Nã habuit poteſtatem Miniſteriatûs à Miniſtris Gen: Con: auctoritate Pontificia in ſe translatam, quam dum erat Vicarius Gen: vltimus non habuit; Sic etiam vocales eum primum Miniſtrum eligentes, & mediante electione per Leoninam, hanc ei poteſtatem conferre valentes, aliam poteſtatem habuerunt ab illa, quâ Capitulares vltimum Vicarium eligentes, mediante electione per Eugeniniã, Miniſteriatûs poteſtatem ei conferre non valuerunt. Sed hæc trãſnominatio in re, importat nomen pro nomine sũptũ: Scilicet Miniſtri pro Vicario: tunc enim in re & in facto poteſtas

stas Ministeriatûs, à Ministris Gen: Con: auctoritate Pontificia fuisset translata, in Christophorum Numaium de Foroliuio, primum Ministrum Gen: Obser: si omnia quæ continentur in lege Leonina, iustificata fuissent, & fine suo non frustratâ: nimirum si ei omnes fratres Minores, tanquam capiti & S. F. Successori, in omnibus secundùm Regulam obediuissent: vel ipsi, saltim illâ vmbratili præter Regulam dependentiâ adhæsissent, quâ ante Leoninam fratres de familia, quò ad confirmationem & visitationem, licet diminute Ministris Gen: Con: adhæserunt. Si demum omnes Reformationes, tunc præsentes, quam postea subsequentes, eum pro capite agnouissent. Si deinde vera Vnio totius Ordinis Min: sub eo tanquam vnico capite coaluisset. Si obseruantia pura semper in Ord: filialiali Obseru: absq; Priuilegijs Apost: bona temporalia concernentibus viguisset. Si demùm nulla reformatio ratione Obseruantiæ in puritate Regu: relaxatæ, ab eodem Ord: emanasset. Sed nihil horum factum est, vt Articulis præc: ostendimus: proinde Ministeriatûs potestas vniuersalis (in qua residet vera S. F. successio quò ad rem) non est à Ministris primitiuis tum Generalibus, tum Prou: Min: Con: in primum Ministrum Gen: Obseru: translata, nec consequenter in eius Successores. Tantùm enim per Leoninam vmbratilis illa iurisdictio, Visitationis & confirmationis, tum putatiua dependentia à Ministris Gen: Con: est subtracta: & nomen Ministri commutatum in nomen Magistri, tum Vicarij in nomen Ministri & absolutam diuisionem, etiam quò ad confirmationem & visitationem Ordo filialis Obser: consecutus est, & puram nomenclaturam Ministri de Vicario sortitus, in pura tamen sua anteriori Vicariatûs potestate remansit inuariatus, primus Minister Ord: Obseru: in qua erat vltimus Vicarius Gen: electus, nactus dumtaxat per Leoninam puram transnominationem, re ipsa nec minimùm immutata: ad eum modum quem determinauit Pius II. vt diximus Art: 15. n. 15. & Clemens VII. vt diximus Art: 39. n. 7.

10. Ex dictis igitur facilè quiuis cognoscere poterit, quis sit durationis naturalis, & cætus à S. F. immediatè instituti Ministrorum Gen:, in officio Generalatûs à S. F. sibi succedentium, legiti-

legitimus tàm naturalis: ratione durationis, seu hæreditarius, quã moralis Successor, scilicet an Minister Gen: Con: an Minister Gen: Ord: filialis Obser: Equidem anno 1517. vterq; præfectus Gen: tàm nouo cognomine Magistri donatus Min: Con: Generalis, quam nouiter auctoritate Põtificia de Vicario Minister Gen: electus Ord: Obser: successit suis antecessoribus Primus Generalis Magister Min: Con: Ministris Gen: Con: antecedentibus, & primus Gen: Minister Obser: suis Vicarijs antecedentibus, qui cùm successerit illis Vicarijs Gen: qui habebant parem & independentem potestatem in suum cætum Obser: Sicut Ministri Gen: Min: Con. in suum cætum à prædicto iam per Eugenianam separatum, vt satis ostensum est. Sic decretum fuisse per Cardinales auctoritate Pontificia refert Rodul: pag: 200. b. manifestè ergo deducitur quòd non successerit antecedentibus Ministris Gen: Con: in Generalatu S F. succedentibus, à quibus ipsi Vicarij cum suo cætu iam erant diuisi, & separati: nec secundùm Regulam eis obedientes, sed in separato corpore cum suo cætu persistentes: quare Minister Gen: Obser: non potest dici durationis naturalis & cætus à S. F. immediatè instituti, Min: Generalium in Officio Generalatûs à S. F. sibi succedentium, legitimus naturalis & hæreditarius Successor: nisi dumtaxat Moralis, ratione Regulæ & Obseruantiæ professæ à S F. institutæ, sed non ratione cætus, in duratione à confirmatione Regulæ Innocentianæ anno 1209 immediatè à S. F. instituti, sed ratione cætus reformati in duratione per Paulutium Trincium anno 1368. inchoati, & per Concil: Constant: anno 1415. partialiter diuisi & per Eugenium IV. anno 1446. vniuersaliter separati: tandem primùm in absoluta & formata Religione anno 1517. à Leone X. instituti. Solus ergo Minister Gen: Min. Con: est primò primus verus & legitimus Successor durationis naturalis, & cætus à S. F. anno 1209. immediatè instituti: quo anno filialis Ordo Obseru: tunc fuit in esse Obiectiuo & possibilis. Variatio autem illa accidentalis sub Leone X. innouata, nec quidquam læsit Statum primitiuum essentialem, nec primiceriam durationis successionem Ministri Gen: Con: quia ipsa Suprema Pontificis potestas non minùs

quàm

quàm Diuina, impossibilitate & contradictionis repagulo impedita, & restricta: naturalem cursum successionis iam euolutum, immutare non potuit: vt demonstrauimus Art: 30. n. 23.

11. Et dato non tamen concesso quòd Ordo Obser: auctoritate Pontificia hanc suorum Ministrorum Gen: successionem translaticiam, non naturalem sed moralem, post antiquos Ministros Gen: Con: sibi naturaliter & moraliter succedentes sortitus fuisset: quia tamen iam aliud corpus sub suis Vicarijs præferebat separatum, à Corpore Min: Con: sub Ministris Gen: constituto: Sola vmbraticâ illâ confirmationis, & visitationis iurisdictione, filiali cætui connexo. Sequitur hanc successionem non fluere per naturalem durationis originem, & directum descensum, sed tantùm per moralem & imputatiuum, ratione eiusdem Regulæ & obseruantiæ professæ, per fauorem Pontificiū sibi impertitum, & adoptatum: non aliter quàm filij adoptati, vel arrogati: qui licet cum filijs naturali origine directè descendentibus, ijsdem gaudeant familiæ insignibus, & prærogatiuis: eo tamen indelebili charactere intercedente, ac eos distinguente: vt originales paterno ex sinu geniti, iure naturali Maiorum suorum sint Successores, & hæredes: adoptati autem seu arrogati, collateraliter & forinsecùs venientes: nonnisi quæsito adoptionis, vel arrogationis iure, per fauorem & indulgentiam dumtaxat prioribus coæquantur, & gratiosè non naturaliter in duratione, nec originaliter in cætu instituto, seu primogenito, pares & æquales declarãtur.

12. Hinc nugatoria dicacitate Petrus Marchantius Obser: pag: 51. næniatur dicens. *Ratio verò principalis huiusmodi successionis non solùm sumenda est à facto Pontificis & velut fauore Apostolico, sed quia solus Generalis Minister: qui Fratres Minores Regularis Obser: cum congregationibus intra Regularem Obser: reformatis gubernat, continua & non interrupta serie à S. F. descendit, sicut & fratres sui continua hæreditate obseruantiæ & non interrupta, à tempore conditæ Regulæ vsq; ad præsens tempus perseuerarunt. Ita latè docet Leo X. in Decretali quæ incipit. Licet alias statueramus.* Sed asserere successionem & descensum à S. F. non interruptum, non esse sumendum solùm à fauore Pontificio, & pro hoc asserto probando, fauorem Pontificium

 solùm

ſolum adducere, eſt per id concluſionem probare, quod ſolùm concluſio contendit reprobare. Digna certè Marchantino cerebro tanquam Sophiſticum aſſyſtaton, ſibi repugnans argumentatio; Succeſſionem Miniſtrorum Gen: Obſeru: & deſcenſum à S. F. non eſſe probandum, per ſolum Pontificium fauorem, & auctoritatem: & probationem fieri per ſolum Pontificium fauorem & auctoritatem. Sed eſto Miniſtri Gen: Obſeru: non ex ſolo fauore Pontificio ſucceſſionem ſuam & deſcenſum à S. F. habeant, tamen nullam ſucceſſionem & deſcenſum à S.F. oſtendi poſſunt habere, præter ſucceſſionem moralem, quæ debetur filiali Ordini Obſeru: ratione eiusdem Regulæ & obſeruantiæ profeſſæ: pariter enim Miniſter Gen: Obſeru: ac Miniſter Gen: Capucinus, vterq; ex Vicarijs Gen: Miniſter Gen: ſunt veri & legitimi S. F. Succeſſores, prout de Miniſtro Obſeru: Leo X. in cit: Bulla determinat, & Miniſtro Gen: Capucino Vrbanus VIII. in Bulla quæ incipit. *Saluatoris.* hoc tamen de vtroq; intelligi non poteſt, ſecundùm durationem naturalem cætus à S. F. immediatè inſtituti, vt de Capucinis determinat Paulus V. in Bulla 54. quæ incipit. *Eccleſiæ militantis.* his verbis. *Quamuis tempore S. F. inſtituti non fuerint.* Sed hoc intelligi debet in ſenſu morali, dumtaxat, ratione eiusdem Regulæ à S. F. inſtitutæ; & ratione Obſeruantiæ profeſſæ, ita, vt per præfatas Bullas non intendatur naturalis durationis cætus, à S. F. immediatè inſtitutus, & vſq; ad præſens non interrupto fluxu ſuccedens, ſed illud tantùm oſtenditur quod determinauit Clemens VIII. in Bulla 92. quæ incipit. *Ex iniuncto.* de Reformatis, quòd non debeant dici noui. *quia non ſunt obſeruatores nouæ Regulæ.* licet etiam tempore S. F. inſtituti non fuerint, quod omnibus commune eſt Reformatis, tàm Obſeruantinis, quàm Capucinis, & à Strictiori Obſeru: nuncupatis.

13. Non enim primus poſt S. F. Generalis Min: electus anno 1227, vt diximus Art: 4. n. 7, neq; ſecundus electus anno 1230. vt ibidem n. 12. diximus, neq; tertius electus anno 1239. vt n. 14. retulimus. & ſic de alijs Miniſtris Gen: diſcurrendum; poterat eſſe de vnoquoq; Ordine præfatorum Reform: quia tunc nullus eorum in rerum natura fuit procreatus, & inſtitutus, Ordo

enim

enim Obseru: primùm inchoatus est à Paulutio Trincio 1368. vt probauimus Art: 12. n. 1. & partialiter diuisus in Concil: Constant: anno 1415. vt probauimus Art: 13. n. 6. Tandem vniuersaliter à Matrice Religione Min: Con: ab Eugenio IV. anno 1446. separatus, vt probauimus Art: 14. n. 19: tandem in formata & absoluta Religione totaliter institutus & diuisus extitit, à Leone X. anno 1517. vt probauimus Art: 16. n. 22. A quo sic diuiso instituto & separato, ac reformato, prodijt Ordo Capuc:, anno 1525. vt probauimus Art: 39. n. 3: postea ab eodem Ordine Obser: prodierunt Reformati Strictioris Obser: anno 1532. vt eodem Art: 39. n. 4. diximus: Quomodo ergo horum Ordinum Reform: Ministri Gen: possunt immediatè succedere in naturali duratione S. Francisco: cùm eorum Ordines Reformati non erant tunc in rerum natura per reformationem inchoati: qui enim non est, succedere alteri non potest, quia succedere sequitur ad esse. Ergo si non ex fauore Pontificio, vt March: vult, neq; ex naturalis durationis origine, & descensu, vt veritas historica ostendit Ministri Gen: Ord: Obser: sunt veri successores in Officio Generalatûs S. F., sequitur quòd tantùm sunt legitimi Successores moraliter ratione Regulæ: non autem durationis, & cætûs à S. F. immediatè instituti. Sed solùm ad eum modum, quem de Capucinis pronuntiauit Paulus V. & de Reformatis Clemens VIII. vt vidimus supra. de quo diximus etiam Art: 30. n. 24.

14. Nulla pro certo congregatio reformata, in Ordine Franc: à S. F. immediatè fuit instituta; pariter sicut à Christo & Apostolis in Ecclesia primitiua, nullus ex his in præsentiarum existentibus, Religiosus Ordo immediatè fuit institutus, qui eandem primitiuam Ecclesiam, Apostolorum vitam, & viuendi formam imitando reformasset & restituisset, sua Reformatione innouatam: tunc enim Ecclesia primitiua seu cætus fidelium primigeniorum, cum suis Prælatis Christo & Apostolis immediatè succedentibus, in proprio fonte & primo feruore viuens, substantialia & accidentalia seruans, non habuit opus vt in eo Religiosi Ordines instituerentur, & formam vitæ Apostolicæ nunc vigentem & florentem reassumerent, reformarent, ac restituerent. Nondum enim Apostolica viuendi norma fuerat remissa, & ideò in

in nullo imminebat reformanda, nisi postquam ex cognata mortalium vicissitudine, deferuescente primi Spiritus ardore, in accidentalibus remissionem, immediatè succedens Ecclesia fuisset experta; tunc in substantialibus supra firmam petram, semper immota, & inuariata, in accidentalibus autem remissa, per superuenientes Religiosos Ordines, reformationem admisit.

15. Et primò in orientali plaga per Basilium magnum anno 362. secundùm Baronium, vel secundùm Barbosam Juris Eccl: lib: 1. cap: 41. anno 369. Secundò per D. August: in Africæ partibus anno 390. ex cit: Barb: Tertiò in Ecclesia occidentali, per B. Benedictum Abbatem, anno 500. iuxta cit: Barb: Hi ergo præfati Fundatores per Ordines Religiosos à se institutos, inceperunt Ecclesiam adinstar primitiuæ reformare, eandem formam viuendi reassumendo, & tamen nullus sanæ mentis dicere potest, Ord: Basilianum, Augustinianum, & Benedictinum, in primo sæculo cum primitiua Ecclesia simul incepisse, & immediatè Christo & Apostolis successisse, alioquin successissent antequam fuissent, & præextitissent antequam incepissent, quod est ridiculum. Memorati ergo Ordines, primitiuæ Ecclesiæ Statum viuendi, per reformationem inducentes: eiusdemq; formam obseruandi reassumentes, modò primùm sæculis, quarto & quinto inceperunt, & cum suis Patriarchis exorti sunt: quâ igitur veritate potest dici, quòd primo sæculo Christo & Apostolis, immediatè successerunt, dum adhuc eo tempore in rerum natura cum suis institutoribus non extiterunt: Hoc nullatenùs dici potest, nisi ratione eiusdem normæ seu Regulæ viuendi, & obseruantiæ ad imitationem Christi, & Apostolorum in primitiua Ecclesia viuentium: per innouatum institutum professæ, immediatè dicantur successisse, & mediante Ecclesia Matrice, in filiali corpore à latere substitisse.

16. Sic discurrendum venit de quarto Ordine Franciscano, sub propria quarta Regula anno 1209. inchoato, vt diximus Art: 1. De quo Jacobus de Vitriaco S. R. E. C. apud Marchan: pag: 13. hæc refert. *Addidit Dominus in diebus istis quartam Religionis institutionem, Ordinis decorem & Regulæ sanctitatem, si tamen Ecclesiæ primitiuæ Statum & Ordinem diligenter adtendamus, non tàm nouam addidit Regulam, quàm veterem renouauit, releuauit iacentem & penè mortuam*

suscitauit Religionem. Licet ergo Ordo Franc: suo tempore, primitiuam Ecclesiam in cætu Minorum sic renouauit & reformauit: tamen quis desipiens asseret Ordinem Franc: Christo & Apostolis, tum primitiuæ Ecclesiæ, primo sæculo immediatè successisse; quem constat mille & ampliùs annis post Christum & Apostolos incepisse, & non potiùs affirmabit Ordinem Franciscanum, Christi & Apostolorum viuendi formam renouantem, & in seipso reformantem, mediante dumtaxat Ecclesia ex qua pullulauit, Christo & Apostolis successisse: & nonnisi ratione eiusdem Normæ viuendi, & vitæ, Regulæ, ad imitationem Christi, & Apostolorum professæ; Ecclesiæ primitiuæ adhæsisse, & mediante Ecclesia Matrice in filiali corpore à latere substitisse. Pariter quoq; de filiali Ord: Obseru: respectu Matricis & primiceriæ Min: Con: Religionis, extat discurrendum.

17. Id ipsum de eodem Ord: filiali Obser: Bulla Leonis X. *Ite & vos in vineam* fatendo enuntiat, dum eum *Nouissimè diebus istis quasi hora vltima* apparuisse: & se nouissimum prioribus æquasse, ac tandem auctoritate Pontificia, de Vicarijs Ministros, de Discretis Custodes, eidem ordinasse, & instituisse affirmat. Quæ reuera omnia à Leone X. filiali Ord: Obser: attributa & adscripta: Matrici Religioni Min: Con: nullatenus competere & adaptari possunt. Inter quam & filialem Ord: Obseru: iuxta Flauiũ Cherub: in Compend: Bullarij in prœmio cit: Bullæ Pontifex differentiam ponit astruens. *Primò mane oriente iam sole.* à S. Franc: iacta fundamenta, primos (id est Min: Con:) accepisse, postea ruinam minitantia, à S. Bonau: horâ quasi tertiâ fuisse reparata. Tandem horâ sextâ aliqui zelotes de Communitate prodeuntes à Concil: Vien: pro seipsis Decretalem. *Exiui de Paradiso.* impetrarunt, quam in paucis intra communitatem Obseruantes, breui disparuerunt, donec feliciori progressu, horâ quasi nonâ: Suscitauit Dominus spiritum adolescentis Paulutij Laici paucorum fratrum, qui signifero Nominis Jesu Bernardino ductore & Præside, emortuam & prorsus defunctam, priorem reformationem viuificarunt, & suscitarunt. Tandem horâ nouissimâ seu duodecimâ, hæc reformatio nouiter post alias priores extinctas introducta, & iam vt supra satis ostensum est à Matrice Relig: Min: Con: di-

uiſa & ſeparata, fauore Leonis X. in abſolutam & formatam anno 1517. tranſiuit Religionem: cui idem Pontifex ex indulto Apoſt: electionem Min: Gen: conceſſit, in noua forma & modo inſtitutam. Fauores & gratias nouas Art: 39. ſpecificatas impertijt. In qua electione primus Min: Gen: de Vicario Gen: fuit electus Chriſtophorus de Foroliuio, in quem voluit Pontifex transferri titulum Miniſtri, cùm auctoritate vero Succeſſori S. F. ex Regula debita certis conditionibus præfixis: quæ cùm non fuerint ſeruatæ, vt cit: Art: & Art: 40. vidimus, ipſe ſub titulo Miniſtri cum ſuo Ord: remanſit, in eo Statu, in quo fuit Ordo filialis Obſer: ſub Vicarijs Gen: antea conſtitutus.

18. Sed dato quòd ſeruatis conditionibus ſortita fuiſſet effectum hæc Pontificis tranſlatio, tamen hac tranſlatiua auctoritate inueſtitus Min: Gen: Obſer: tantùm inſtitueretur verus & legitimus S. F. Succeſſor moraliter, non autem ratione electionum & Miniſtrorum Gen: in phyſica duratione præcedentium, & immediatè à S. F. deſcendentium. Ita enim impoſſibile eſt, vt primus Min: Gen: Obſeru: illis electionibus & Miniſtris ſuccederet, quas & quos Ordo ſuus nunquam antea habuit, neq; exercuit, ſed ab eis excluſus fuit. Sicut impoſſibile eſt, vt Miniſtri Gen: Min: Con: dicātur nunquam ſucceſſiſſe Miniſtris Gen: primitiuis, cùm ſucceſſerint iuxta doctrinam Scoti, adductam Art: 30. n. 23. vbi docet, omne præteritum eſſe ſimpliciter neceſſarium. Et apud Volater: lib: 6. Etic: cap: 2. ait Agatho. *Re namq; ſola hac ipſe priuatur Deus, vt facta minimè infecta poſſit reddere.* vnde verſus. *Quod ſemel eſt factum, fieri infectum haud queat vnquam.* Hinc cùm ante tempora Leonis X. Omnes Miniſtri Gen: fuerunt Min: Con: à Conuentualibus electi & nullus filialis Ord: Obſer: Ergo ita impoſſibile eſt illos facere infectos, ſicut iſtos fuiſſe factos.

19. Hoc totum æquâ lance perpendit Bouerius Capucinus qui rectè priora poſterioribus concatenans, & ſucceſſibus determinans de forma habitus S. F. Demonſtratione X. n. 8. expendens ſenſum illorum verborum Bullæ 54. Pauli V. de Capucinis prolatorum. *Quamuis tempore S. F. inſtituti non fuerint* inquit. *Is namq; horum verborum ſenſus eſt, quòd Capucinorum Congregatio (quatenùs*

tenùs

tenùs Religionis Corpus est, à Conuentualium & Obseruantium Corporibus distinctum) tempore S. F. instituta non fuerit, quemadmodum nec ipse PP. Obseruantium Ordo, sicut enim hi è Conuentualium Ordine, qui primus à B. Francisco institutus fuit, per reformationem postea velut rami emersêre: ita & Capucini ex Obseruantium familia, deinde velut noua Ordinis propago exordium sumpserunt. Nec tamen quisquam inficiari potest vtrumq;, tàm Obseruantium quàm Capucinorum Ordinem à S. Francisco licet non tempore S. Francisci institutum fuisse. Par siquidem in vtroq; ratio militat. Hactenùs non minus chronographicè quàm veridicè Bouerius. Cuius reali & historicæ relationi respondet de Riddere Obser: in suo Speculo Apologet: pag: mihi 49. n. 23. inquiens. *Ita bonus hic Auctor fucum facit ignorantibus, dum veritatem dissimulat & obscurat, nè dicam euertit: aut sane rem vti se habet non intellexit. Esset nè aliquis qui dicere audeat Conuentualium Ordinem, prout ille distinctum ab Ordine Obseruantium Corpus constituit, videlicet quatenùs importat Corpus Ordinis, quod non profitetur Regulam S. Francisci, nisi modificatam Priuilegijs contra altissimam paupertatem: quod redditus annuos & bona immobilia possidet, quod per Magistros Generales & Prouinciales gubernatur, esse à B. Francisco institutum? Hoc sine blasphemia vix arbitror posse affirmari.*

20. Sed per hanc responsionem ipsemet Riddere Obser: non solum ignorantibus fucum facit & veritatem dissimulat, sed etiam vt eam obscuret & euertat, atq; incautos decipiat, glaucoma obijcit oculis imperitorum, & calcar addit studio sua sponte excurrantium: Similis fatuos in sua dementia confirmanti, & vmbram pro corpore venditanti. Simili modo blasphemus posset sic respondere contra Ecclesiam Orthodoxam, ridicula norma Riddere instructus dicendo: Esset nè aliquis qui dicere audeat, modernam Ecclesiam prout illa distinctum Statum a primitiua constituit, videlicet quatenùs importat Corpus, quod non profitetur eam paupertatis conditionem, quam profitebatur primitiua, quod non seruet illud Christi Mat: 10. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam*, quòd possideat tot Dominia tẽporalia, Ducatus, Prouincias, quòd redditus annuos & Bona immobilia teneat sic à Christo fuisse institutam, qui non habuit vbi

caput

caput suum reclinaret, hoc sine blasphemia vix arbitror posse affirmari, maximè de præsentibus Christi Vicarijs, qui cum Petro dicere illud non possunt: *argentum & aurum non est mihi.* Hoc tantum nefas blasphemans, iusto Anathematis fulmine percellitur, & extra gremium Ecclesiæ condignè proijcitur: Ecclesia namq; præsens paupertatem & inopiam primitiuæ accidentalem remisit, & hoc ipso accidenti primitiua à præsenti distinguitur, quæ bona stabilia etiam in particulari tenet, redditus annuos habet, in primitiua autem erant omnibus omnia communia, & distribuebantur prout vnicuiq; opus erat, verùm in essentialibus supra firmam Petram inconcussa præsens, pariter sicut primitiua eadem & identica vsq; nunc persistit: Sic discurrendum etiam est de primicerio Ord: Min: Con: qui licet in modificantibus Voto essentiali paupertatis accidentalibus maneat temperatus, in essentialibus tamen præsens, pariter sicut primitiuus, persistit identicus & inuariatus.

21. Cardinales etiam moderni primitùs à S. Petro secundùm determinationem Eugenij IV. instituti, vt probauimus Art: 28. n. 18. Sunt veri & realiter tales vt fuerunt Apostoli, prout definitum fuit in Concl: Const: contra Art: 13. Joan: Hus, referente Emsmo S. R. E. C. Brancato de Laurea in suo Epitome Can: V. *Cardinalis* in hæc verba. *Cardinales sunt veri & realiter tales, licet non viuant vt Apostoli, & non obseruent omnia mandata vel consilia Domini?* Pari passu Ordo Prædicat: in eadem paupertate sicut & Ordo Min: fundatus, nunc etiam in accidentalibus paupertatis in cõmuni modificationibus pariter sicut & primicerius Min. Con: temperatus, vt retulimus: Art: 37. n. 13. & tamen non dicitur à suo primitiuo diuersus, & ab alio quàm à S. Dominico fundatus. Sic discurrendum de reliquis Ord: Reg: per Concil: Trid: in communi paupertate dispensatis, quibus habere bona stabilia in communi, vt dicit Concil: Sess: 25. cap: 3. aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex Priuilegijs Apost: non erat concessum. Vbi Concil: Nomine Constit: intelligit etiam Regulam vt tenet Sanchez, Rodriquez apud Lezanam QQ. Reg: Tom: 2. cap: 1. n. 2. Et nos etiam de hac re diximus Art: 37. n. 15. in fine. Et

tamen

tamen huiusmodi Ordines Reg:cum Priuilegijs Apost: sunt ijdem & ab ijsdem vt erant in rigore paupertatis in communi ante instituti, & sine blasphemia dicuntur in substantia inuariati, nec in essentialibus diminuti. Imò ipsimet Obser: reformati, fuerunt dispensati à modificantibus obedientiam, vt probauimus Art: 34. n. 19. & à modificantibus paupertatem, vt ostendimus Art: 40. n. 6. & 7. & tamen dicuntur ijdem & ab eodem Paulutio reformati, & à S. Bernardino cum incremento auctionis ordinati & formati; Cur ergo pari gradu cum recensitis primicerius Ordo Min: Con: incedere non debeat, & absq; blasphemia? vt irrisoriè fabulatur Riddere, à B. Francisco institutus dici non valeat.

22. Decernat Riddere Obser: an istæ essent blasphemiæ necne; Si quis diceret suum Ord: Obser: fuisse à S. Francisco per reformationem institutum Bruliani in loco horroris & vastæ solitudinis anno 1368, pariter si diceret S. Franciscum instituisse eundem Ord: Obser: vt reformatum & ab alio priori prodeuntem, & primum à Leone X. in formata Religione anno 1517. institutum, & non potiùs Riuotorti inchoatum, & ab Innocentio III. anno 1209. confirmatum. Item si diceret Ordinem Obser: à S. Francisco fuisse institutum non sub nomine Ministrorum sed Vicariorum, adinstar Vicariatûs Heliæ institutorum, & sic erroneè assereret eiusmodi institutum Vicariorum fuisse Helianorum & non Franciscanorum. Hic talis non minùs falsum effutiret, quàm ille qui diceret Ecclesiam Orthodoxam nō fuisse fundatam à Christo, & Ordinem primicerium Min: Con: à S. Francisco, propter bona stabilia & redditus annuos quos nunc habent, & à principio suæ institutionis non habuerunt, tàm Ecclesia sub Nomine Papæ quàm Ordo Minorum de quo etiam diximus Art: 37. n. 12. Deinde Art: 34. n. 14. probauimus Min: Con: seruare Regulam S. F. ad literam, reuoluendus est totus cit: Articulus. Vel ergo præfatas responsiones tenetur admittere Jacobus de Riddere Obseru: vel suam fuco illitam omnium sensu cunctos permittat cum cachinno deridere: & sic de ipso illud verificabitur. *Spectatum admissi risum teneatis amici.*

ARTICVLVS XLII.

An sigillum antiquum totius Ord: Min: auctoritate Pontificia à Matrice Relig: Min: Con: fuerit ablatum, & filiali Ordini Obseru: collatum.

1. PEtrus March: Obser: Regulæ S. F. expositor, & sub hac speciosa expositione Reg:, omnis decoramenti Min:Con: contra Regulam expoliator, non absimilis Euripidi Poetæ tragico, qui scripsit 75. fabulas, ex quibus quinq; tantum victoriam meruère. Marchantius scripsit Myriades fabularum in Conuentuales debacchatus, sub specie expos: Reg: S. F. eò Euripide infelicior, quò in omnib⁹ mendacior, nullâ falsatæ veritatis victoriâ promeruit. Inter cæteras figmentorum suorum Conuentualium Statum deuenustantium fabulas, hanc quoq; adiungit pag: 51. citans Bullam Leonis X. quæ incipit. *Omnipotens Deus.* Datam Romæ anno 1517. inquit. *Quo etiam anno Sigillum antiquum totius Ord: Ministro Gen: Obseruantiæ, vti legitimo Successori S. F. est assignatum.* quam assignationem auctoritate Pontificia fuisse factam repetit pag: 530. inquiens. *Illis* (supple Obseruantinis) *Sigillum antiquum totius Ord: à Summo Pontifice consignatum est.* Jam Art: præc: explicauimus, in quo sensu verus Successor debeat dici S. F. Minister Gen: Obser: pariter & Capucinus: nunc superest discutere, an auctoritate Pontificia à Matrice Religione Min: Con: ablatum fuerit, antiquum & originarium Sigillum Ord: Min: vt affirmat cit: March:, cuius asserto vti & cæteris eius Mythologijs, sufficienter satisfieret, si eius simplex assertio tolleretur simplici negatione dicendo: quod asseris Sigillum antiquum totius Ord: Min: auctoritate Pontificia, à Conuentualibus fuisse ablatum, *NEGO*, tu proba & verba Bullæ produc Pontificiæ, tunc vinctas do manus: sed sicut in cæteris sui Ordinis ad gratiam, non ad profectum scribens, se exhibuit laudatorem, ita Conuentualibus in omnibus se præstitit vituperonem.

2. Tale ergo Sigillum Magistratum absolutum, & supremum

mum in toto Ordine dominium designans, nunquam à Matrice Conuentualium Religione auctoritate Pontificia fuit ereptum, & Ordini filiali Obser: collatum: aliàs quiuis Marchantij latero ostendat, vel vnum paragraphum Bullæ Pontificiæ sigillum nominans, à primicerio Ordine Con: auferendum: alioquin à falsitate non liberabitur Marcha: Imò si consequenter ratiocinari velimus, tale sigillum Ministri Gen: primicerium penes Religionem matricem remansit, penes quam etiam remanserunt antiqua Sigilla Ministrorum Prou: vt ostendimus Art: 30. n. 15. & n. 21. Hoc satis constat ex Sigillo quod à tempore Diuisionis Leoninæ, habet filialis Ordo Obser: hoc enim non est antiquum totius Ord: Min: Sigillum, quo ante diuisionem Matrix Religio Min: Con: vtebatur. In antiquo enim Sigillo peripheriæ non inscribebantur hæc verba. *Sigillum Minis: Gen: totius Ord: Min:* sed illa quæ retulimus Art: 39. n. 21.

3. Rodericus etiam Obseru. tom: 1. q. 4. art: 2. idem sustinens inquit. *Et in quadam Bulla vnionis, hoc primùm inter alia sancitum est, quòd Ordinis sigillum adimeretur Conuentualibus & omninò Obseruantinis traderetur.* Sed Roder: alioquin doctus, in hoc Art: præcipuè, voluit ambulare in magnis & in mirabilibus super se: confusè citans quandam Bullam vnionis, in qua sigillum à Conuentualibus auferri statuitur: quæ in rerum natura non inuenitur. Similis illi Scriptori quem refert Melchior Canus: cum asserens illos Auctores citasse quos nulla vnquam habuit ætas, eas res olim gestas scripsisse, quas nulli homines ediderunt. Idem sine digno testimonio affirmat Wad: Obser: ad annum 1455. n. 74. hæc formalia scribens. *Vicerunt Obseruantes, obtinueruntq́ sub Leone Pontifice Ordinis Sigillum, & multitudine fratrum & amplitudine regiminis superarunt.* Sed hæ næniæ merè gratis ab his Auctoribus Obseru: finguntur, & nulla ratione probantur, qui huiusmodi somnia, de proprio philautiæ fonte depromunt, & sui Ordinis Reform: phylacteria dilatant, atq; suũ domesticũ fumum, lucidiorem Conuentualiũ igni iactabundè prædicant vanitatem obseruantes: Hæc omnia ad eum modum probantes, quò præfatus Scriptor, ex relatione Melchioris Cani, solitus erat sua scripta probare.

Sed reuera omnes maximè Reformati primicerijs Min: Con: non deberent esse gratis ingrati: sed eis velut S. F. primogenitis, & suis siue immediatis siue mediatis progenitoribus, & Parentibus, filialem præcipuam honoris beneuolentiam exhibere: & pro tantis beneficijs de Paternis bonis in eos deuolutis, specialem gratitudinem vti Patribus filij rependere. Prudentissimè interroganti, an colendi essent Parentes, respondit Philosophus. *Qui de hoc dubitat institutione non eget, fuste eget.* Qui enim Parentes non veneratur sed cauillatur, hunc neq; consuetudo, neq; reuerentia, neq; amor, neq; pudor commouet; sed in eo consuetudo feritati, reuerentia immanitati, amor inhumanitati, pudor ingratitudini respondet, & tales sunt sicut virtuti, ita Parentib⁹ imparentes.

4. Idem Roder: Obser: loco cit: sed peiùs & sui oblitus ait. *Quòd cùm Religio Fratrum Min: & eius Regula sit quædam diuina plantatio, non potuit ipsa Diuina Maiestas pati, vt ipse Conuentualis Status, contra Regulam & viuendi Normam P. N. Francisci inductus, ita perseueraret: vt in eo Sigillum totius Ordinis contineretur, & Generalis ipsius Conuentualitatis, P. N. Franciscum repræsentaret: cuius ipse minimè fuit institutor & auctor. Et sic Diuino Numine patrocinante, Obseruantium Fratrum Status fuit procreatus.* Sed hæc sententia suo auctore est indigna, sibiq; contradictoria. Si enim Conuentualium Status contra Regulam S. F. & non à S. Francisco auctore est institutus: & ideo D. Maiestas non potuit pati, vt in eo contineretur Sigillum Ord:, & ipse Minister Gen: repræsentaret S. P. N. Franciscum: cur tàm citò sui est oblitus Rodericus, qui paulò ante excelsis præconijs, Conuentualium Statum adeò sublimauit, vt eos cum suo Ordine filiali, in eodem gradu collocare non dubitauerit, eodem Tomo I. Q. 2. Art: 3. inquiens. *Ita enim ædificant Ecclesiam Dei Conuentuales boni, & Obseruantes vestibus suis honestis induti, librorum codices in lucem proferentes, & literarum studia sectantes, & necessitate vrgente semper equitantes, contra hæreses disputantes, peccatores prædicationibus suis à peccato abstrahentes, confessionibus auricularibus insistentes, agonizantibus in articulo mortis auxiliantes, & in suis infirmitatibus consolantes: ipsos opportunè inuisendo; Sicut ædificant boni Capucini, Amadei, Clareni, Alcantaristæ, Paschalitæ; nunquam*

equi-

equitantes, & alij vniuersa studia literarum repudiantes, zelo sanctopaupertatis semper addicti, Orationi & contemplationi, & laudibus diuinis insistendo, vitam solitariam in desertis domibus agendo.

5. Deinde si Status Min: Con: contra Regulam S. F. fuisset institutus, & inductus, non verò à S. Francisco constitutus, & ideò Sigillo Ordinis & S. F. repræsentatione redditus indignus: hæc tanta ignominia & crimen Ordini Min: Con: irrogata, proueniret & inspergeretur a Priuilegijs Apostolicis, eidem modificantia Votum paupertatis temperantibus; quod falsum ostendimus Art: 9. n. 32. & Art: 26. n. 6. Sed Rodericus nunc sui oblitum apertè se ostendit: dum Perrinum perperam vt ipse, eadem de Statu Conuentualium velut extra intentionem, & institutum S. F., iuxta Priuilegia Apost: viuentium sentientem, Tom: 3. Q. 30. Art: 4. ita perstringit verbatim, vt retulimus Art: 33. n. 3. qui in fine eiusdem Art: acerrimus defensor Statûs Conuentualium effectus; eorum causam agens, sic contra Reform: Conuentualium Statum imperitè proscindentes perorat, prout ibidem supra cit: Art: 33. n. 4. ostendimus. Demum vltra præfatam apotheosim, pro Statûs Min: Con: dignitate, & securitate declamatam: etiam Tom: 1. Q. 2. Art: 3. nominat primò Conuentuales, postea Obseru: suos, dehinc Discalc: & vltimo Capuc: in fine Articulum sic concludit. *Omnes hi sub instituto & Regula P. N. Francisci militant, Sacram Nostram Religionem non deformando, sed mirifico varietatis ordine informando.* Si igitur ex mente Roder: ita Conuentuales & Obseru: ædificant Ecclesiam Dei, sicut Capucini, & alij Reformati: & si Priuilegia Conuentualium non derogant Regulæ, nè Ecclesia in his quæ ad animæ salutem spectant dicatur errasse, quæ in approbatione alicuius Ordinis Regularis errare non potest. Proinde cum Conuentualibus sit sanctissimè dispensatũ; qui sub instituto & Regula S. F. militant, sicut & cæteri reformati, non deformando sed varietate exornando, & informando Ordinem Min: : quæ omnia cùm palam fateatur locis cit: Roder:, cur nunc sibi repugnans pueriliter contradicat? asserens. *Quòd Status Min: Con: sit, contra Regulam & viuendi Normam S. Francisci inductus, cuius ipse minimè fuit institutor & auctor.* Nam si S. F. non

eſt inſtitutor & auctor Statûs Min: Con:, & ſit contra eius Regulam, & viuendi normam, Ergo Ordo Min: Con: cum cæteris reformatis, non militat ſub inſtituto & Regula S. F., vt nunc concludebat Roder: Ergo non informat Ordinem Min: cum cæteris Reform:, ſed deformat, non ædificat Eccleſiam, ſed deſtruit, & ob id Diuina Maieſtas non eſt paſſa, vt Conuentualium Miniſter Gen: S. F. repræſentaret: & quia hoc totum malum reſultaret ex Priuilegijs Apoſt: Ergo Priuilegia derogant Regulæ. Ergo eam alienant, & diſtrahunt à vera Regula, inſtitituto S. F. conſentanea. Ergo cum Min: Con: non eſt ſanctiſſimè diſpenſatum vt inferebat Roder: cit: quæ omia illata falſa oſtendimus Art: 37. n. 15. Alioquin Eccleſia approbando Statum Min: Con: & eos declarando ſecundùm Priuilegia viuentes, veros filios S. F. vt diximus Art: 3. n. 3. & ſub vera S. F. militantes Regula; erraſſet in ijs quæ ſpectant ad totius Ordinis Min: Con: ſalutem, vt inferebat Roder: quod abſurdum venit reijciendum in ipſum, per ſuam doctrinam ſibi turpiter contradicentem: ac duabus ſellis ſedentem, ſimul ſorbentem & flantem: proinde ineptientem, & an albus vel ater ſit, an leucophæus ſeipſum neſcientem.

6. Præter has contradictiones, euidenter contra Roder: vſq; ad ſenſum deductas; ſupereſt vnica principalis analyticè vt dicitur, à priori præfatam contradictoriam Roderici contra Min: Con: Statum doctrinam elidens: ſic ad hominem directa. Roder: Tom: 1. Q. 26. Art: 1. Suſtinet omnes Prælatos Regul: poſſe diſpenſare, iuſta adueniente cauſa in particulari cum ſuis ſubditis, in omnibus obſeruantijs Regul: non eſſentialibus, exceptis ijs quæ ſunt abſolutè & eſſentialiter Monachatui annexæ: quā propoſitionem dicit eſſe omnium conceſſione receptam, de quo nos diximus ſupra Art: 37. n. 6. & n. 7. Hæc autem abſolutè eſſentialia ſunt tria Vota ſolennia, vnicuiq; Religioſo eſſentialiter, ad ſubſtantiam Religioſæ vitæ neceſſaria: quia vt dicit, *Sine reliquis poteſt conſtare vera Religio, ſine illis autem minimè.* & Art: 2. in fine ait. *Fratres Min: promittentes obſeruare Regulam, non eſſe adſtrictos ratione Voti, niſi tantùm ad tria Vota eſſentialia, ad alia autem quæ non ſunt eſſentialia, ratione præcepti tantùm adſtringuntur.* Et Art: 3. itidem

dem in fine inquit. *Fratres Min: ratione Voti, minimè prohiberi recipere denarios vel pecuniam, non enim omnia contenta in Regula P. N. Francisci obligant ratione Voti.* Et art: 4. ait. *Frequentissimè hactenùs contigit Romanum Pontificem, peculiari ac pia quadam dispensatione, quibusdam Minorum Fratrum concessisse, nè ad aliqua suæ Regulæ præcepta, præterquam ad tria solennia Vota teneantur. Nec tamen ob hanc concessionem ab instituto liberantur & à Minorum Obseruantia ---- Aliter qui iam obtenta præceptorum dispensatione frueretur Priuilegijs, & immunitatibus nobis concessis ---- esset in Statu damnationis, cùm non esset ex familia Minorum.*

7. Ex his ex Roder: relatis, sic contradictionis ipse arguitur auctor. Si essentia Regulæ Fratrum Min: secundùm Roder: consistit tantùm in tribus Votis essentialibus, & non in cæteris essentialia modificantibus: iam Min: Con: cùm profiteantur tria Vota essentialia, imò & alia præcepta reliqua duo essentialia, præter paupertatem modificantia, sequitur secundùm Roder: quòd fratrum Min: Con: Status non sit contra Regulam, & viuendi S. F. formam, sed secundùm essentialem Regulæ normam inductus. Et cùm huius Regulæ essentialis, sit S. F. institutor & auctor, iam Statûs Min: Con: secundùm Roder: S. Franciscus est institutor & auctor, quod ante sibi contradictorius negabat.

8. Hinc etiam soluitur cauillus Sophisticus Marchantij Obs: effictus pag: 534. in hæc verba. *Tria Vota essentialia cùm communia sint omni Religioni, ad essentialem professionem fratris Minoris vt Frater Minor est specificè, non spectare, nisi quatenus per Regulæ præcepta æquipollentia, siue vim præcepti habentia determinata sunt, & velut per differentiã specificã cõtracta, quæ præcepta (maximè quoad Votũ paupertatis) cùm Conuentuales non voueant, in essentiali professione cum fratrib⁹ Ordinis nõ concordant. Nec valet quòd voueant secundùm declarationes Pontificũ, huiusmodi enim declarationes nõ sunt declarationes Regulæ, sed Priuilegia; & potiùs declarationes voluntatis Pontificiæ, in rigore Regulæ dispensantis, quod Pontifex vt Regulæ Approbator, facere potest, imò si velit Regulam cassare & destruere.* Sed vt sui moris est, non probat sed dicit, tria Vota essentialia ad professionem essentialem fratris Minoris vt frater Minor est specificè non spectare, sed Clemens V.

dicit, essentialiter & specificè spectare, vt probauimus Art 37. n. 4. Licet enim tria Vota essentialia Cõmunia sint, tamen F. Minorem vt frater Minor est, ex vi Regulæ à S. F. institutæ, essentialiter & specificè obligant ad sui Obseruantiam: & non ex ratione communi aliarum Regularum: cùm iuxta Clementis V. doctrinam, Regula S. F. non æqualiter obliget Fratrem Minorem, ad reliqua sua præcepta siue formalia, siue Æquipollentia, siue vim præcepti habentia, sicut obligat ad tria essentialia, nam ad hæc essentialiter & substantialiter, ad reliqua verò præcepta extrinsecè & accidentaliter, vel reductiuè, vt probauimus Art:37. n.5. & n. 11. Hinc frater minor sola tria Vota essentialia, ex vi suæ Regulæ seruans, à cæteris ex iusta & pia causa absolutus: essentialiter & specificè, esset frater Minor, vt probauimus cit: Art: n. 5. & 6. Et stante allato nugamento Marchantino, Ecclesia Orthodoxa cum S. Ordine Prædic: in professione essentiali, non concordarent cum suo Statu primitiuo, vt ibidem n. 12. & n. 13. probauimus.

9. Præterea si tria Vota essentialia, ad essentialem professionem fratris Minoris vt Frater Minor est non spectarent, nisi quatenùs per alia præcepta determinata, & velut per differentiã specificam contracta sunt: Soluat ænigma Marchantius; quomodo Ordo filialis Obseru: sit Ordo Minorum, si in duorum Votorum essentialium determinantibus, & ea velut differentiâ specificâ contrahentibus, maneat dispensatus: vt innuimus cit: Art: n. 11. & probauimus Art: 34. n. 19. & Art: 40. n. 6. & n. 7. Nec valet quod dicit. *Huiusmodi declarationes, non sunt declarationes Regulæ sed Priuilegia, & potiùs declarationes voluntatis Pontificiæ.* Sed si declarationes Pontificiæ circa Regulam, non sunt Regulæ, sed Pontificiæ voluntatis declarationes, iam ignorat quid sit Regula, & quæ sit causa eius formalis principalis, quæ fascinatio soluitur per ea, quæ diximus Art: 34. n. 10. Dum enim Pontifex declarat Regulam, non solùm suam intentionem declarat, sed etiam intentionem & valorem Regulæ. cuius valor absolutè consistit & formaliter, ex intentione, & declaratione Pontificis, & restrictè ex intentione & declaratione fundatoris, vt ibidem n. 11. explicauimus.

10. Tan-

10. Tandem non potest esse contra Regulam S. F. & essentialem professionem quod S. Sedes approbat & determinat esse secundùm S. Francisci Regulam & essentialem professionem; Sed Sancta Sedes Statum Min: Con: approbat & determinat, esse secundùm S. F. Regulam & essentialem professionem. Ergo Status Min: Con: non est contra Regulam neq; contra essentialem professionem: Minor probatur per ea quæ diximus Art: 3. n. . & Art: 9. n. 32. & Art: 26. n. 6. S. Sedis enim est quascunq; Regulas approbare, declarare, interpretati, & temperare: nec licet sentire, & dicere contra id, quod sentit & determinat S. Mater Ecclesia. Vnde in præfatis assertis tàm Rodericus quàm Marchan: fuerunt Alumni de Obseru: contra Regulam, & essentialem professionem suam. Nam ex Regula cùm S. Fundatore, etiam ipsi promiserunt obedientiam D. Papæ ac Successoribus eius, & pedibus S. Romanæ Ecclesiæ, id est præceptis & Statutis eius se subiecerunt. Ergo dum Statum Min: Con: quem S. Sedes approbauit, & determinauit esse secundùm Regulam: contradictoriè vt Roder: & secundùm essentialem professionem vt Marcha: oppugnant, asserentes eum esse contra Regulam, & in essentiali professione discordare: proculdubio videntur facere contra professionem suæ Regulæ: & sic efficiuntur alumni de Obseru: contra Regulam, & essentialem suam professionem, id est contrarij suæ Regulæ & professioni. Si enim in talibus præceptis modificantibus & extraneis, ex Roder: Superiores Obser: dispensare possunt cum sibi subditis, vt ostendimus Art: 32. n. 6. & n. 7, & tamen huiusmodi alumni dispensati, non vocantur Minores contra Regulam; in essentiali professione discordantes; cur deterioris sortis debeat esse Pontifex? vt exinde quia ipse dispensauit, ideo Minorum Con: Status dicendus est, contra Regulam inductus, & in essentiali professione, à fratribus Ordinis discordans. Quare cõcludendum de Roder: & March: super est illo Dauidico. *Captio quam abscondit apprehendat eum & in laqueum cadat in ipsum.*

11. Verùm Roder: magis veniâ dignus est, quàm Marchan: quia hic studiosè malignatus est Statum Min: Con: ille autem excidit sibi ex memoriæ imbecillitate, qui aliter ex proprio sensu,

pro decore & dignitate Statum Min: Con: exaggerauit, & defendit; quod huic Viro non nouum est, etiam in alijs quæ antea dixerat, obliuisci dictorum. De eo sui Ordinis Obseru: aduertit Laurentius Portel V. *Clausura Monachorum*. pag: mihi 48. vbi eundem Rodericum seu Rodriquez, in explicatione Cruciatæ, citat tenentem, fæminas intra Claustra Conuentûs admittentes Regulares, non virtute alicuius licentiæ Papalis, sed alia via, vel ad libitum incurrere pænas sancitas in Bulla Pij V. & Gregorij XIII. quem tanquam suorum dictorum obliuiosum sic redarguit cit: Portel. *Sed hoc non obstante contra Rodriquez in particulari libet arguere ad hominem. Videtur enim vel sui oblitus, vel non locutus consequenter ad illud, quod dixit primo Tomo QQ. Reg: q. 47. Art: 1.* Vbi citans has easdem duas Bullas Pij & Gregorij, vtrobiq; loquentium de clausura Monialium, & Monachorum, & vtrobiq; reuocantium licentias Pontificias, ingrediendi in clausuram Monialium, vel Monachorum virtute dictarum licentiarum; tenet Roderic: Abbatissam vel Moniales admittentes sæculares intra clausuram, non virtute Papalium licentiarum reuocatarum, sed alia via quacunq; non incurrere prædictas pænas.

12. Pro coronide accipiat Pater Rodriquez seu Rodericus id ipsum quod dixit Tom: 1. Q. 26. Art: 2. in hæc verba. *Ita enim ieiunat sumens tantùm panem & aquam, sicut ille qui vna vice in die splendidè epulatur. Et ad eundem modum, ita frater Minor adimplet Regulam & eius præceptum, induendo vnam tantùm vestem repetiatam, sicut ille qui habet duas tunicas cum vno capucio, si quidem Regula ad id licentiam concedit.* Et concedere & admittere tenetur, quamcunq; liberam declarationem & moderationem, à Summo Pontifice faciendam: qui pro suo salutari arbitrio, de omnibus Regulis ex se neminem, nisi ex auctoritate Pontificia obligantibus, statuere, temperare, immutare, leuigare, alterare potest, quidquid ei meliùs & saluti Regularium expeditiùs in domino videbitur, absq; vlla vi per hoc Regulæ illata. Nec huiusmodi mitigationes & declarationes à Pontifice factæ possunt dici contra Reg:, & essentialem professionem, quia ius suum quo constant & subsistunt omnes Regulæ, mutuant ab auctoritate Pontificia, & tanti ac talis

dicun-

dicuntur esse ponderis, quanti ac qualis declarat eas Pontificia auctoritas.

13. Quo bene percepto maneat Roder: iuxta suam sententiam cum primis Obseruantibus in pane & aqua ieiunantibus, & per hoc quòd vnam tantùm vestem repetiatam induant, Regulam suam adimplentibus: & non inuideat, neq; contra Regulā calumnietur Conuentuales, ex eo, quòd auctoritate Apost: securitatis causâ, elegerunt & prætulerunt se adiungere ieiunantib⁹, semel in die splendidè epulantibus, atq; ex eo quia duas tunicas induant non repetiatas, suam Regulam adimplentibus, quia ex eius sensu vterq; Ordo adimplet suum præceptum, & seruat propriam Regulam, licet priores perfectiùs, & posteriores vt ait Roder: (quod illis sufficit) dumtaxat perfectè. Hinc non debuit Roder: contradictoriè sibi repugnans, dicere Q. cit: Art: 3. hæc verba. *Per similes dispensationes, vel potiùs dissipationes, Religio Nostra, dissiparetur in altissima paupertate fundata, vt patet euidenter in Conuentualibus.* Quia & suus Ordo Obser: similes habet dispensationes ex ipsomet sui oblito adductas, supra Art: 40. n. 6. non tamen ab eo vocantur dissipationes, neq; suus Ordo dicitur dissipatus. Summi enim Pontifices, non solent dispensationibus Ordines Regularium dissipare, sed potiùs conseruare, assecurare, viuificare, & roborare, ob circumstantias rationabiles vt diximus Art: 9. n. 32. & Art: 26. n. 6.

14. Et licet Roderico, Wad: Marchan: non admittenda, quia falsa concederemus quod volunt, scilicet Sigillum totius Ord: Min: fuisse ablatum à Matrice Relig: Min: Con: & auctoritate Apost: collatum Ordini filiali Obseru: quid inde? S. Franciscus non vtebatur à principio istiusmodi Sigillo, sed tantum signo *TAV* quò non solùm literas, sed & frontes & Corda hominum consignabat, teste Rodul: pag: 176. Et tamen suum institutum Conuentualium Franciscanum, præcessit cætum Reformatum PP. Obseru: ducentis & ampliùs annis: ipsomet asserente Roder: Tom: 1. Q. 2. Art: 3. in hæc verba. *Reformatio Fratrum de Obseruantia exijt à Fratribus Con: & cæpit Anno Dñi circiter 1414. juxta Concil: Const: Decretum, sed & formam & Ordinem dedit, post-*

modum B. Bernardinus de Senis. Per hoc Sigillum de quo gloriatur Rodericus, Wading. & Marchan: nihil dignitatis & præeminentiæ Ordini Obser: adijcitur, imò aliquid decoramenti per iactabundam vanitatis auram, humilem Statum Minorum turpantem deijcitur, & detrahitur: quia per hoc Sigillum quod ambiunt, nō veritatis sed vanitatis Obseruantes se exponunt, de quibus dicitur. *Odisti obseruantes vanitatem superuacuè.* Hic enim titulus *Sigillum Ministri Gen: totius Ord: Min.* Non veritatem sed vanitatem sapit & est falsus (excepto quòd Ecclesia eum iam vsu receptum ob pacem publicam admiserit) tunc enim vero titulo, esset Sigillum Ministri Gen: totius Ord: Min: impressum; Si omnes fratres totius Ord: Min: ei subijcerentur, & secundùm Regulam tanquam Successori S. F. obedire tenerentur, quòd omnes posset visitare, & quando opus esset in omnes iurisdictionem suam exercere, sed hanc potestatem non habet Min: Gen: Obser:, quia Minores Con: suam Matricem Relig: præposterè visitare non potest, neq; Capucinos, qui tamen primarij sunt in obseruantia illæsa etiam in accidentalibus, de vniuerso Ord: Min: Cùm ergo iurisdictio Ministri Gen: Obseru: coarctetur ad solam suam familiam Obseru:, hinc titulus Sigilli vanus est: quia Magistratu designato per Sigillum Min: Gen: Obser: non gaudet, nec ei sui Sigilli subscriptio fauet, imò ei illudit vti inanis & vacua, ipsius conditionem excedens, vt dixi Art:39. n. 11. Et quia incongruit quenquam assumere insignia Magistratûs, aut dignitatis, nisi habeat dignitatem sub pæna falsarij l. eos ff. de fal:, quod verum esse docet Bartolus tract: de insignibus, de eo qui non est doctor & portat insignia Doctoris l. eodem & C. de profess.

15. Hinc nè tali pænæ subijceretur Min: Gen: Obser: eo Sigillo vtens, suum Magistratum excedente: cui sua dignitas impar & inadæquata palam inueniatur: eo mediante, quia ab exordio Leoninarum, in vsu huius nominalis & improportionatæ inscriptionis sigillaris fuit; vt ob pacem & quietem Vniuersi Ord: Min: nihil innouaretur, eum penes hanc titularem Nomenclaturam S. Congregatio anno 1631. sub Data 22. Martij in possessione reliquit. Sed sanè si liceret in aliquo Sigillo gloriari, hoc Conuentua-

uentuales sibi potiori iure possent vendicare; quippe qui Sacratum Nostræ redemptionis Sigillum in carne S. P. mirabili Diuini Numinis cælitùs operantis prouidentia, suauiter impressum, & insculptum, gloriosa ac Magnifica Veneratione colentes, hucusq; diuinitùs possident & asseruant. Custodes Christiformis Corporis B. P. N. Francisci ab anno 1230. vsq; in præsentem diem persistentes, & continuò sine vlla temporis interruptione ab origine perseuerantes.

ARTICVLVS XLIII.

Inter omnes Ordinis Min: Reformatos soli primicerij Min: Con: per Antonomasiam Minores seu Conuentuales vocantur. Professio eorum Priuilegijs Apost: substantialiter inuariata ostenditur.

1. IN vniuerso Ord: Min: omnes Reformatos Minorum comprehendente, solus est primicerius Ordo Min: Con: qui hoc cognomine Minorum siue *Conuentualium* per antonomasiam appellari potest, sumendo hoc Cognomentum Minorum seu *Conuentualium* antonomasticè, pro primitiuo & principali significato, ex primitiuitate, & principalitate, quæ à primo fonte Matrice & origine, ceû à fundamento & radice proueniat. Et imprimis quòd Cognomentum Minorum, per antonomasiam absolutè, & sine vlla relatione ad distinctiuum superadditum, solis primitiuis & originarijs Minoribus, qui *Conuentuales* appellantur, conueniat, cæteris verò Reformatis nonnisi respectiuè, vt filialibus & secundùm hoc additum, quatenùs à prioribus originarijs & simpliciter primitiuis deriuati sunt, sed in originaria primitate seu primitiuitate, nunquam fuêre constituti, sicut filij nunquam Patrum suorum fuêre seu præextitêre Patres. Hoc assertum solidè probatur à Franchino in suo Apologemate pro Min: Con: Sect: 6. per totum adducente Bullas Pontificias, Minores Con: simpliciter & sine adiecto, per antonomasiam appellantes Minores, Reforma-

tos autem Obser: nonisi cum adiecto per reformationem, ceû per filialem genituram titulo Obseruantiæ adiecto signantes. Et huiusmodi appellationem continuârunt Summi Pontifices, tã ante quàm post Leoninam diuisionem, denominatiuam filialis Ord: Obser: à Matrice Relig: Min:Con: vt cit: Franchinus probat. Ego nè omnes Bullas ab eo describere cogar aliquas exempli gratia apponam.

2. Primùm sit Bulla Sixti IV. quæ incipit. *Regiminis vniuersalis.* Data Romæ anno 1474. his præcisis dicit. *Nos igitur qui dicti Ordinis FF. Minorum, in quo Gen: Ministri fungebamur officio, dum ad Cardinalatûs locum assumpti sumus.* Sed Sixtus IV. fuit Minister Gen: Ord: Min: Con: vt authenticè per historias probauimus Art: 16. n. 10, & 11. dum igitur se appellat Ministrum Gen: Ord: Min: sine adiecto Conuentualium, eo modo dicendi ipsum Ordinem Min: Con: appellat antonomasticè Ordinem Min: ac si diceret primicerium, primitiuum, fontalem, & originarium: vt idem in eius sensu per antonomasiam sit dicere Ordinis Min: ac Ordinis Matricalis *Conuentualium*, qui sic absolutè sub titulo Minorum prolatus absq; additamento cognomenti *Conuentualium*, significat per antonomasiam secundùm sensum Sixti IV, primum & principalem, ac fontalem Ordinem Min: Con: licet iam plusquam centum annis, emerserat Ordo filialis Obseru: quando hæc emanauit Sixti IV. Bulla.

3. Quando autem Sixtus IV. appellat Ordinem Min: de Obseru: nunquam eum appellat Ordinem Min: absolutè sed cum adiecto *de Obseruantia.* Vel *de Bulla.* vt in Constit: quæ incipit. *Dum singulos Regulares.* Expressè in firm: 3. Ord: 2. part: tract: 2. fol: 49. in qua memorat beneficium suo Ord: Min:Con: dum eius fuerat Minister Gen: à Paulo II. suo Antecessore procurasse, sub censuris & pænis Ecclesiasticis prohibente vniuersis fratribus Min: de Obseru: nè domos seu Conuentus Min: Con: recipere, seu occupare auderent: quod beneficium iam factus Summus Pontifex Sixtus IV. Nominatus, sic verbatim confirmat. *De Nostra mera deliberatione, & ex certa scientia. literas prædecessorum huiusmodi ratas habentes, & innouatas; omnibus & singulis Clericis & Religiosis de Bulla* *vel*

vel alias de Obseru: nuncupatis, Ordinem quorumcunq; ac Laicis vtriusq; sexus, cuiusuis dignitatis, gradus Ordinis &c. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ &c. nè domos & loca professorum dictorum Ordinum Con: nuncupatorum aut Monasteria &c. Hic autem dum exprimitur cognomentum *Conuentualium* Matrices & originales Religiones per ipsum signantur, vt diximus Art:25. n. 2. Eodem modo Alexander VI. in Constit: quæ incipit. *Super gregem Dominicum.* in firm: 3. Ord: loco cit: pag: 50. Pauli II & Sixti IV. Bullas memorans, & confirmans eadem verba reassumit; & appellat Ordinem Min: de Obseru: seu de Bulla, cum adiecto inquiens. *Motu proprio & ex certa scientia sua, literas prædictas ratas & gratas habens, ac innouans omnibus & singulis Clericis & Religiosis de Bulla, vel alias de Obseruantia nuncupatis &c.* Eodem modo loquitur & Calistus III. in Bulla quæ incipit. *Regimini vniuersalis.* in firm: 3. Ord: loco cit: pag: 51. in qua distinguit duas Species Minorum (in eadem Materia occupationis domorum & Monasteriorum Min: Con: per PP. Obseruantinos sibi ereptorum) primam appellat absolutè Minorum per antonomasiam, quâ Min: Con: primitiui & originarij significantur. Aliam nominat Minorum cum adiecto de Obseru. Hæc ante diuisionem denominatiuam à Leone X. facta referuntur. Verùm etiam post diuisionem præfatam Pius IV. Constitutiones Pianas pro Min: Con: Florentiæ editas confirmans, quarum præfationem retulimus Art: 32. n. 9. Minores Con: antonomasticè vocat Minores, quia vt fusiùs deducit Franchinus Sect: 6. n. 14. idem est per antonomasiam dicere Minores sicut *Conuentuales.* Idem sapientissimus Vir, & Eminentissimus S. R. E. C. Brancatus de Laurea sentire videtur, cuius textum citauimus Art: 25. n. 3. in fine.

4. Nec obstat quòd Leo X. in Bulla vnionis quæ incipit. *Ite & vos in vineam.* Ordinem Min: Obseru: Nomine Minorum S. F. Regularis Obseruantiæ, vel simul vel disjunctiuè concedat nuncupari, quia dum ex hac concessione Ordo Obseru: simpliciter & disjunctiuè Ordo Minorum appellatur, tunc mente subauditur fauor seu Priuilegium Pontificium, secundùm quod vt additum tali denominatione Ordo Obseru: nuncupatur, non autem

simpli-

ſimpliciter & per antonomaſiam, ſumptâ principalitate abſolutâ Minorum, à prioritate ſeu primitate primæ ſpeciei denominatæ Minorum, quæ ſit Matrix, Fons & origo aliorum Minorum Reformatorum; quia cùm hanc prioritatem Minores Con: habuerint ſub Innocentio III. quando adhuc nulli Reformati extiterunt. Proinde fieri non potuit, vt eam non habuiſſe ſub Leone X. dici potuerint, iuxta doctrinam allegatam Art: 30. n. 23. Si enim hoc ſolo priuatur Deus, vt infecta poſſit facere quæ facta ſunt, ita ab oppoſito non poteſt pro eodem inſtanti iam præterito facere facta, quæ non fuêre facta. Ex quo manifeſtè ſequitur Ordinem filialem Obſeru: non poſſe dici ſimpliciter, & ſine adiecto per antonomaſiam Ordinem Min: ſumendo Ordinem Min: antonomaſticè pro primo principali denominato Ordine, qui ſit Fons, Origo & Matrix aliorum Ordinum Minorum Reformatorum, ſed ſolus Ordo Min: Con: à quo tanquam à Matrice cæteri Reformati Ordines Min: profluxerunt, immediatè ſiue mediatè exorientes, eſt ſimpliciter ſine adiecto antonomaſticè Ordo Minorum: in quo ſenſu idem eſt dicere Ordinem Min: & Ordinem *Conuentualium*. prout eodem ſenſu multi Auctores etiam Obſeruantini vtuntur, vt patet ex Roder: Obſer: Tom: 1. Q. 2. Art: 3. in hæc verba. *Reformatio fratrum de Obſeru: exijt à Fratribus Conuentualib*⁹. Et ipſemet Leo X. vt infra videbimus Minores Con: antonomaſticè vocat *Conuentuales*, acſi diceret primitiuos & originarios Minores.

5. Non ſolùm autem per antonomaſiam omnes Reformatos & filiales Ordines, in vniuerſo Ordine Min: non poſſe dici ſimpliciter & abſolutè diuiſiuè Minores, ſed etiam præcisè ratione paupertatis in communi, & quò ad modificantia, debere dici ſecundùm quid Minores, & cum adiecto & ſolos Min: Con: non poſſe dici ſecundùm quid & cum adiecto Minores: & ratio eſt, quia ſola Min: Con: ſimpliciter & abſolutè ſubſtantialia & intrinſeca Voti paupertatis profitentur, vt diximus Art: 34. n. 15. adiectum autem quod eſt ſecundùm quid & extrinſecum, ſcilicet paupertatis ſubſtantiam modificans, & reſtringens, non profitentur. Reformati autem ſiue à poſitiua, ſiue à comparatiua Obſer-

uantia,

uantia, siuè aliunde nuncupentur, hoc secundùm quid, seu adiectum extrinsecum, tenentur profiteri: Si nolunt in laxiori Obseruantia quàm Minores Con: contineri; Aliter si hoc adiectum & secundum quid paupertatis modificatiuum non profiterentur: per iustam rationem laxiori obseruantia, quàm Minores Con: ab omnibus notarentur, & potissimè Min: Con: de Strictiori Obseruantia, non absq; valida ratione appellarentur. Duorum enim Votorum essentialium modificantia profiterentur, Reformati autem vnius dumtaxat essentialis Voti Obseruantes in modificantibus agnoscerentur: & in duorum Votorum essentialium modificatiuis, scilicet Obedientiæ, & paupertatis, dispensati detegerentur. Quo discursu detegitur subdolum commentum Petri March: friuolà atq; inani argutiolâ; adiectum, secundùm quid adiacens, in simpliciter per se subsistens demutantis, & in simpliciter ac intrinsecum seu essentiale quod est secundùm quid, & extrinsecum adiectum conuertentis, & simul asserentis, pag: 5. *Fratres Minores Con: simpliciter & sine adiecto non posse dici fratres Minores*. Cùm totum oppositum ex hoc discursu pateat: Scilicet Minores Obser: Reformatos, non posse dici simpliciter præcisè ratione paupertatis Minores: nisi etiam secundùm quid & cum adiecto dicantur Minores: Si volunt haberi pro veris & realibus Reformatis. Minores autem *Conuentuales* simpliciter & absolutè, ac præcisè respectu paupertatis, debere dici Minores, absq; hoc adiecto secundùm quid, in modificantibus paupertatem consistente: vt in simili diximus Art: 34. n. 18. & 19. tum Art: 37. n. 11.

6. Nec obstat quòd comminiscitur Petrus March: ex Bulla Leonis X. quæ incipit. *Ite & vos*. & Bulla quæ incipit. *Licet aliâs*. pag: 5. in hæc verba. *Nomen fratrum Minorum simpliciter attribuit Obseruantibus, ratione puræ Obseruantiæ Regulæ: alios verò vocat Conuentuales, secundùm Priuilegia viuentes*. Et falsè subiungit. *Vide Bullarium Bulla 25*. cùm præfata Bulla. *Ite & vos*. iuxta Flauium Cherub: in Compend: Bullarij non sit 25. in numero, sed 23. Verùm quia ipsi placuit in sua Expos: Reg: primicerium Min: Con: Ordinem subuertere, consequens ei ad hoc probandum relinquebatur, Bullarum Ordinem peruertere. Hoc autem suum pronun-

tiatum quàm sit euidenter confictum, iam patet ex dictis Art: 26. n. 5. & Art. 30. n. 15. Nullibi enim nomen Minorum simpliciter attribuit Leo X. fratribus Minoribus de Obser: sed vtrumq; Ordinem Min: tàm primitiuum Min: Con: quàm deriuatiuum filialem de Obseru:, vel expresè appellat adiunctis distinctiuis, Conuentualium, & de Obseruantia cognomentis; vel primicerium Ord: Min: Con: per antonomasiam appellat Ordinem Min: sub nomine *Conuentualium* quia vt probauimus supra n. 3. & 4. idem est dicere Minores ac *Conuentuales* antonomasticè & è conuerso, respectu filialium Ord: omnium Reformatorum Minorum. Hoc vt palam constet ex Bulla Leonis X. *Ite & vos in vineam.* primùm de Ord: filiali Obseru: sic demonstramus. Leo X. in cit: Bulla dicit primò. *Statuimus omnes Ministros & Custodes Reformatos ac Vicarios & discretos Fratrum de Obseru: seu familia dictam electionem celebrare debere.* 2dò dicit. *Declaramus, Ordinamus, & decernimus Vicarios fratrum de Obseru: seu familia - - - Veros & indubitatos esse Ministros.* 3tiò dicit. *Declaramus omnes Prouinciales Vicarios Fratrum de familia seu Obseru: veros Ministros esse, ipsosq; ad effectum electionis huiusmodi. in Ministros Ordinamus & instituimus. Discretos etiam ipsorum similiter declaramus esse Custodes.* 4tò dicit. *Generali & alijs Prouincialibus Vicarijs, de familia nuncupatis.* 5tò dicit. *Omnes domos; loca, & eremitoria, quæ fratres de Obseruantia seu familia, seu alij Reformati sub Ministris &c. tenuerunt & possederunt, ipsi Ministri Generali & Prouincialibus Ministris reformatis.* & per nos sic institutis & declaratis &c. incorporamus. Vbi nullibi nomen Min: simpliciter attribuit Ord: Obser: sed cum adiuncto de Obseru.

7. Quantùm autem ad Ordinem Min: Con: attinet, hæc eadem Bulla eos per antonomasiam appellat Minores sub Nomine *Conuentualium* in sensu explicato n. 3. & 4. primò ergo dicit. *Conuentuales verò secundùm Priuilegia viuentes, quomodo eisdem Ministris Gen: & Prouincialibus subijci debere, per alias Nostras desuper edendas literas declarabimus.* 2dò dicit. *Inhibentes sub Excommunicationis latæ sententiæ pænâ, omnibus & singulis Conuentualium secundùm Priuilegia viuentium Prælatis ac fratribus &c.* 3tiò dicit. *huiusmodi loca de obedientia, & de Capitulis FF. Conuentualium dicti Ordinis*

nis priùs fuissent &c. 4tò dicit. *Et nihilominùs dictis FF. Conuentualibus nec non quibusuis iudicibus.* Et in fine cit: Bullæ vtrumq; Ord: Min: tàm primitiuum Conuentualium quàm deriuatiuum de Obseru: coniungens, primò primarium. secundò secundarium distinctiuis, & appropriatis appellat cognomentis, in hæc verba. *Aut alicui eorum, siue illarum auctoribus & institutoribus, Conuentualibus, siue Reformatis, aut de familia Reformatis &c.* Ex quibus de cit: Bulla sincerè relatis, colligat prudens Lector cauillosam nugacitatem fallacis impostoris Marchantij manifestè intuens in hac Bulla Leonem X. nullibi Nomen Fratrum Minorum simpliciter & absolutè attribuisse fratribus Min: de Obseru: sed cum adiuncto distinctiuo, & appropriato de Obseruantia, seu de familia, Minores autem *Conuentuales* vocat antonomasticè *Conuentuales*, ac si sub Nomine *Conuentualiũ* diceret, primigenij Minores, adiun gens secundùm Priuilegia viuentes, vt hac adiunctiuncula innueret, causam motiuam Reformationis: nempè *Conuentuales* ab antiquo secundùm Priuilegia viuentes, eo titulo præbuisse occasionem, nouiter de suo gremio pullulantibus reformatis: vt relicto Patrum suorum Statu, quem inter eos professi fuerant, soli literæ Regulæ inniti attentarint, & Priuilegijs Summorum Pontificum, & eorum super Regulam Declarationibus relictis: Sub prætextu puræ Obseruantiæ Regulæ, ad mendicitatem quotidianam primorum Nostrorum Patrum conuersi fuerint, vt fusiùs deducitur in præfatione Constit: Pij IV. à nobis adducta Art: 32. n. 9. Et ob hanc causam per eandem Bullam Leo X. ex originario Min: Con: Ordine, Reformatos de Obseru: seu de familia nuncupatos, in formata Religione asserit à se *institutos & declaratos:* remanentibus in suo antiquo Statu Min: Con: primicerijs fratribus sub suo Ministro Gen: tunc transnominato Magistro a S. Franc: sine interruptione & S. Sedis, post institutum Ord: nouiter accedente indulto, legitimo Successore, & a S. Bonau: semper S. Th: Magistro, in Basilica Assisiensi totius Religionis Min: iuxta Declarationem Greg: IX. Matrice & Capite vsq; ad hodiernum diem residente.

8. Et licet satis abundè probatum fuerit, Priuilegia Apo-

ſtolica primitiuo Ord: Min: Con: conceſſa ſubſtantiam Regulæ S. F. nec in minimo lædere, vt Art: 9. n. 24. Art: 26. n. 6. Art:34. n. 15. & Art: 33 per totum oſtenſum eſt: tamen quia Petrus Marcha: obſtinato animo pluribus in locis, per ea literam Regulæ ſubſtantialem aſſerit gratis, non probans eſſe læſam, & ob id profeſſionem, quam originarij Min: Con: ſtatim quaſi in initio ſui cognominis, ab Innocentio IV. impoſiti, emittere & profiteri ſolebant, aſtruit eſſe diuerſam; ab ea profeſſione, quam hodierni Min: Con: emittunt, & profitentur: & quod peius: aſſerit eſſe diuerſam in eſſentialibus, vt in Expos: Reg: pag: 5. de Min: Con: hodiernis inquit. *quia Regulam FF. Minorum ſimpliciter non vouent, ſed prout Priuilegijs relaxata eſt, & in eſſentiali ſuo rigore diminuta; Vt conſtat ex verbis expreſſis formæ profeſſionis eorundem.* & pag: 533. dicit. *Conuentuales hodiernos, ad fraternitatem S. F. non pertinere, quia Regulam S. F. ad literam non vouent, ſed omnino per Priuilegia Pontificia alteratam: vnde nec eandem cum fratribus Ordinis profeſſionem emittunt.* Et pag: 534. dicit: *Tria vota eſſentialia cùm communia ſint omni Religioni, ad eſſentialem profeſſionem fratris Minoris, vt frater Minor eſt ſpecificè, non ſpectare.* Verùm aliter determinauit Clemens V. vt oſtendimus Art: 37. n. 4. Profeſſionem Regulæ ſub huiuſmodi diſpenſationibus nullus emiſit, ante an: 1517. & alijs in locis.

9. Sed vt toti mundo pateat Marchantina fides, Cretenſi germana, ſcilicet, quòd ante annum 1517. primitiui Conuentuales, & etiam ante tempora Leonis X. profitebantur iuxta Priuilegia Apoſt: iam in modificantibus Votum paupertatis diſpenſati, producenda eſt profeſſio primitiuorum Conuen:, præfatum annum & tempora Leonis X. antecedentium: Cuius profeſſionis formulam nobis ſubminiſtrant Conſtit: Alexandrinæ in Capitulo Interamnæ, auctoritate Alexandri VI. anno 1500. editæ; ſeptemdecem annis ante inchoatum Ord: filialem Obſeru: in forma Religionis completæ, & abſolutæ, à Leone X. anno 1517. inſtitutæ & declaratæ; Vt ipſemet Pontifex fatetur his præciſis. *Per nos ſic inſtitutis & declaratis.* vt diximus ſupra n. 6. In qua profeſſionis formula, illorum Pontificum apponuntur nomina, qui Art: 31. & Art: 32. relati, quaſi ab initio Religionis Minoritanæ, pro Min:
Con:

Con: Regularis paupertatis, accidentalem temperarunt rigorem; Solo Clemente IV. in secundum per errorem commutato: cùm Clemens II. & III. ijs annis præfuêre Ecclesiæ, quibus S. P. Fran: nondum fuit lucis vsuræ editus. Nam Clemens II. anno 1047. & Clemens III. Anno 1181. præfuerunt, vt refert August: Taraconensis Archiep: in collectione Pontificum, corpori iuris Can: præmissa. S. autem Franciscus, natus est anno 1182. vt diximus Art: 1. n. 1. Clemente ergo IV pro 2dò correctè, & debito Ordine inserendo, sic verbatim præfatæ Constit: Alexandrinæ in cap: 2. Reg: pag: mihi 32. ponunt professionis formulam, quam etiam exscribit Rodul: Hist: Seraph: pag: 151. b.

10. *Ego Frater N. voueo & promitto* DEO *Omnipotenti & B. M. semper Virgini B. Francisco & omnibus SS. & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ, seruare Regulam Fratrum Minorum, per Dñum Papam Honorium confirmatam: & à pluribus Pontificibus declaratam. Præsertim secundùm determinationem Clementis IV. Martini IV. & V. Eugenij IV. Sixti quoq; IV. & Alexandri VI. viuendo in obedientia sine proprio & in Castitate.*

11. In præsenti autem professionis formula, pro Min: Con: ab Vrbano VIII. in Constit: Vrbanis in caput 2. Reg: tit: 21. n. 4. approbata & expressa: omnia syllabatim ponuntur, quæ in præfata priori, nisi quòd loco nominum specificatorum Pontificum, hæc æquiualentia breuiùs summantur in hæc verba: *iuxta Priuilegia Ordini Minorum Con: ab Apostolica Sede concessa & Constitutiones Vrbanas.* In hac ergo vtraq; formula dicat Marchan: vbi constat ex verbis expressis formæ professionis Min: Con: in essentialibus, per Priuilegia Apost: Regulæ Franciscanæ diminutio, ob quam Fratres Min: Con: non simpliciter, & sine adiecto dici debeant, nec simpliciter in essentialibus Regulam Minorum voueant, sed cum adiecto, dumtaxat diminutionis essentialis, per priuilegia irreptæ declarentur, vel exprimantur. Sed proferat Marchan: saltem Bullam, aut aliquod instrumentum authenticum, quo probari possit primùm à Leone X. Priuilegia Apost:, paupertatis Voti essentialis modificantia, dispensantia, seu moderantia Min: Con: fuisse concessa; & postmodum eiusmodi indultum

Leoninum, professioni eorum, mandato Pontificio fuisse insertum: Sicut enim Leo X. nullum indultum paupertatis modificantia temperans, Minoribus Con: concessit, vt diximus Art: 30. n. 16. ita etiam nullum tale professioni eorum inseri voluit, cùm vt satis patet ex formula professionis producta, ante tempora Leonis X. instituta, & multorum Pontificum nomina specificata testantur, iam longè ante Leonem X. Conuentuales habuisse Priuilegia Apost: & secundùm ea Professionem emittere consueuisse atq; cum eis iam consenuisse, antequam Leo X. Pontifex renuntiatus fuisset: nec tamen in essentialibus diminutam professionem habuisse, vt ipsemet Marchan: testatur de Conuen: ante tempora Leonis X. existentibus pag: 525.

12. Et quia in Regula nulla præfigitur institutio emittendi professionem: B. enim Franc: formam verborum professionis Superiorum iudicio, & piæ considerationi derelictam commisit: Vnde *Conuentualium* professionis formula, quam in præsentiarum habent in vsu, non differt à pristina primorum Fratrum Methodo, qui etiam erant Conuentuales, quibus sine dubio non fuit animus obligandi se, nisi ad Regulam quæ tunc obseruabatur, secundùm Declarationes & Priuilegia Summorum Pontificum: quæ licet ipsi professioni non manerent inserta, & expresse adiuncta; implicitè tamen & tacitâ mente subaudiri, ac virtualiter in ea professione contineri debebant. Hinc primi Obseruantini Ord: professores, siue illæ tres Prouinciæ: de quibus Art: 13. n. 5. egimus, à Concil: Const: ab obedientia Min: Gen: separatæ, & proprio Vicario subditæ: Siue vniuersus Ordo Obser. ab Eugenio IV. separatus, & ab obedientia Ministri Gen: Con: absolutus, & proprio Vicario Gen: subditus, de quo Art: 14. n. 19. egimus; vt haberent completam & adæquatam professionem; fateri necessum est, illos in forma professionis, saltem habuisse in mente determinationes, & indulta Summorũ Pontificum. Cùm enim dispensati essent ab obedientia Generalis, & immediatè subessent Vicarijs ipsis imperantibus, contra dispositionem Regulæ, sanè iuxta talem dispositionem, & priuilegium profitebantur: Et. Obseruantes hisce temporibus, qui etiam contra teno-

rem

rem Regulæ Generalem obtinent, ex vigore Leoninæ Bullæ, per electores non Regulares: professionem emittentes, talem dispensationem & determinationem Papæ Leonis X. in mente habere debent, ad hoc, vt ipsorum professionis forma Regulæ nō opponatur. Imò si illis Priuilegijs arctum paupertatis vsum modificantia, dispensantibus & relaxantibus vtuntur, quæ Priuilegia Art: 40. n. 6. recensuimus: necesse vt in forma professionis, implicitam & virtualem mentem habeant, secundum dicta Priuilegia viuendi, & sic in essentialibus possessionis conuenirent; cum vniuerso Ord: Min: in accidentalibus tantùm differentes.

13. Et licet primitiui Con: iuxta Priuilegia Apost: viuentes, eorundem Priuil: in sua professione mentionem non facerent, per hoc nihil suæ professioni derogarent: neq; enim necessarium est, vt Priuilegiorū Apost: aliquā Regulā in accidentalib⁹ dispensantium, expressa in professione fiat mentio: sed sufficit virtualis & implicita, eorundem in professione mentalis subauditio: Sicut enim non est diminuta illa Religio, quæ solùm expressè vouet obedientiam secundùm Regulam, licet expressè paupertatem, & castitatem non voueat: cùm in obedientia virtualiter, & implicitè contineantur, quo modo professionem soleat emittere Sacer Prædic: Ordo, vt Joannes Cruz de Statu Relig: lib: 1. cap:2. concl: 6. asserit inquiens. *Quia sub voto obedientiæ continentur alia Vota, & cæremoniæ Regulares: & sic in professione Fratrum Prædic: sola obedientia expressè promittitur.* Hoc totum constat ex formula professionis PP. Prædicatorum à Roder: verbatim descripta Tom:2. Q. 79. Art 6. Nec aliunde Moniales recludi potuerunt nouo vinculo clausuræ, nisi quia id in Votis implicitè continebatur, nempe custodia Castitatis, ad quam valde clausura conducebat. Et si explicitum Votum, & implicitum, diuersitatem in Religiones inducant, iam diuersas dicere oportet Religiones, in essentialibus tribus Votis: quod manifestum falsum est, vt patet de Sacro Ord: Prædic: & alijs explicitè tria vota essentialia vouentibus, sic discurrendum extat, potiori ratione de Priuilegijs Apost: rigorem accidentalem Regulæ temperantibus, nec tamen explicitè professioni insertis, sed dumtaxat mente implicitè subauditis.

14. Hu-

14. Huiusmodi autem Priuilegia Apost: quæ Petro March: contra Min: Con: Statum fuerunt petra scandali (vitiosus Stomachus, etiam optima alimenta vertit in causam doloris & corruptionis) non displicuerunt Viris Sanctissimis & prudentissimis, vt S. Bonauenturæ & Humberto, tunc Min: & Præd: Ordinum præfectis, tum ijs externis & Nostratibus Viris sapientissimis, quos securitatem Min: Con: iuxta Priuilegia Apost: viuentium approbantes, Art: 33. adduximus, præter auctoritatem Summorum Pontif. Art: 31. & 32. adductorum. Etiam ipsi Trident: Synodo D. Spiritu afflatæ, Priuilegia Apost: placuerunt: dum Sess: 25. cap: 3. ea omnibus Regularibus concessit in hæc verba. *Concedit S. Synodus omnibus Monasterijs & domibus, tàm virorum quàm mulierum & mendicantium (exceptis domibus FF. S. Fran: Capucinorum & eorum qui Minorũ de Obseru: vocantur) --- vt deinceps bona immobilia eis possidere liceat.* Imò non displicuerunt Priuilegia Apost: vniuerso filiali Ord: Obseru: etiam hæc in Concil· Trid: omnibus Regularibus concessa: præter enim illa quæ recensuimus Art: 40. n. 6. Roder: Obseru: rationem reddens, cur in præfato Priuilegio Concil: Trid: priùs nominentur Monasteria Capucinorum, quàm Obseru: cùm Ordo Obseru: cum suis Monasterijs sit antiquior Ordine Capuc: & clarè indigitare videtur, quòd Ordo vniuersus Obseru: iam præfatum Priuilegium Concil: Trid: cum cæteris Regularibus acceptauerit, & receperit, non nisi à PP. Capucinis, nè hoc Priuilegium recipere cogerentur, priùs recurrentibus, & PP. Concil: Trid: humiliter supplicantibus excitatus, iã præposterè & vltimò post Capucinos, vt eodem Priuilegio Apost: simul cum Capucinis stringi non posset (forsan nè præcedentiam ratione Obseruantiæ Regulæ amitteret) itidem humiliter petierit. Sic Roder: Tom: 3. Q. 29. art: 14. de sui Ordinis PP. refert inquiens: *Qui vt audierunt recursum Generalis Capucinorum, statim zelo Obseruantiæ id ipsum à Patribus Concilij petierunt, & de facto vt Monasteriorum fratrum de Obseruantia fieret similiter excepto, consecuti sunt: & hac ratione licet Congregatio Obseruantiæ antiquior esset, quàm Congregatio Capucinorum, primò facta est exceptio Monasteriorum Capucinorum: cùm in præfata supplicatione PP. Obseruantiæ præueniret.*

15. Pa-

15. Patet ex hucusq; dictis Petrum Marchan: Obſeru: propter ſola Priuilegia Apoſt: à S. Sede legitimè conceſſa: primitiuum Ord: Min: Con: ita traduxiſſe, & publicæ infamiæ expoſuiſſe: vt Conuentuales omnes ac ſi cicatricoſos, ſtigmoſos, ſanioſos, mortuos, putridos, ſcandaloſos: inſuper à ſuis filialis Ord: alumnis, velut ſpurios à legitimis diſtinctos, effigiaſſe, efformaſſe, potiùs figmentaſſe, & toti mundo præſtigiosè præſentaſſe non dubitauerit: & veritus non fuerit auctoritatem Moyſaicam ſibi temerariè vſurpaſſe: omnia dicens nihil probans: licet reuelato prophetiæ ſpiritu Moyſi non fuerit dotatus, nec ſignis miraculoſis, vt Moyſes in Ægypto, ita ipſe in Flandria per ſuam Obſeruantiam, à ſe thraſonico ſupercilio ſublimatam, mirificè patratis, vel hilum magnificatus. Hoc vno excepto quòd virgam correctionis & diſciplinæ: Scilicet Expos: Reg: S. F. in venenoſum verterit colubrum, in Statum Min: Con: virus ſuum euomentem: ipſiq; ſub inexpugnabili Eccleſiæ S. ſcuto munito: Natiuis armatum venenis aculeum infigentem: potiùs in draconem transformauerit, vitam ſtatûs primiceriorum PP. Conuen: deuorantem, exeſos, deartuatos, & exoſſatos, fellis draconis amaritudine illinientem: ac venenoſis afflatibus inficientem: nec tamen hoc ſerpentino, veriùs dracontino, Magorum Pharaonis artificio, quidquam proficientem: quia virga Moyſi ſcilicet veritas ipſa, interprete Auguſt: ſerm: 86. *De tempore*, omnes dracones quos Magi effecerant, deuorauerit, id eſt vt interpretatur Gloſſa Interlinealis, aſtutias huius mundi (inter quas ſingularis eſt Marchantina ſub ſpecie expos: Reg: latentem draconem occulentis) interfecerit, deglutiuerit, & conſumpſerit: vt vel in hoc vno aſſerto, draconis more Conuentualium profeſſionem, multis in locis mordente, quiuis prudens & candidus Lector, etiam volantibus oculis intueri queat & poſſit.

16. Igitur nugacitatis faſcinatione profligatâ Min: Con: profeſſione: facilè erat Petro March: ad cætera doloſum ſubmittere gradum, & primicerios Minores PP. ſuos, a filialis Ord: Alumnis, tanquam ſpurios & illegitimos, procaci calamo impudenter diſtinguere. Et quia ipſemet Marcha: pag: 547. licet falſo de

his propudiosis dictis, se expurget dicens: *Quæ autem dixi ad historiæ narrationem pertinentia, siue etiam quæ hinc inde ad conclusionum probationem citaui, omnia ferè ex antiquo firmamento 3. Ordinum & memoriali Ordinis ab aliquo Conuentuali, siue fratre de familia (acerrimus oppugnator erat) excerpsi, vt de personæ particularitate non accusarer.* Proinde vt ipsemet vult, accipiat hunc Auctorem Firm: 3. Ord: pro suo alumno, de familia seu de Obseru:; Conuentualis enim non fuit de communitate antiqua, Priuilegia Apost: semper amplectente, & secundùm ea Regulam S. F. obseruante: Sed potius fuit de illis Reformatis, qui communitatem & eius Priuilegia Apost: oppugnabant, dictaq; Priuilegia subreptitia vocabant, vt istemet Auctor pluribus in locis firm: 3. Ord: facit, prout notauimus Art: 32. n. 14. Proinde ad mentem March: sit pro nunc Ordinis de familia, seu de Obseru: & audiat March: quid de suo Ordine filiali sentiat: cùm Conuentualis contra Sacrum filialem Ord: Obseru: talia non auderet publicare, vt Marchan: contra paternum Ord: Min: Con: blaterauit atq; cit: Auctor Marchantij Didascalus, idipsum contra Ord: filialem promulgare non dubitauit, in fine firm: 3. Ord: in Art: responsalibus Fratris Bonifacij Ministri Franciæ in hæc verba.

17. *Ex eo autem quòd asserit familiam suam auctoritate Concil: Const: nupsisse Vicarijs, approbat profectò diuortium à Regula B. F. in qua præcipitur, vt omnes fratres suis Ministris & non Vicarijs debeant obedire. Quamobrem Constantienses Fratres & non Minores venient appellandi.* Respondeo. *Concilium Const: non quidem in vxorem Vicarijs dedisse familiam illam: sed quasi concubinam, quia non indissolubiliter eos inuicem copulauit: vt patet ex Decreto dicti Concil: (vbi dicit) eos posse dictos Vicarios habere, donec aliter per S. Concilium fuerit ordinatum. In Matrimonio autem requiritur indissolubile vinculum secundùm Doct: in 4. Dist: 27. Extra: de præsum: Illud quoq; extra de transla: cap: Inter corporalia §. cùm ergo. Insulsè igitur dicit temerarios eos qui hanc vnionem appetunt, & illam pessimam diuisionem resarcire contendunt. Quia non est hic Matrimonij vinculum soluere, quinimò separatam à viro vxorem reuocare. Vir siquidem est B. Franciscus, vxor Regula (non prouisio siue Bulla) filij verò fratres Minores in regulari obseruantia &*

tia &

tia & obedientia permanentes. Si igitur fratres de familia Constantien: non ex Regula vxore B. Francisci geniti sunt, sed ex Bulla (vt iste Pater asserit) ergo non ex legitimo thoro, neq; ex libera, sed ex ancilla nati videbuntur. Et sic noua progenies: quia vbi non sunt legitimæ nuptiæ, partus sequitur Matrem ff. de Sta: h. l. Cùm legitimè. In eo verò quod dicit Ministros alienos à Regula, turpiter errare videtur, quia Ministri per Regulam instituti noscuntur. Si verò alienos moribus intendit, allleget transgressores, & transgressiones, & bene viuentes desinat maculare. Quia non debet alteri per alterum iniqua conditio afferri ff. de Reg.

18. Sed huiusmodi dicta, de Sacro filiali Ord: effutire non decet, neq; licet. Cæterùm de talibus qualis est Marchan: & eius sequaces, frontem Marchantinam sibi affigentes & appropriantes, Statum Min: Con: contra determinationem Ecclesiæ S., præfatis impuris, & opicis commentis dehonestantes, & conspurcantes, verificari possunt; & debent. Verùm concedamus gratis huiusmodi Erasmo-Marchantinis sectarijs, Minores Con: esse ab ipsis vt spurios à legitimis distinctos: ipsos autem de familia legitima, & altissima ortum suum ducentes. Sed familia illa quam describit Bercorius in Reduct: Morali lib: 14. cap: 59. n. 5. inquiens *Ego etiam pro certo affirmari audiui, quòd in Britannia Minori* (Marchantio seruit pro Flandria) *est vnum altum genus Nobilium, in quo omnes qui nascuntur sunt in posterioribus dealbati, ita, vt si anum album non habeant, ex adulterio nati esse iudicentur.* Et applicando ad sensum Moralem, hos legitimos de familia legitima & altissima natos, eos esse Bercorius inquit: *qui habent immunda sua posteriora alba per hypocrisim, & per fictam apparentiam: quia hypocritæ vbi plùs sunt per luxuriam immundi, ibi magis per fictionem hypocrisis iudicantur esse mundi, ideò tales maledicuntur à Christo dicente Matth: 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ apparent hominibus speciosa, intus autem sunt plena spurcitiæ. Breuiter ergo tanta hodie inoleuit peruersitas, quòd illi viles & degeneres censentur: qui sine talibus vitijs oriuntur: quia procerto, qui proteruiam, malitiam, luxuriam, superbiam, & fictitiam versutiam non habuerit, cunctis vilis & degener apparebit. Ille enim qui malos Parentes suos non imitatur, spurius & degener reputatur.* Hæc Bercori⁹.

Si ergo in hoc sensu Erasmo-Marchantini sectarij volunt distingui à Conuentualibus vt legitimi à spurijs, hæc legitima natalitia de tàm alta familia radiantia eis non inuidemus. Prosit ipsis hæc palingenesia pro gloria, quod Conuentualibus cederet pro probro & ignominia; qui eatenus contenti hac spuria distinctione Marchantina, quatenus eis à Bercorio reputatur pro gloria, ab Apostolo per ignobilitatem ac infamiam, pro mercedis copia atq; à Christo reseruatur pro corona candida: Huic autem alto nobilium Marchantiorum generi, pro vera & legitima perperam dealbata Pharisæorum & hypocritarum peruetusta deputatur prosapia. Vnde in Marchantium illud retorqueri potest, quod regessit Teucer in Agamemnonem apud Plutarchũ inquiens: *Age non meum, verùm & tuum inspicito genus.* tum illud Martialis in coriarium quendam supra genus suum sublimatum, & corio elephantino circumtectum inquientis.

Lusisti satis est, sed te mihi crede memento,
Intra pelliculam cerdo tenere tuam.

ARTICVLVS XLIV.

Quo differt seu discriminatur Matrix Religio Min: Con: à Filialibus Ordinibus Reformatis ab ea immediatè vel mediatè promanantibus.

1. PLurimæ extant differentiæ, quibus primicerius Ordo seu Matrix Min: Con: Religio discriminatur, à filiali posthumo effusa partu Reformatorum prole, immediatè siue mediatè, à Matrice origine prognata. Enimuerò patrima Min: Con: genitura, in naturali duratione attingit annum in primo S. P. stipite, à conuersione eius 1206. vt probauimus Art: 1. n. 4. & à conuersione Sociorum eius, annum 1208. vt ibidem n. 9. deduximus. Deniq; in formata Religione post confirmationem Regulæ Innocentianam Riuotorti consistente, attingit annum 1209. vt cit: Art: n. 14. ostendimus. Filialis autem prima PP. Obseru: per Reforma-

formationem propago, modò primùm posthumo post S. P. tempore, principium suum auspicata est, anno 1368. in Paulutio laico Conuentuali, vt Art: 12. demonstrauimus: & in partiali Religionis & regiminis diuiso cætu, à Concil: Constant: anno 1415. vt Art: 13. n. 5. ostendimus. In vniuersali autem separatione à primitiuo Ord: per Eugenium IV. anno 1446, prout Art: 14. n. 19. exposuimus.

2. Matrix Religio Min: Con: fontalem & primitiuum habuit Ortum Conuentualem Riuotorti, circa annum 1209. vt vidimus Art: I. n. 12: filialis autem Ordo Obser: primo suo partu Bruliani in loco horroris & vastæ solitudinis, exorsus est statum Ereniticum ad annum 1368. vt deduximus Art: 12. n. 1. & 3. Matrix Religio Min: Con: primam Ecclesiam in Ord: de Portiuncula nuncupatam adepta est, anno 1210. vt Art: 1. n. 15. ostendimus: & primus eius post S. Patriarcham Minister Gen: Helias, in Sacra Assis: Basilica à Greg: IX. pro Matrice, & capite totius Ord: Min: publico diplomate quod incipit: *Is qui Ecclesiam.* denuntiata, in Sede Vniuersæ Minoritanæ familiæ imperans, ab anno 1230. incepit sedere, & concatenatè post eũ succedanei Ministri Gen: vsq; in hodiernum diem sine interruptione sedent. Filialis autem Ordo Obser: eandem primam in Ord: Ecclesiam S. M. Angelorum, primùm anno 1415. dono & pro filiali dote accepit à primitiuo Ord: Min: Con: vt probauimus Art: 12. n. 7. & suus primus Minister Gen: nouo indulto Pontificio, extra præscriptum Regulæ anno 1517. à Leone X. institutus, vt ostendimus Art: 16. & Art: 41. nunquam in S. Basilica Assisiensi sedit. Matrix Religio Min: Con: cognomentum Conuentualium sortita est ab Innocentio IV, anno 1250. vt ostendimus Art: 27. n. 3: filialis autem Ordo Obser: denominationem ab Obseruantia primùm nactus est à Concil: Constant: anno 1415. vt Art: 13. n. 6. probauimus. Matrix Religio Min: Con: Sacrum Montem Aluernæ obtinuit à Comite Orlando, viuente S. P. F. anno 1213. vt Wad: ad eundem annum asserit n. 33: & Conuentum Aracælitanum Romæ ab Innocentio IV. dono accepit, anno 1249. vt diximus Art: 5. n. 15: Sic loca Sacra Sion & S. Sepulchri, data fuerunt Ordini pri-

mitiuo Conuent: anno 1333. vt Art: 11. n. 2. probauimus. Filialis autem Ordo Obser: præfata loca & domus per profectitiam dotem, quæ a Parentibus Min: Con: profecta est, in elocatione sua, longè posterioribus temporibus possedit. Et quidem Sacer Mons Aluernæ ad filialem Ord:Obser: deuolutus est, anno 1420. ex Wad: ad eundem annum n. 16. qui ad annum 1213. n. 34. his præcisis inquit. *Temporis decursu præfatus mons à PP. Conuentualibus ---- anno Dominicæ Incarnationis 1430. sedente Martino V. Summo Pontifice, ad Obseruantes deuolutus est.* Vbi decem annis postponit S. Montis deuolutionem. Aracælitanus verò Conuentus translatus est à Conuentualibus ad Obseruantes, anno 1445. vt probauimus Art: 14. n. 18. SS. autem præfata loca translata sunt à Matrice Religione in filialem, anno 1434. vt ex Wad: probauimus Art: 11. n. 2. Tum cæteri Conuentus antiqui si qui sunt, in potestate filialis Ord: Obser: omnes pro dote translati sunt & donati à Matrice Relig.

3. Matrix Religio circa annum 1232. Sarmaticos fines attigit, vt diximus Art: 17. n. 2. primumq; Conuentum, eundemq; hodiernum obtinuit Cracouiæ à Boleslao Pudico Poloniæ Principe fundatum, atq; tempore IV. Ministri Gen: Haymonis nomine Prouinciæ Bohemiæ & Poloniæ audire cæpit, vt cit: Art: n. 4. diximus, & tempore S. Bonau: in anno 1260. in Ordine Prouinciarum, Numerum trigesimæ primæ sortita est, vt testatur Wad: sub eodem anno. Filialis autem Ordo Obser: primùm salutauit Poloniarum plagas, anno 1453. primumq; Conuentum Cracouiæ sub titulo S. Bernardini nactus est, à quo & Bernardinicus in Polonia nuncupatus, vt probauimus Art: 14. n. 27. In Lithuania autem primum Conuentum Vilnæ acquisiuit Ordo filialis, anno 1468. vt Wadin: probat ad cit: annum n. 24. Et primùm Prouinciæ Poloniæ nomine sub Vicario Prouinciali audire cæpit, anno 1467. Similiter & Prouincia Bohemiæ sub Commissario Prouinciali: quæ Prouinciæ prodierunt diuisæ, ex Prouincia Austriæ, vt retulimus Art: 15. n. 6: cui diuisioni anno 1465. obstiterat Marcus Vicarius Gen: vt ibidem n. 5. testatur Wadin: *Dicens intempestiuè satis id intendi, tenellis adhuc Prouinciæ incrementis, paucisq; fratribus, qui vel vni, multo minùs duabus sufficerent Prouincijs regendis.*

Illa-

Illa autem noua Prouincia Austriæ ex qua Polonica & Bohemica prodierunt sic describitur à Wad: ad annum 1454. n. 22. *Anno præterito indixerat Viennæ Capistranus Capitulum nouæ Prouinciæ, ex domibus à se in Austria, Bohemia, Morauia & Silesia constructis, compactæ.* De omnibus autem Prouincijs vniuersalem profert censuram Wadin: ad annum 1260. n. 16. inquiens. *Et circa hanc Prouinciarum seriem admoneam, eandem conseruari quò ad Custodiarũ partitionem apud PP. Conuentuales, præcipuè in Regionibus Italiæ, Poloniæ & Germaniæ transeuntibus, cæteris Hispaniæ, Franciæ, atq; aliarum nationum Monasterijs, in Obseruantum potestatem, sub quibus aliter disposita & multiplicatæ nimis sunt Prouinciæ,* Et ad annum 1399. n. 10. inquit. *Notandum autem, non omnia domicilia eodem nomine Conuentuum, aut Cænobiorum intelligi apud PP. Conuentuales, ad quos fermè omnia hæc spectant.* Tot igitur differentiæ, licet extrinsecùs à locis, & tempore cumulatæ, inter Matricem Min: Con: Religionem & filialem Ord: Obseru: ad sensum vsq; notæ producuntur, & aliæ plurimæ, tùm fontalis, tum deriuatæ originis, produci possunt, tot & tantæ auctoritatis, quot & quantæ quælibet Mater, pro suæ ætatis prouectioris documento, producere possit in filiã à se progenitam, quæ à matre genus splendoremq; generis & dotem nacta, non potest vicissim absq; mendacio asserere, suam genuisse genitricem, nisi per fabulam vel ænigma adinstar illius. *Mater me genuit eadem mox gignitur ex me. Quam Mater genuit, generauit filia Matrem.*

4. His originarijs tum deriuatiuis extrinsecis differentijs breuiter præ̃ractis: descendendum est ad differentiam intrinsecam, velut essentialem & formalem, quæ Matricem Min: Con: Religionem, à filiali Ord: reformato quocunq; in accidentalibus modificationibus discriminat: & hæc differentia consistit præcisè & intrinsecè, in Obseruantia Regulari, accidentaliter modificantium vltimum & vnicum Votum paupertatis: quæ modificantia expressimus Art: 37. per totum. Clarũ enim est vt ibidem innuimus, Matricem Religionem Min: Con: conuenire cum omnibus filialibus Ord: Reformatis in substantialibus, & essentialibus votis, tum in omnibus modificantibus duo principaliora

vota

vota ſubſtantialia, obedientiæ & caſtitatis: tum in omnibus præceptis formalibus, vim præcepti habentibus, & æquipollentibus, exceptis ijs quæ accidentaliter modificantia paupertatis Votum concernunt, vel inter ea connumerantur, quæ vt ampliùs & clariùs innoteſcant, atq; intimiùs percipiantur, ipſaq; differentia formalis, inter originariam fontalem, & Matricem Religionem, atq; inter filialem & deriuatiuum Ord: Reformatum, quicunq; ille ſit immediatè ſiue mediatè à primitiuo deſcendens, completè cognoſcatur modificantia ſtatum vtriusq; diuerſificantia, taliter explicamus.

5. Differentia formalis inter Matricem Religionem, & filialem quemcunq; Ord: intrinſecè conſiſtit in ſolis accidentaliter modificantibus vltimum Votum eſſentiale paupertatis: & hæc differentia ſeu diſcrimen eſt duplex. Primum eſt penes totũ Ord: in Communi. Secundum eſt penes particulares perſonas vtriusq; Ord: tàm primitiui, quàm deriuatiui. Diſcrimen primũ quò ad Ordinem in communi eſt, quòd Ordines Minoritani Reformati, qui profitentur obſeruare Regulam S.F. in puritate absq; vllis Priuilegijs Apoſt: non poſſint habere in communi bona immobilia, cenſus, redditus, & cuiusuis rei proprietatem, pro cuius ciuili defenſione & conſeruatione, iuris actibus certandum extaret, neq; etiam poſſunt habere bona mobilia, quò ad dominium & proprietatem, ſed ſolùm ſimplicem vſum facti, ſecundùm Nicolaum III. & Clem: V: quorum Declarationes omnes Reformati in Ord: Min: obſeruare profitentur, vt ſe declarant Conſtit: PP. Obſeru: in cap: IV. Reg: §. 1. Matrix verò Min: Con: Religio, poteſt habere bona immobilia in communi, ex conceſſione antiqua multorum Summorum Pontificum relatorum Art: 31. & Art: 32. qui primitiuis Min: Con: hanc accidentalem modificationem, in Voto paupertatis in communi ſeruandæ remiſerunt: & bona ſtabilia, cenſus, redditus, cum omni iure per Procuratores exigendos, & repetendos, conceſſerunt. Paupertas enim in communi, non eſt de eſſentia Voti paupertatis eſſentialis, ſed dũtaxat eius modificatio accidentalis, rigorem accidentem non eſſentialem importans, vt oſtendimus Art: 26. n. 7. & Art: 37. n. 8.

& ſtri-

& strictior paupertatis status in modificantibus non potest inferre perfectiorem Ordinem vt ostendimus Art: 8. n. 20. Rursus Concil: Trid: Sess: 25. de Regul: cap: 3. cum omnibus Regularibus etiam ijs, quibus aut ex Constit: erat prohibitum, aut ex Priuilegio non erat concessum (exceptis Capucinis & qui de Obseru: dicuntur) vt diximus Art: 37. n. 14. & n. 15. Matrici Religioni Min: Con: indulsit, vt deinceps bona immobilia possidere possit; pari ratione cum alijs Regularibus bona in communi possidentibus, & cùm concedatur ei dominium & proprietas bonorum immobilium in communi, multò magis conceditur bonorum mobilium, cùm eadem Sess: cap: 2. idem Concil: præscribat Regulam, quâ Superiores Ordinum bona mobilia debeant fratribus particularibus concedere.

6. Ad propositum rectè Mastrius in Theol: Moral: Disp: 14. Q. 1. Art: 5. n. 40. aduertit inquiens. *Non repugnat Voto paupertatis, quòd Religiosi habeant bona in communi etiam immobilia, & ratio est, quia tale Votum solùm dicit abdicationem Dominij priuati bonorum temporalium.* Et hoc colligit ex Concil: Trid: loco supra cit: Quamuis enim maioris sit perfectionis in Religione nil habere proprium, nec in particulari nec in communi, vt probat Astesanus noster l. 6. cit: tit: 47. cap. 4. ex D. Gregor: Hom: 12. super Ezech: & ex D. August: de Doctrina Christiana l. 3. cap: 3. etiam ex illo quod Christus Dominus dixit Apost: Math: 10. *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam.* quibus verbis dicitur Dominus prohibere Apostolis (quos voluit maioris esse perfectionis) ne aliquomodo possiderent in communi, nec in particulari hæc temporalia. Nihilominus conueniunt Doctores & Patres habere bona in communi, non contrariari paupertati Religionis, nec paupertatem Euangelicam lædere, vel minuere: & oppositum damnatur a Joanne XXII. in Extrau: *Ad Conditorem.* & in Extrau: *Inter nonnullos de verb. sig.* & illud asserentes habentur tanquam hæretici in Direct: Inquis: Q. 17. & 18. vt refert Joannes Cruz lib: 1. cap: 4. dubio 2. Imò dicunt aliqui hanc fuisse paupertatem ab Apostolis seruatam, qui habebant bona in communi, quod colligunt ex Act: 2. v. 44. & 45. *Omnes etiam qui cre-*

debant erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Et ex eo quod legitur Joan: 22. *Quòd Iudas habebat loculos, in quibus ea seruabat quæ mittebantur.* & Joannis 4. *quòd discipuli intrabant ciuitatem Samariæ, vt emerent necessaria.* Hæc ex discursu loco cit: Mastrij qui conuenit cum Lezana QQ. Regul: cap: 6. n. 5.

7. Secundum discrimen penes particulares personas, vtriusq; tàm primitiui quàm deriuatiui Ord: persistens est, quod Minores ex Reformatis, qui profitentur cum omnigeno puritatis rigore Regulam seruare, ad omnia præcepta tenentur, quæ innuimus Art: 34. n. 6. per Declarationes Nicolai III. & præcipuè Clem: V. exposita (nisi per particulares Constit: Ordinis alia peculiaria Priuilegia & Declarationes habeant) Originarij autem Fratres Min: Con: in particulari à multis illorum eximuntur, nimirum ab ijs, quæ arctissimam paupertatem concernunt: Nam ex eo quòd illis concessum sit a Sede Apost: vt habeant proprium in communi, exempti sunt à paupertate Euangelica arctissima, & reducti ad paupertatem Euangelicam minùs arctam, quam seruant pariter cum illis cæteri Regulares, possidentes bona in communi, ad imitationem Saluatoris, quò ad illud quod legimus habuisse loculos, & eleemosynam fecisse: & ideò eximuntur ab omnibus illis præceptis Regulæ, quæ spectant ad modificationem Voti paupertatis. Hinc illa duo præcepta paupertatem modificantia 4. & 6. cap: Reg: quibus S. F. modificans paupertatis Votum, præcepit Fratribus uniuersis, vt nullo modo pecuniam reciperent, per se & per interpositam personam. Et quòd fratres nil sibi appropriarent, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: non stringunt Fratres Min: Con: in particulari, nam cùm habeant bona stabilia, census & redditus annuos in communi, exinde Fratres particulares habent res proprias, domus, loca &c. in communi, & consequenter habere possunt pecuniam & recipere per se, & per interpositam personam, vt patet de Ministris, Procuratoribus, & alijs Monasteriorum Officialibus, per quos mediante pecunia res necessariæ & obuenientes, prout necessitati viderint expedire, emuntur, venduntur, & contractantur, exiguntur, vel acquitun-

quiruntur, quia ex Concil: Trid: Sess: 25. cap: 2. administratio bonorum Monasteriorum, ad solos Officiales spectat: quod reformatis non conceditur.

8. Ex eadem concessione Apost: sequitur etiam Fratres particulares Min: Con: eximi ab obligatione trium præceptorum, ex 2. cap: Reg: scil: quòd non possint portare calceamenta. Quòd non habeant nisi duas tunicas. Et quòd vilibus vestimentis induantur: ita, vt ea possint repetiare de saccis, & alijs petijs: Nam cùm hæc pertineant ad modificatiua paupertatis, quâ modificatione denotant arctissimam paupertatem, à qua primitiui Min: Con: per Priuilegia Apost: exempti sunt, consequenter etiam eximuntur ab huiusmodi modificationibus, arctissimam paupertatem eleuantibus, extremè enim mendici & in arctissima paupertate positi, est nudipedem incedere, viles & repetiatas de saccis & petijs vestes induere, duas tunicas dumtaxat & præcisè habere. Addi potest ex 3. cap: Reg: & 4tum præceptum scil: quòd extra necessitatem non debeant equitare, sed pedites tenentur semper incedere, à quibus vt modificantibus paupertatis Votum Matrix Religio Min: Con: quò ad fratres particulares per Priuilegia Apost: extat emancipata & exempta, licet equitationem cum limitatione dispensatam obtineat, monentibus Constit: Vrb: in cap: 3. Reg: Tit: 20. n. 17. *Cum iunioribus autem non facilè dispensetur.* Horum modificantium Votum paupertatis per Priuilegia Apost: remissio, præbuit causam in primitiuo Ord: Min: Con: scaturiginibus Reformationum, post mortem B. P. F., quasi à principio Ordinis enixè repullulascentibus, prioribus occumbentib⁹, mox posterioribus renascentibus, vt reuoluenti recensum Ministrorum Gen: ad sensum patere potest.

9. Assignatur etiam aliud discrimen quò ad particulares personas, inter Matricem Ord: Min: Con: & filiales Ord: Min: Obseruantes, vel obseruare obligatos Regulam S. F. in puritate: quia hi Obseruantini, abdicant a se per Votum paupertatis, dominium & ius in rebus temporalibus, ita, vt neq; etiam per licentiam Superiorum suorum, possint recipere illud in res temporales: atq; ideò nedum dominium, & proprietatem liberam quam

 habe-

haberent, & habere possent abijciunt: sed etiam abdicant à se proprietatem & dominium, quod à Superioribus sibi posset concedi: ita quòd nolint etiam per licentiam Superioris, posse habere dominium, proprietatem & ius aliquod in rebus corporalib9, sed solùm retinent dominium, proprietatem & ius, quod à natura vnicuiq; est conueniens, & necessarium; cui nemo potest renuntiare tuta conscientia, quod est illud, quod quiuis habet positus in extrema, vel quasi extrema necessitate. Quilibet namq; ex filiali quocunq; Ordine, in particulari frater Minor, qui se dicit seruare Regulam S. F. in puritate, abdicat se quocunq; dominio & iure, quod habere posset in re siue in vsu rei, siue dependenter à se, siue dependenter ab alio, vt Superiore: & ideò etiamsi Superior vellet licentiam concedere huiusmodi fratri Obseru: vt haberet dominium & ius in aliqua re, vel vsu alicuius rei, non posset illud recipere, quia in Voto suæ paupertatis, promisit se non velle acceptare ius & dominium alicuius rei, & vsus eius, etiamsi dependenter à suo Superiore sibi concederetur.

10. Matrix autem Religio scil: Min: Con: cum alijs Regularibus bona stabilia in communi possidentibus (nam eadem est ratio de Conuentualibus & alijs Regularibus, quia Conuentuales simul cum illis redacti sunt per Priuilegia Apost: ad communem modum viuendi, quò ad essentialia Vota & alia multa vt videbimus) Quò ad fratres particulares, de licentia suorum Superiorum, possunt accipere dominium & ius in rebus temporalibus: licet ex propria libertate & independenter à voluntate suorum Superiorum, non possint illud recipere: cùm retinuerint sibi dominium & proprietatem, dependenter à libera alterius, vt Superioris voluntate: ita, vt per se quidem & independenter, nolint posse habere dominium, proprietatem, & ius in rebus temporalibus: tamen non volunt nec intendunt prohibere sibi, ex licentia ab alio, à quo dependent vt à Superiore. Et hanc differentiam intrinsecam, quò ad fratres particulares, inter Matricem Religionem Min: Con: (qui ex Priuilegijs Apost: facti sunt in Voto paupertatis alijs Regularibus bona stabilia in Communi possidentibus per omnia similes) & inter filiales Ordines Regulam S. F.

quò

quò ad Votum paupertatis, in ſua puritate obſeruare obligatos, apertè ſuſtinet & defendit Faber Fauent: tract: de Reſt: lib: 4. diſt: 15. q 2. Diſp: 45. cap: 2. n. 48. & cap: 4. n. 90. & 91.

11. Pro huius opinionis intelligentia notat Faber cit: n. 90. quòd ſecundùm modum dicendi Doctorum: Religioſus in Voto paupertatis, primò ſe abdicat dominio rei corporalis, quæ eſt facultas libera, diſponendi de re illa ad libitum, & independenter ab alio: ſiue eam conſumendo, ſiue vendendo, vel donando, mutuando, oppignorando; vel aliquo alio modo eam contractando. Secundò ſe abdicat vſu fructu, proprietate, poſſeſſione, adminiſtratione, & vſu rei, prout iſta ſunt iuris, & retinet ſibi ſolùm vſum facti ſimplicem, vt docet Nicolaus III. in Decret: quæ incipit: *Exijt.* qui tenet dominium, proprietatem, poſſeſſionem, vſum fructum, & vſum iuris poſſe ſeparari ab vſu facti ſimplicis. Porrò dominium eſt facultas libera, ſeu poteſtas faciendi de re ſicut ſibi placet, independenter ab alio: & ſi alius à domino de ipſa re faciat, contra voluntatem domini, eam accipiendo, detinendo, vſurpando, tunc competit actio domino in iudicio ipſam rem repetendi & vendicandi. Poſſeſſio addit ſupra dominium, quòd non impediatur ab alio in dominio huius rei quam poſſidet. Proprietas ſuperaddit, quòd dominus rei non habeat ſecum parem in poſſidendo, rem illam propriam: Et proprietas ſtrictiùs ſe habet quàm dominium, quia dicitur tantùm de dominio pleno, quod complectitur dominium directum & vtile, vel ſaltem dicitur de dominio directo; de dominio tantùm vtili prout eſt vſus fructus, nunquam dicitur. Vſus fructus, eſt ius alienis rebus vtendi, & fruendi, ſaluâ illarum ſubſtantiâ. Vſus iuris, eſt ius ſeu poteſtas rebus alienis vtendi, pro ſe tantùm & ſua familia, & non poteſt fructus illius rei alteri donare, & ad placitum diſtrahere: nec ius ſuum alteri donare, & hoc differt vſuarius, ab vſu fructuario. Adminiſtratio, eſt ius diſponendi de re alieno nomine: Hinc communiter dicitur, quòd Religioſi profeſſi per Votum paupertatis liberè priuant ſe dominio, poſſeſſione, proprietate, adminiſtratione, vſu fructu, & vſu iuris, & ſolùm ſibi retinent in particulari vſum nudum facti in rebus corporalibus quas poſſident, conſumunt, & contractant.

12. Verùm quia doctrina illa Nicolai III. non pertinet ad fidem, neq; adhuc aliquid est determinatum circa hanc quæstionem: an Religiosi professi in Particulari, in vsu facti habeant annexum dominium & ius (dependenter tamen ab alio) nec ne? sed circa hanc rem adhuc sub iudice lis est: vnde si quis teneat cum Ioanne XXII. in Extrau: quæ incipit. *Ad Conditorem*. quòd dominium & proprietas sit inseparabilis ab vsu facti, possumus dicere quòd Religiosi per Votum paupertatis, non abdicant à se quamcunq; proprietatem & dominium, retinendo sibi solùm simplicem vsum facti, sed possemus dicere quòd retinent dominium & proprietatem iuris, nedum in vsu fructu, administratione, possessione, & vsu rerum, sed etiam in substantia rei, ita quòd Religiosus possit disponere de substantia rei sibi concessa, eam alienando donando & contractando, habetq; ius in ea & vsu fructu, eius administratione, possessione, & vsu rerum omnium sibi concessarum. Sed differenter ab eo qui non habet Votum paupertatis, quia hic habet dominium & proprietatem liberam, ita, quòd pro libito suo prout ipsi placet potest disponere de re, eam consumendo, alienando, liberè & quouis modo contractando. Sed professus Votum paupertatis, non habet dominium liberum & absolutũ super substantiam rei, neq; super vsum fructum, administrationem, possessionem, & vsum rei sed dependenter à voluntate alterius scilicet Superioris, qui ad nutũ & sine eius iniuria potest eum priuare substantiâ illius rei, vsu fructu, possessione, administratione &c. Ita Faber loco cit.

13. Ex hac præcedenti doctrina, infert Faber totalem differentiam quò ad personas particulares inter Min: Con: secundùm Priuilegia Apost: viuentes & Minores Obseru: Regulam S. F. secundùm Declarationes Nicolai III. & Clem: V. profitentes: quia primi cum cæteris Regularibus bona in communi possidentibus, abdicant se tantùm proprietate & dominio: quod à libera eorum voluntate prouenire posset, sed retinent dominium & proprietatem dependenter, à libera alterius vt Superioris voluntate & concessione. Secundi autem abdicant se nedum dominio, iure & proprietate libera, quam habere possent, sed etiam

abdi-

abdicant se dominio iure & proprietate, quæ à Superiore sibi posset concedi: & retinent tantum dominium, proprietatem, & ius in rebus corporalibus, quod à natura vnicuiq; homini est necessarium: & hoc ius est, quod quicunq; habet positus in extrema vel quasi extrema necessitate. Hanc differentiam agnoscunt cum Nicolao III omnes PP. Obser: vt Gilbert' Nicolai in suo Pastore par: 2. Radio 4. inquiens: *Tantùm habet ius auis in grano quod comedit, quātùm Fr. Minor* (supple Reformatus) *in pane vel cibo quem manducat.* Hoc idem tenet perigrinæ fidei Auctor Petrus Marcha: in Expos: Reg: pag: 193.

14. Hinc subdit loco cit: Faber. *Nam sustinendo, quòd dominium & proprietas sit inseparabilis à dispositione substantiæ rei de facto ab vsu fructu & ab vsu facti, vt vult Joannes XXII. remanet differentia solùm penes libertatem vnius, & alligationem alterius ad voluntatem Superioris. Et hoc idem habent dicere Bellar: lib: 4. de Romano Pontifice cap: 14. & Molina de Iustitia Tract: 2. cap: 6.* (adde & illos auctores quos citat & sequitur Wad: ad annum 1322. n. 57.) *Dum dicunt dominium rei non esse, posse destruere rem quocunq; modo, sed posse liberè & independenter eam quandocunq; & quomodocunq; destruere & consumere. Quantùm ergo ad rem nulla est differentia, sed quò ad modum declarandi rem. Et certè opinio Ioannis XXII. mihi probabilior videtur, & in eam inclinat Scotus, & reuera Ioan: XXII. rationes videntur efficaces, certum enim est, quòd nemo dat, quod non habet, & quòd nemo potest transferre dominium & ius in alium, quod ipse non habet. At Religiosus de licentia Superioris donat, vendit, contractat res corporales & eas consumit: ergo si in hac administratione, contractione, non habet nisi proprietatem & dominium facti, non potest transferre in aliū, nisi dominium & proprietatem facti, non iuris quod est absurdum, similiter cùm vsu fruitur, vtitur, & consumit res vsu consumptibiles, non esset iustus vsu fructus, & vsus, quia esset sine iure, quæ omnia sunt falsa.*



ARTI-

ARTICVLVS XLV.

In quibus rebus temporalibus & quantum dominium, ius, Primicerius Min: Con: Ordo habere potest: quò ad particulares Fratres.

1. LIcet ex præc: Art: qualitas dominij, quòd in particulari Minores Con: tum alij Regulares bona in Communi possidentes (insimul differenter tamen) etiam filialis Ordo Obseru: habere possunt, clarè cuiquam innotescere potuerit: quia tamen res in quibus tale dominium dependens & ab alio concessum haberi possit, sunt perplexæ, maximè secundùm ius nouum. Proinde in præsenti Art: hæc præstare nobis superest, incipiendo à rebus seu peculio, supra quod dominium seu ius concedi possit particularibus Fratribus in primicerio Ord: Min: Con: nam de rebus & peculio Ord: filiali Obser: in particulari concessibili sequentibus Art: pertractabimus. Et quidem cit: Faber cap: 5. num: 97. rem seu peculium particularium Religiosorum definit. *Peculium, est pusilla aliqua pecunia, vel aliqua pusilla res pecuniâ æstimabilis distincta à pecunia, & re magna Monasterij & Conuentus.* Atq; deinceps cum Doctoribus distinguit duplex peculium: Primum quod est proprium quò ad verum, absolutum, atq; independens dominium & veram proprietatem, qualem habent sæculares. Peculium enim & proprium, pro eodem sæpè à Doctoribus accipiuntur, & hoc peculiũ iure antiquo fuit prohibitum. Alterum peculium est, quod conceditur Religioso particulari dependenter a suo Superiore & ad nutum eius reuocabile: etiam boni stabilis & annui redditus, & hoc peculium iure antiquo omnibus Religiosis particularibus bona stabilia in communi possidentibus concedi poterat, iusta causa vrgente.

2. Per bona autem stabilia seu immobilia intelliguntur nõ solùm ea quæ fixam habent radicem, vt sunt fundi, prædia, domus, vineæ, prata, sed etiam iura fructifera, ad recipiendos annuos redditus, census. Tum omnia iura & actiones ad aliqua faciendum

dum

dum vel recipiendum quæcunq; bona siue mobilia siue immobilia, tum etiam seruitutes & similia bona quæ incorporalia dicuntur, ita cum Abbate Suarez ex iure deducit & refert Lezana tom: 2. cap: 19. n. 3. Et hæc de iure nouo, scilicet Concil: Trident: & Const: Summorum Pontif: particularibus fratribus Superiores concedere non possunt, vt Concil: Trident: Sess: 25. cap: 2. statuit his verbis: *Nemini Regularium liceat bona immobilia vel mobilia cuiuscunq; quantitatis fuerint, etiam quouis modo acquisita tanquam propria, vt etiam nomine Conuentus possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur & Conuentui incorporentur.* Illa enim particula adiuncta *etiam nomine Conuentus*, denotat, nè Conuentum ipsum totum etiam cum suo Superiore posse talē licentiam concedere. Illud autem aliud adiunctum *sed statim ea Superiori tradantur & Conuentui incorporentur* denotat, quòd sine vllo discrimine & distinctione peculij cum bonis Communitatis Conuentûs misceantur & confundantur bona quæcunq; siue mobilia siue immobilia. Deinde intentum Concil: Trident: fuit extirpare abusus qui committebantur ab aliquibus Religiosis particularibus ante Concil: Trident: ex hoc præcisè, quia habebant peculium siue annuos redditus & administrationem bonorum stabilium ad vtilitatem & commodum sibi seruientium, cum dependentia tamen & amouibiliter à voluntate suorum Superiorum: non enim hæc haberi prohibebat independenter à licentia Superiorum & contra voluntatem eorum, quia hoc semper est & fuit euidenter peccatum proprietatis, ergo præcisè prohibebat nouo iure particularibus Religiosis nè haberent peculium vel annuos redditus, aut aliqua bona stabilia etiam dependenter à Superioris voluntate, nè ex tali peculio habito, similes abusus, vt ante Concil: Trident: oriebantur, deinceps nascerentur: Vnde Concil: adiunxit: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad vsum fructum, administrationem vel commendam*, quasi diceret: Si ante Concil: Trident: hoc licebat antiquo iure, modò non licet in nouo antiquum corrigente.

3. In hoc explicato sensu Concil: Trident: intelligunt & obseruari ab omnibus Regularibus præcipiunt Summi Pontif:

Clemens VIII. & Vrbanus VIII. in Decretis pro Reform: Reg: ſancitis, quæ approbata & innouata fuerunt à Sacra Congregatione Concilij auctoritate Vrbani VIII. vt refert Lezana QQ. Reg: tom: 1. cap: 6. n. 8. his verbis. *Neq; Superioribus quicunq; illi ſint vllo pacto liceat eisdem fratribus, aut eorum alicui, bona ſtabilia etiam ad vſumfructum vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam, etiam depoſiti aut Cuſtodiæ nomine concedere.* & infra. *Nulla quæcunq; diſpenſatio, nulla licentia, quantùm ad bona immobilia vel mobilia; fratres excuſare poſſit, quominùs culpæ & pœnæ ab eiusdem Concilij Decretis impoſitæ, & ipſo facto incurrendæ obnoxij ſint, etiam ſi Superiores aſſeuerent huiuſmodi diſpenſationes aut licentias concedere poſſe, quibus in ea re fidem maximè adhiberi volumus.* Refert etiam Lezana cit: n. 14. Declarationes S. Congregationis quæ obligant ſub peccato mortali, vt tenet Roder: & probat tom: 1. Q. 11. Art: 2. & ſpecialiter Minores Con: obſeruare tenentur ex Conſtit: Vrb: in cap: 1. Reg: tit: 7. n. 1. Præfatæ ergo Declarationes, dum quærebatur an ex diſpenſatione inferiorum à Summo Pontif: liceat Regularibus poſſidere vel tenere agros, annuos redditus, aliaq; bona, immobilia videlicet & mobilia ſuperflua, non obſtante Decreto Concilij Seſs: 25. cap: 2. Reſponſum dedit non licere, adijciens ſecundùm hanc diſpenſationem ſeu ſcientiam Superiorum, poſſidentes vel tenentes immobilia vel mobilia ſuperflua, neq; à culpa neq; à pœna excuſantur: & declaratum fuit Superioribus aſſerentibus huiusmodi licentias ſe poſſe concedere, fidem minimè adhibendam eſſe.

4. Quantùm verò ad peculium bonorum mobilium attinet, licet Superiores Religioſis particularibus non poſſint ea concedere vt propria: ſcilicet, vt eis pro libitu ſuo vtantur, tanquam veri domini, proprietarij & independentes, poſſunt tamen eis mobilia concedere, cum dominio & iure ſecundùm ſententiam Joannis XXII. dependenter & amouibiliter à voluntate alterius vt Superioris. Et Concil: Trident: ſeſs: 25. cap: 2. hoc peculium bonorum mobilium concedit inquiens: *Superiores mobilium vſum ita Regularibus permittant, vt nihil ſuperfluum ſit, ſed nihil neceſſarium denegetur.* Proinde Faber cit: n. 109. inquit: *Secundum eſt quod non repugnat iuri antiquo, neq; nouo, nec Concilio Trident: conſuetudo illa quarun-*

quarundam Monialium & etiam Virorum, qui dum professionem faciunt, præter dotem Monasterio datam, reseruant aliquam bonorum particulam à parentibus vel alijs propinquis acceptam Superiorum consensu, & retinent ad suos vsus necessarios, quam in singulos annos possint insumere Talis enim bonorum portio tradi solet cuidam Moniali, quæ tanquã administra & depositaria solet Monialium similes portiones habere, vt cuiq; pro earum indigentia distribuat. Ratio huius nulla alia esse potest, nisi illa, quia bona conceduntur illi Moniali, tanquam peculium à Superiore ad suos honestos & necessarios vsus, per Ministrum publicum ministrandum. Postmodum idem Faber sub n. 110. inquit: *Deducit etiã Azorius eodẽ loco q. 7. eam consuetudinem, quæ alicubi seruatur. Nimirum Monasterium præbet solummodò victum Monialibus ea lege & conditione, vt pro vestitu sibi sumant, quæ proprio labore & industria sibi comparant, aut aliorum donationibus nanciscuntur, tutà conscientià seruari posse, etiam post Concil: Trident: & post Constit: Clementis VIII. (patet enim Azorium loqui secundùm ius nouum Concil: Trident: non autem præcisè secundùm ius antiquum ante Concil: Trident.* Tandem prosequitur sub n. 111. cit: Faber. Hæc consuetudo maximè viget in Ordine nostro Min: Con: nam in omnibus ferè Conuentibus exceptis ijs, qui in quibusdam regionibus maximè Vltramontanis locati sunt, Monasterium præbet tantùm victum & valde quidem tenuem, pro vestiario verò nihil vel admodùm parum, quod certè ad necessarium & honestum pauperem vsum non sufficit. Superiores autem concedunt, vt vnusquisq; proprijs laboribus, vel aliorum donationibus pro vestitu & reliquis indigentijs prouideat sibi. Et hæc licentia non solùm est tacita (cùm ipsi Superiores non prouideant de sibi necessarijs, sed sinãt eos se exercere & laborare pro indigentijs Comparandis) sed expressa, dum sæpe fratribus petentibus aliquid sibi necessarium respondent, Conuentum non posse illis suffragari vel non consueuisse. Hæc Faber loc: cit.

5. Neq; tale peculium annuatim Religioso particulari proueniens & cõcessum, potest dici annuus redditus & census, prout hæc inter bona stabilia connumerantur, & à Concil: Trident: vti iure nouo particularibus Religiosis etiam de licentia suorum Superiorum concedi prohibentur. Sed dictum peculium est illa su-

pellex mobilium, quam ſtatui paupertatis conuenientem Concil: Trident: particularibus fratribus dari permittit, quia talis prouentus annuatim particulari Religioſo proueniens, vt dicit Roder: Q. Reg: tom: 3. Q. 29. Art:12. eſt de paruis Monaſterij redditibus vitalicijs, & de bonis Monaſterij, quæ bona Monaſterij ſunt quò ad proprietatem & vſum fructum, eiq; incorporata, *quamuis ſint deſignata ad certas neceſſitates & pias cauſas particularium Religioſorum.* Pari ratione ſicut alia bona eiusdem Monaſterij ſolent deſignari, tum ad neceſſitates communes, tum etiam ad particulares prout vnicuiq; opus eſt in particulari. Hanc ſententiam etiam tenet Panormitanus in cap. *Cùm ad Monaſt: de ſtatu Monach:* inquiens: *Satis licitam eſſe Conſtitutionem vel conſuetudinem, quâ Religioſis certum quid annuũ, pro annuo veſtitu traditur.* quod etiam tenet Deci⁹. Neq; huic ſalutari conſuetudini obſtant Decreta, tum à Concil: Trident: Clemente VIII. & Vrb: VIII. tum à S. Congreg: lata, quæ ſupra n. 2. & 3. recenſuimus. Tum quia hoc peculium pecuniarium particulari fratri conceſſum, non eſt de bonis ſtabilibus vt nunc diximus, ſed de bonis mobilibus, quæ particularibus fratribus pro eorum neceſſitatibus, etiam per dicta decreta non ſolùm permitti & dari debeant, ſed etiam denegari non poſſint. Licet ergo præfata Decreta ordinent, vt bona Religioſi cuiuscunq; incorporentur Monaſterio, & confundantur cum bonis Conuentus, & illorum adminiſtratio per ſolos Officiales Monaſterij exerceatur, nihilominùs vt cit: Faber n. 133. hanc incorporationem & confuſionem de præcepto dictorum Decretorum, ſub peccato letali particulares Religioſi præfatum peculium ſibi conceſſum habentes, ſeruare tenentur. Quantùm verò addit cit: Faber ad diſtributionem eorundem bonorum, per publicos Officiales tantùm & exactam & perfectam communitatem *cadunt ſub exhortatione & vehementi animi deſiderio, non quòd intendant obligare ſub pœna peccati.* Nam vt dicit idem Faber ſub n. 130. *Inſtituere autem Officiales in ſingulis Monaſterijs, qui pro particularibus expendant ad neceſſarios vſus, qui quotidie in hac miſera vita accidunt, cùm non adeſt vna maſſa communis, ex qua ſingulis neceſſaria miniſtrentur, eſt valde difficile vt experientia patet. Vnde huiuſmodi inſtitutiones pa-*

rum

rum perseuerant, & Ministris & Superioribus Stomachum faciunt.

6. Sed maximè Constit: Nostræ Vrb: hoc peculium particularium Fratrum approbant in cap: 4. Reg: tit: 8. n. 1. hæc sancientes: *Particularium fratrum eleemosynæ & pecuniæ, propriâ industriâ vel alio quolibet modo, ex quibusuis tum manualibus tum literarijs exercitijs acquisitæ, & per Conuentûs Officiales vel (si id commode fieri non poterit) per seipsos receptæ, in communi Conuentûs ærario asseruentur, ex ijsq; vestiarium & reliquæ omnes religiosæ necessitates, ipsis suppeditentur; quòd si huiusmodi pecuniæ & eleemosynæ non sufficiant, ex redditibus Conuentuum fratrum indigentijs applicatis suppleatur.* Et hoc peculium pecuniarium pro subleuandis particularium Fratrum necessitatib⁹ concessū & designatū, in dicto ærario seu deposito præfatæ Constit: nolunt confundi physicè, sed distinctū pro quocunq; particulari fratre seruari, vt cit: loco n. 4. ordinant in hæc verba: *Quòd si occurrat Fratres ante Capitulum è Concionibus redeuntes, suarum eleemosynarum pecunias ad Superiores (uti tenentur deferre) communiq; deposito præsentare. Superior vt diligenter vsq; ad peractum Capitulum asseruentur, sedulò curet, eo verò peracto, si Fratres alio de familia profecturi fuerint, ipsismet reddantur, eò quò proficiscuntur deferendæ. Factâ proinde atq; ad illum Conuentûs & loci Superiorem vbi is de familia degere debet transmissâ seu statim transmittenda, & pecuniarum ipsarum & aliarum quas defert singularum rerum, distinctissimâ notulâ.* Ex quibus manifestè agnoscitur Ecclesiam per confusionem & incorporationem cum bonis Monasterij, bonorum maximè mobilium, per particulares fratres pro suis necessitatibus particularibus acquisitorum, eam specialiter intendit, quæ fit & exercetur in dominio & proprietate cum bonis Monasterij, & in dispositione vnius voluntatis Superioris, cùm quibus præfata bona particularia moraliter confunduntur & incorporantur.

7. In his præfatis rebus temporalibus hucusq; recensitis & explicatis, Ordo primicerius Min: Con: cum cæteris Regularibus bona in communi possidentibus, quò ad fratres particulares, qui habent ius & dominium dependenter à voluntate suorum Superiorum, illis concessum secundùm sententiam Joannis XXII. vt Art: præc: n. 10. ostendimus. Et hoc absq; nota relaxationis essentialis in Voto paupertatis, vt probatum est Art: 33. n. 7. Hoc

autem ius & dominium, quod fratribus particularibus conceditur, ab aliquibus appellatur, ius ad vsum, siue vsus iuris, communiter dicitur vsus simplex facti: quia non importat vsum iuris irreuocabilem cum absoluto & independenti dominio, ita, quòd fieret illis iniuria, si à tali vsu impedirentur. Sed importat tantùm vsũ iuris, id est actum vtendi iuridicum, qui fit licitè & cum legitima potestate à Superiore illis concessa, quæ potest vocari dominium & ius dependens, quo facto omnis actus vtendi iuridicus, dicitur vsus iuris, & non tantùm vsus simplex facti: qualis est ille actus quo fur comedit panem furto sublatum, ab omni iure denudatus. Neq; ex tali iure vtendi inquit Mastrius in Theol: Moral: Disp: 3. Q. 1. Art: 1. n. 12. *Potest inferri dominium in rem vel eius vsum, quia ad dominium rei propriè dictum, non sufficit quòd alicui liceat & ex legitima potestate sibi à Superiore concessa, rem aliquam consumere, sed requiritur quòd liceat ei eam quocunq; modo, & quandocunq; ei videtur, liberè & independenter consumere, hoc enim est propriè dominium, & ideò cùm aliquis non potest rem sibi donatam ad libitum consumere, sed solùm cum licentia Superioris & semper dependenter à Superiore vel ab alio, ille propriè dominium non habet, nec rei nec vsus illius, licet potestatem habeat vsu consumendi rem illam, quia non potest ad libitum consumere, & licet ius ad vsum talis rei habere dicatur, quia tamen ad nutum Superioris vel concedentis reuocabile est, non dicitur vsus iuris sed facti, ad distinctionem vsus iuris qui reuocabilis est, cuiusmodi est vsus iuris de quo iura loquuntur.*

8. Pro corollario aduerte Dominium & ius dependens quò ad donationem rerum concedi Religiosis, non solùm iure antiquo sed etiam nouo, ita Faber cit: n. 95. quod probat per Bullam Clementis VIII. *Religiosæ Congregationes.* in qua conceditur Religiosis cum licentia sui Superioris in aliquo casu donare posse: eandem concessionem nostræ Const: Vrb: in 4. cap: Reg: tit: 2. n. 2. assumpserunt sic sancientes: *Circa munerum verò largitiones tàm de bonis Conuentuum & locorum quàm de particularium Fratrum eleemosynis Sacr: Congr: Apost: Visit: Decretum &c. seruandum erit.* Vbi apertè approbatur peculium particularium fratrum, de quo supra n. 6. Porrò cit: Faber de donatione rerum præfata subdit:

Ratio-

Rationabile est autem credere eas esse tanti valoris, vt pertingat ad valorem rei, cuius furtum sit peccatum mortale, quia res quæ non excedit valorem huiusmodi, non potest esse satis, vt pro munere aliquo largiendo Superiori vel benefactori idonea reputetur. Concedit etiam pro pauperum indigentijs, seruato charitatis ordine, de licentia & consilio Superiorum, posse Religiosum aliquid erogare: ergo in omnibus his requiritur dominium & ius, alioquin non esset iusta donatio, translatio dominij. Idem dominium dependens in donatione intercedens, per dispensationem concessit Nicolaus III. Ordini Obser: seu Reformato, de quo Art: 47. n. 3. dicimus. Vt enim citatus Faber conciliando Nicol: III. cum Joanne XXII. docet omnem vsum facti rectum, non posse denudari, aut à Dominio & iure absoluto, aut à Dominio & iure dependenti, aut à Dominio & iure naturali, & vsus facti, qui ab istis tribus dominijs seu iuribus est denudatus, estq; purè simplex, & nudus absq; omni iure, & dominio: est vsus facti iniquus, vt est vsus rei furto ablatæ quo vsu vtitur fur rebus alienis, absq; omni iure & Dominio denudato.

ARTICVLVS XLVI.

Vbi decem vsus quos Paupertas Reformata auersatur enumerantur. Primi vsus; Termini Denariorum, Pecuniæ, Amici spiritualis, Necessitatis explanantur. Sententia de Syndicis aperitur.

1. DEducto iam in quibus rebus temporalibus & quale dominium atq; ius primicerius Ordo Min: Con: habere possit: Superest vt de latitudine rerum temporalium seu peculij, ac eius vsu in filiali Ord: seruando, ad mentem Pontificum disseramus. Et quia S. Franc: voluit in rebus temporalibus habere tantùm simplicem vsum facti, cum solo iure & dominio naturali, consequens est, quòd voluerit etiam eas res temporales, tum pauciores tum viliores esse illis rebus, quæ conceduntur ad vsum alijs Ordinibus Regularibus per Priuilegia Apostolica, bona in communi possi-

possidentibus quò ad particulares fratres. Alioquin si vtrobiq; adæquarentur sibi particulares FF. in rigore paupertatis: iam paupertatem rigidam profitentes, non essent pauperiores cæteris eam non profitentibus; quia ex Causa 11. Q. 3. cap: 72. *Pauper.* Paupertas ex non habere commodum iudicatur, vnde ille pauperior dicitur, qui minus commodum habet, hinc si filialis Ordo Obser: tot res ad vsum sibi in particulari concessibiles, dominio tantùm naturali subiectas haberet, quot & alij Ordines dependenti dominio gaudentes, non haberent minus commodum ex sua altissima & arctissima paupertate.

2. Hanc ob causam S. P. Franciscus cum fratribus suis particularibus fuit enixè rigidus & parcus; in cibis & potibus, vestimentis, locis, domibus, Ecclesijs: earum apparatu & alijs vtensilibus: ita seuerus, vt nollet de eis sumere nec à fratribus particularibus sumi, nisi illud ad summum, quod ad extremam vel quasi extremam vitæ huius necessitatem, erat necessarium: Vnde habitâ mensâ pauperrimâ, quod supererat, statim volebat dari pauperibus, nec aliquid seruari: Si videbat aliquem pauperem habentem vestem magis laceram suâ: cupiebat illam in suam permutare: Si aliquando cibus videbatur sibi aliquantùm delicatus, miscebat cinerem ne esset sic delicatus: quia volebat de cibo illud tantùm, quod sufficeret ad seruandum se pro illo tunc in vita. In domibus vltra extremam vilitatem nolebat vllum titulum, qui haberet speciem dominij: Sed volebat ipse cum suis fratribus particularibus esse in hoc mundo, tanquam peregrinus & aduena, eos extra ius sustentationis indiuidualis nihil superfluum habere volebat: Vnde referente Rodul: fol: 9. b. dicebat. *Mendicare aliquid superfluum, esse speciem furti.* & S. Bonau: cap: 7. legendæ S. Franciscum cuidam fratri, pro futura necessitate aliqua reseruare cupienti, hæc dixisse refert. *Malo te altare Virginis gloriosæ nudare; cùm necessitas id requirit, quàm contra paupertatis Votum & obseruantiam Euangelij, aliquid vel modicum attentare. Gratiùs enim habebit Beata Virgo Sancti Euangelij perfectè seruato consilio, suum altare detegi, quàm altari suo ornato, filij sui promissum consilium prætermitti.*

3. Et quia nemo iudicare vel iudicari debet de mortali peccato

cato in aliquo facto, nisi vbi constat quòd tale factum sit contra legem Dei, vel ordinationem suæ Ecclesiæ, vel opinionem concordem DD. Theolo: Hinc FF. Minoribus Reform: rigorosam cum suis accidentibus paupertatem profitentibus, secundùm ordinationem & declarationem Ecclesiæ ab eis professam, sub pæna mortalis peccati hæc inferiùs posita prohibentur. *Primò* vsus Denariorum & Pecuniæ ex cap: 4. Reg. *2dò.* vsus calceamentorum. *3tiò.* vsus vestimentorum pretiosorum. *4tò.* vsus equorum. *5tò.* vsus Procuratorum. *6tò.* vsus Reddituum annuorum. *7mò.* vsus Assistentiarum curialium. *8uò.* vsus sumptuosarum Ecclesiarum atq; ædificiorum excessiuorum. *9nò.* pretiosorum Ornamentorum Ecclesiasticorum. *Decimò* exequendorum Testamentorum seu vltimarum voluntatum. Imprimis Denarij significant secundùm 4. Magistros & S. Bonau: pecuniam numeratam, prout est instrumentum & mensura emptionis per impressionem auctoritate publica instituta. Pecunia significat omne illud, quidquid ex intentione datur, vel recipitur, vt per ipsum aliquid ematur vel soluatur, quo denariorum loco vtimur. Hinc denarios facit impressio, sed pecuniam facit intentio: Vnde res quarum vsum licet habere Fratribus Obser: puta pannum pro vestibus, calicem sacris litandis seruiendum, si pro vsu fratrum accipiantur, pecunia non sunt, si autem ea intentione vt distrahantur & vendantur, ac pro eis denarij accipiantur, vel locò denariorum pro alijs rebus ipsismet soluatur, pecunia sunt. Sic explicant denarios & pecuniam communiter DD. in iure vt Hermogenianus l. pecunia ff. *de verb: signif:* inquit. *Pecuniæ verò nomine non modò nummi, hoc est numerata pecunia, sed omnes res tàm solidæ quàm mobiles, & tàm corpora quàm iura continentur.* Et S. Bonau: in Expos: Reg: cap: 4. ait. *Dicitur pecuniæ vocabulo largè, quidquid temporaliter possidetur.* Vnde August: lib: de doctrina Christiana dicit. *Totum quidquid homines in terra possident, omnia quorum Domini sunt, pecunia vocatur, siue sit seruus siue ager. Alio modo dicitur pecunia strictè, quod est mensura commutationis rerum.* Et hoc vltimo modo accipitur pro denarijs, quia vt 4. Magistri cum Hugone inquiunt. *Pecunia dicit aliud quàm denarius.*

4. Cùm verò in 4. cap: Reg: ad recursum siue vsum denariorum vel pecuniæ, requiratur Amicus spiritualis. Hic talis ex Reg: dicend⁹ est, qui ex amore Dei & deuotione quã habet ad fratres dat, & datam siue per se siue per alium à se substitutum administrat pecuniam, pro necessitatibus Fratrum. Vnde sequitur quòd FF. Obseru: (quibus incumbit) recurrentes ad aliquem vt mediante pecuniâ det, emat, soluat eis aliquid vel aliqua quæ sunt ipsis necessaria, recurrunt ad Amicum spiritualem. Si verò recurrunt ad eum pro suis necessitatibus, non eo animo, vt mediante pecunia eas subleuet, licet talis, ea necessaria emeret pecuniâ, tamen non esset secundùm Reg. Amicus spiritualis, sed Benefactor seu Ordini deuotus: Et ad eiusmodi Benefactores seu Ordini deuotos, omnibus fratribus Obser: licitus est recursus pro impetrandis eleemosynis in specie, sed non pecuniarijs ad subleuandas eorum necessitates. Ad Amicos autem spirituales licitus est recursus Ministris tantùm & Custodibus, vt mediante pecuniariâ eleemosynâ pro infirmorum & fratrum induendorum necessitatibus (& ex ampliatione Nicolai III. etiam pro alijs in tempore occurrentibus) Amici spirituales ex sua pietate per se vel per alios dignentur prouidere pecuniam, in dictas necessitates erogando, soluendo, & emendo. Ad propositum Gilbertus Nicolai Obser: Serm: de 10. plagis paupertatis 2. part: dicit. *His diebus qui mali sunt, pauci sunt Amici spirituales, & proh dolor multi Guardiani dicuntur habere Amicos spirituales, qui habent thesaurarios Episcopales.* & infra. *quia soli denarij vel sola pecunia est, quæ facit aliquem dici Amicum spiritualem, sicut sola intentio vt dixi, in Religione Minorum facit pecuniam, & sola auctoritas Guardianorum in præcipiendo vel mandando & iubendo, quòd sic vel sic emat vel soluat, facit quòd de Amico spirituali fit Bursarius, locularius, vel Thesaurarius Episcopalis.*

5. Et cùm etiam in 4. cap: Reg: in recursu ad Denarios & pecuniam per Amicos spirituales, Necessitas nominetur his verbis. *Sicut necessitati viderint expedire.* proinde ex Declaratione Põtificia in Ordine Obseru: triplex tantùm Necessitas absq; peccato mortali est admissibilis. *Prima* dicitur præterita, quæ est de rebus præteritis, & tunc est, quando sunt soluenda debita, vel pro ædi-

ficijs

ficijs iam constructis, vel pro pannis emptis, vel pro medicinis, in curandis fratribus infirmis insumptis & huiusmodi: Nō enim licet fratribus Obser: etiam in necessitate pecuniam mutuo accipere, vt pro ea res necessaria soluatur, Nicolao III. in Decret: sua sic disponente. *Dicimus imprimis quòd fratres ipsi à mutuis contrahendis abstineant, cùm eis mutuum contrahere (ipsorum statu considerato) non liceat.* Sed cessantibus eleemosynis procurare debent res ipsas, & dicere creditoribus, *quòd per eleemosynas & alios amicos fratrum ad solutionem huiusmodi faciendam intendant, fideliter laborare.* Et occurrente Amico spirituali, atq; pro solutione huiusmodi eleemosynam pecuniariam liberè impendente, tum vt dicit Nicolaus III. *per se vel per alium non nominandum ab ipsis (scilicet fratribus) si fieri poterit, sed ab eo potiùs iuxta suum beneplacitum assumendum.* eam administrante, siue ergo hanc pecuniam consignet in manibus personæ a se ex beneplacito assumptæ, siue à fratribus præsentatæ, vt dicit Nicolaus III. *Liceat tamen fratribus suas necessitates insinuare ac specificare vel exponere Personæ prædictæ, ac eam rogare vt soluat.* hoc totum intelligitur de necessitate præterita, prout vult Nicol: III. §. *Cæterum.* & se declarat §. *Nota modum.* quem determinat his verbis. *Per quorumcunq; manus pecunia seu eleemosyna ipsa tractetur, siue personas, ab eodem vel à fratribus nominatas, totum suo consensu, voluntate, ac auctoritate procedat. Secunda.* Necessitas vocatur præsens, quâ actualiter fratres in præsenti premuntur, vt dum egent pane, potu, vel alia re, ita, vt non sit ampliùs tempus expectationis vlterioris; & in hac necessitate præsenti ex ampliatione Nicolai III. quam citauimus Art: 32. n. 16. licitus est recursus ad Denarios vel pecuniam, per Amicos spirituales paragend⁹:

6. *Tertia.* Necessitas est, quæ vocatur imminens seu ingruens, & est quando necessitas imminet de propinquo, & iam sentitur eius imminens pressura acsi inchoata, licet non sit actualiter adhuc in toto, vt quando murus minatur ruinam & huiusmodi. Hæc necessitas imminens seu ingruens duplex est: Alia quæ breui tempore expediri potest, neq; habet tractum temporis sibi annexum notabiliter prorogatum, vt coquere cibos pro prandio: parare cereos & eos accendere in Missis celebrandis. Alia est,

quæ ex qualitate sua tractum temporis habet annexum, & ex aliquibus circumstantijs non sic breui tempore expediri potest, & hoc vel ratione distantiæ locorum, quam expeditio necessitatis ipsius requirit, vel ratione conditionis ipsius necessitatis, quæ ex sua natura breui tempore expediri non potest, vt est erectio Ecclesiarum, Conuentuum materialium, & ædificiorum constructio: in hac tali necessitate ingruente, seruandus est modus pro necessitatibus præteritis à Nicol: III. præscriptus, §. *Nota modum.* Præterea in necessitate ingruente, quæ tractum temporis talem requireret, vt pecuniam a primo largitore oblatam per diuersas manus & personas deputatas oporteret transire, quarum notitiã ipse dominus principalis pecuniæ non posset habere: Subiungit Pontifex, vt in eo casu præter prædictos duos modos, in necessitatibus præteritis & ingruentibus inuiolabiliter obseruandos: Si præsto sit eleemosynæ huius largitor, expresse illi prædicetur à fratribus, quod per quorumcunq; manus seu personas, ab eo vel a FF. nominatas pecunia ipsa tractetur; totum suo consensu & voluntate ac auctoritate procedat, libera potestate pecuniam reuocandi vsq; ad conuersionem ipsius in rem deputatam penes Dominum remanente: quo assensum suum præbente, securè fratres iuxta modum annotatum, vti possint.

7. Ex his euidenter dignoscitur, quod Necessitas quarta pro futuro in Ordine Min: Obser: secundùm Reg: puritatem & Nicolai III. & Clementis V. Declarationem absq; culpa mortali non potest admitti: ita, vt *sub colore prouidentiæ pro futuro* non possit quidquam, siue ex liberaliter oblatis, siue ex humiliter emendicatis, vel per laboritium acquisitis, etiam apud Syndicos reseruari, vt custodiatur pro necessitatibus futuris; quæ sunt illæ, quæ de præsenti non sentiuntur, nec imminere de proximo videntur, sed imaginantur in veri simili, quòd in futuro sint euenturæ, & tantùm mouent hominem ad prouidentiam pro futuro in vniuersali & in confuso inspectæ, & talis necessitatis futuritio in Ord: Min: Reformato seu Obser: admissa, inducit peccatum mortale & transgressionem Regulæ, ita Nicolaus III. apertè determinat dicens: *Insuper nec vtensilia, nec alia quorum vsum ad necessita-*

cessitatem & officiorum sui status executionem licet (non enim omnium rerum vsum habere debent vt dictum est) ad vllam superfluitatem habere diuitias seu copiam, quæ deroget paupertati, vel thesaurizationem sapiat: vel eo animo, vt ea distrahant seu vendant, recipiant, nec sub colore prouidentiæ in futurum. Hinc Gilbertus Nicolai Obser: in lib: qui intitulatur *Pastor bonus.* 2. par: in prima Plaga Pauper: decernit: *Quòd recipere pecuniam vt custodiatur in futuro pro necessitatibus scil: Fratrum futuris, est mortale.* & subdit. *O quot Guardiani perduntur qui habent Amicos spirituales huiusmodi pecunias reseruantes, & semper recipientes quando offeruntur! O quot subditi præcipuè Prædicatores & Confessores damnantur, qui apud sæculares habent eleemosynas pecuniarias, quas dum volunt, possunt, pro suis necessitatibus facere expendi! ---- Et qui bene cogitat Declarationes Sedis Apost: clare videt, quòd nũquam concedunt, nec mentionem faciunt de necessitate futura, sed solùm de præterita, præsenti, vel ingruenti. Prouidentia enim siue solicitudo humanæ prouidentiæ in Ordine Min: non se extendit, nisi ad tres primas necessitates* Et vlterius prosequens primam paupertatis plagam quærit: *Vtrum recipere Missas pro quibus dantur Eleemosynæ pecuniariæ, sit recipere pecuniam per interpositam Personam.* Respondet. *Patet ex iam dictis. Nam etsi FF. & Guardiani celebrantes Missas velint auctoritatiuè vti illa eleemosyna Missarum, ad modum quo vtuntur vt supra dixi de suis Amicis spiritualibus, claret quòd peccat mortaliter, quia recipiunt pecuniam per interpositam personam. Nec video quòd Diabolus subtiliorem viam potuisset inuenire, ad faciendum quòd honesti Guardiani & FF. recipiant pecuniam per interpositam personam, quàm per Amicos spirituales huius temporis; & per deuotos vel deuotas personas pro Missis celebrandis ----* Ad idem collimat Roder: Obser: Tom:3. Q. 39. Art: 4. inquiens: *Ex quibus infertur, quòd possunt Prælati Nostræ Religionis Min: de Obseru: præcipere, vt nullo modo Fratres recipiant pecuniam à fidelibus oblatam, etiamsi dans sibi talis pecuniæ proprietatẽ reseruauerit --- propter abusꝰ, qui huius datione pecuniæ sæpissimè eueniũt.*

8. Sed his dictis & probatis repugnare videtur March: in sua sententia in Exp: Reg: pag: 237. admittens Syndicos ex Priuilegio Apost: Martini IV. & V. & Pauli IV. ad hunc effectum institutos, vt nomine Romanæ Ecclesiæ recipere & iudicialiter

repetere possint eleemosynas, etiam pecuniarias ipsis fratribus relictas seu testamento legatas, & eas prout à fratribus requirerentur, expendere valeant, nullo habito respectu ad dantes, & ait hoc officium eorum *puritati Regulæ non officere*, magis quàm illud à Nicolao III. Procuratoribus concessum. Idem repetit in relectione Theologica de Syndicis pag: 88. dicens: *Experiri in iudicio contentioso &c.* Verùm hæc sententia Decretalibus Nicolai III. & Clementis V. est contraria, & consequenter contra puritatem Regulæ à March: inducta: vt enim probauimus supra n. 5. ex Nicolao III. statuente, quòd FF. non tantùm non valeant eligere huiusmodi Syndicos; Sed si fieri poterit nec nominare, & totum dominium pecuniæ debeat apud dantem remanere: quem modum prouisionis confirmauit Clemens V. dicens: *Sub modis alijs quàm ponat dicti Prædecessoris Nostri Declaratio, ad dantes pecunias siue deputatos Nuntios, non recurrant, nè si secus ab ipsis attentatum fuerit, transgressores præcepti & Reg: meritò possint dici.* Admisso autem Priuilegio Martini IV. & V. & Pauli IV. iam Syndici deputati non solùm nominati, sed & electi à fratribus præsentarentur: & pecuniæ non nomine dantium, & voluntate, sed nomine Eccl: Rom: expenderentur: quod est contra Nicolai III. & Clementis V. determinationem, & est mera dispensatio à sequentibus nominatis Pontificibus per Priuil: Apost: concessa. Vnde pro maiori securitate conscientiarũ, recurrit Ordo Obser: pro eadem dispen: ratificanda ad posteriores Pontifices, vt deduximus Art: 40. n. 6. sub diuersis ibidem numeris, vt sub n. 22. & sub n. 29. Vnde & hoc apertè fatetur Roder: Obseru: cum alijs Obser: licet quasi nolens libentiùs cum March: dicturus, præfatos Syndicos non officere puritati Reg: absq; dispensatione Apost: quam tantùm in Conuentualibus culpant: non videntes manticæ, quod in tergo est, sed vt dicit Comicus: *Culpant damnantq;, & comedunt tamen.* De præfatis ergo Syndicis veritate victus Roder: Tom: 3. Q. 39. Art: 4. inquit: *Speculum fratrum Minorum & Auctor Compendij, dicunt esse dispensationem. Corduba sentit esse dispensationem, & relaxationem respectu trium.* & vlteriùs rem prosequens velut in arcto positus, tandem concludit: *Verum est tamen quòd opinio Corduba*

dubæ hodie admittenda est, siquidem in Constitutionibus Generalibus Nostræ Sacræ Religionis factis, in Capitulo Gen: facto Romæ Anno Domini 1560. dicitur in hunc modum. Declaratur iuxta sancita per Dominos PP. Martinum V. & Paulum IV, quòd dominium pecuniæ licito modo oblatæ pro Fratrum necessitatibus ad Sedem Apost: spectat. & infra subdit: *Ex quibus sequitur ordinata per Nicolaum III. & Clementem V. in Concil: Vien:, quòd scilicet dominium pecuniæ oblatæ fratribus Min: semper remanet apud dantem, esse hodie reuocata per Martinum V. & Paulum IV. Ordinantes* (supple per dispensationem) *vt tale dominium statim Eccl: Rom: acquiratur, & voluerunt, vt apud Syndicum nomine ipsius Eccl: Rom: constitutum, præfata pecunia deponeretur, vt patet ex verbis Bullæ.*

9. Hanc prouisionem siue Martinianam siue Paulinam, per viam dispensationis fuisse introductam ipsemet March: licet inuitè, quia inobseruatè palam fatetur in Expos: Reg: pag: 240. inquiens: *Porrò tertium Officium occasione relaxationis fratrum, pro eorum maiori securitate Syndicis est attributum. vt pecunias & quascunque eleemosynas nomine Ecclesiæ reciperent, & eas prout à fratribus requirerentur, expenderent nullo habito respectu ad dantes.* Si ergo occasione relaxationis fratrum, dictum Officium Syndicorum est introductum, ergo occasione dispensationis, quia secundùm March: relaxatio & dispensatio relaxatiua idem sonant, vt se declarat tùm in QQ. Procem: pag: 23. tum in Relectione Theol: & liter: in qua explicans altissimæ paupertatis fines pag: 11. ait: *Quos vltra citraque prætergredi, transgressio aut peccatum est; aut dispensatio siue relaxatio.* Quid autem intersit inter dispensationem & relaxationem innuimus Art: 9. n. 33. Quamobrem si ipsomet fatente March: ratione relaxationis fratrum, præfatum Syndicorum officium introductum est: igitur admissa talis Officij in Ord: Obser: consuetudine, necessario admittenda venit etiam relaxatio, quæ nè sit priuatâ licentiâ introducta, culpa & peccatum letale, & contra accidentalia Reg: & Decretales Nicolai III. & Clementis V. necesse omnino, vt in tali relaxatione fratrum, interueniat Pontificia dispensatio: quæ quomodo concilianda est cum Bulla Vrbani VIII. *Sacrosanctum Apostolatus.* & cum Constitutionibus

Obſer: à nobis adductis Art: 26. n. 9. Marchantio, relinquitur decidendum in Releɛt: Theol: pag: 55. & 71. Eò vel maximè, quia Priuilegia Apoſt: à Martino IV. & V. Syndicis in Ordine Min: conceſſa Sixtus IV. & Alexander VI. vti diſpenſationes ſuis inſeruerunt Conſtitutionibus pro Min: Con: editis, vt retulimus Art: 32. n. 1. & n. 3. & Bulla Martini IV. quæ incipit. *Exultantes.* eas vocat diſpenſationes.

10. Deinde huiuſmodi prouiſiones Martini IV. V. fuerunt cauſa ob quam primæui Obſeru: ſe à Conuentualibus disjungebant, & inire nexum vnitatis & Communitatis Ord. Min: Con: refugiebant: vt ipſemet Eugenius IV. in Bulla. *Vinea Domini.* teſtatur his verbis: *Sed ex certa experientia cognoſcentes, quòd Declarationes, additiones & relaxationes, ac modificationes, præfatæ Vnitati Ordinis non modicum præſtant impedimentum.* & Wading: vt retulimus Art: 14. n. 9. dictas prouiſiones velut relaxationes aſſerit irritas, fuiſſe declaratas ab Eugenio IV: quas tamen March: degenerans, à feruore priſtinæ Obſeruantiæ primæuorum Obſeru: dicere audet, poſſe in ſuo Ordine Obſeru: ſeruari: & non officere puritati Regulæ: quòd etſi libenter concedam, cùm nulla Diſpenſatio Pontificia repugnet cuiuis Regulæ, hoc tamen totum quod March: dixit de Min: Con: primitiuis, cum eiuſmodi diſpenſationibus Pontificijs viuentibus, idipſum de ipſomet has diſpenſationes in ſuum Ordinem inducente, verificari debet: & quia aliqui in medio Conuentualium, ita à pari nunc in medio Obſeruantinorum vt aſſerit pag: 526. *Habitantes non adorauerunt idolum auaritiæ & relaxationis, nec flexerunt genua coram Baal.* ita his oppoſiti puta Marchantini ſequaces hanc eius doctrinam facto proſequentes, dicendi ſunt *adorare idolum auaritiæ & flectere genua coram Baal.* Sicq; idem Ordo Obſer: ſecundùm March: *Subitò fit coruus qui modo cygnus erat.*

11. Ampliora March: ſuæ Obſeruantiæ dilatans phylacteria, nixus præfatis diſpenſatiuis Priuilegijs, concedit Syndicis, vt nomine D. Papæ poſſint tenere ſeruare, omnes eleemoſynas pecuniarias, etiamſi in conſeruatione earum theſaurizatio interueniat, & Ordinem ſuum Obſeru: conſtituit quotidianum Conui-
uam

uam & Commensalem Papæ, concedens ei recursum ad pecuniam paratam, & apud Syndicos nomine D. Papæ in Massa pecuniaria reseruatam, vt ex ea fratres (vti de Familia D. Papæ manentes) quantùm velint sumere possint, pro ea pannis se vestiant, domicilia construant, Mensas nomine D. Papæ instruant, & de eius Mensa, quia de eius pecunia, quotidie viuant: ita Resoluit in Relectione Theol: & lit: pag: 36. & pag: 38. inquit: *Nihil ergo tota dispositio illa tangit fratrem Minorem, nec in aliquo eum afficit: facit enim Papa vt Dominus, quæ vult de sua re, disponit vt vult, & ad quem finem vult, quando & quomodo vult. Vnde si quæ thesaurizatio interuenire videatur, Domini est & ad Dominum pertinet, ac à Domino reseruatur.* Sed D. Papa pro futuro nullam vult apud Syndicum seruari pecuniæ Massam, vt ostendimus supra n. 7. imò Nicolaus III. mandat, vt se coaptent Fratres in petendo, & non plus petant quàm ipsorum necessitas exigat, nec recipiant *sub colore Prouidentiæ in futurum.* vt bene docet Roder: Obser: Tom: 3. Q. 39. Art: 4. in fine dicens. *Voluntas enim D. Papæ est, vt ipsi FF. in vsu rerum sibi oblatarum, se pauperes ostendant.* & nè pro futuro Massa pecuniaria apud Syndicos reseruetur, addit, posse Prælatos præcipere fratribus, nè oblatam pecuniam recipiant vt diximus n. 7. in fine. Ostendat ergo March: vbi D. Papa Nicolaus III. pecuniam paratam reseruari vult apud Syndicos, & ita se habeat, sicut ille Amicus, qui iuxta Relectionem March: pag: 37. portionem pecuniariam reseruari mandat, in vtilitatem FF. suo tempore expendendam in futuro, cùm oppositum in sua Decretali præcipiat, & Marchantium ipsammet contra eius mentem exponentem, censurâ Excommunicationis feriat. *Glossantes verò in scriptis Constitutionem ipsam, aliter quàm eo modo quo diximus, ---- Excommunicationis sententiæ, quam ex nunc in ipsos proferimus, se nouerit subiacere, à qua per neminem nisi per Romanum Pontificem, possit absolui.* Et certè si hæc tam crassa Decretalis elusio valeret, eadem ratione bona stabilia & prouentus annuos Ordo Obser: habere posset: hac cautelâ adhibitâ, vt per Syndicos nomine D. Papæ, hæc omnia administrarentur, & pro necessitatibus fratrum in tempore opportuno occurrentibus, impenderentur, sicut Primitiui Min: Con: bona im-

mobilia possidebant nomine D. Papæ: quæ licet thesaurizationem sapiebant, per ea tamen FF. nõ maculabantur interuentu Dispensationis: & tamen Ordo Obser: ab eis diuidebatur, & nexum Vnionis ob huiusmodi Priuilegia; cum eis habere auersabatur, à quibus Priuilegijs hodie non auertuntur Marchantini.

12. Videat ergo Marchantius quâ fronte de his omnibus à se tum conscriptis cum confictis, in Nuncupatoria suo Min: Gen: Joanni à Neapoli sic fastuosè & tragicè peroret. *Profero tandem hostiam ex purissima simila Oleo conspersam.* & vltra. *Conatus sum.* cum reliquis quæ retulimus Art: 37. n. 16. hæc sequentia addit. *Ut absq; scrupulo cum hostia Cibus essent & Medicina.* An verò dicta hostia ex purissima simila oleo peccatoris impinguata, absq; fermento suo Ministro Gen: fuerit dicata: ita, vt absq; scrupulo cum Relectione supposita possit esse Cibus & Medicina, vt Marchan: inquit: palam supra ostendimus: Marchantium in die Hostiæ veste peregrina fuisse indutum, & contra Statum Min: Con: veritæ lectionis Mythologias compilasse, atq; eos Scythica oratione perstrinxisse: Tartari namq; vt refert Athenæus, populos quos adibant sic salutabant: summas nares viris amputabant, mulieribus subulis corpora pingebant: Non absimiliter Primicertio Ordini fecisse Marchantium ostendimus Art: 36. Expositionem etiam continere talia, de quibus illud Homericum quadrat. *Pharmaca mista salubria multa & noxia multa.* Nouus Apici ciborum Conditor March: & magnus Medicus, de quo illud diceret Plutarchus. *Alijs medens at ipsus hulceribus scatens.* Qui sub Expositoris Reg: larua: sub specie boni medendi alijs: publici muneris gratia priuatam culpam prætexuit, & ita fascinauit animos insensatos, vt ad mensam auribus eorum personans, videatur in Conuiuarum Cyathos pharmacum immittere, & ipsis propinare illud, quod Homerus de Helena finxit:

In vinum immisit mox pharmacon, vnde biberunt,
Luctusq; bilisq; maliq;, obliuia cuncti.

Commensali auditore cæco affectu præoccupato, non aduertente quod dicit Canon C. 11. Q. 3. cap: 77. *Non solùm ille reus est, qui falsum de alio profert, sed & is qui aurem cito criminibus prabet.* Et certè vt Am-

vt Ambrosius ait. *Tolerabilior est si lateat culpa, quàm si culpæ vsurpetur auctoritas.* Clamabant olim filij Prophetarum ad Elisæum, gustato pulmento eis infuso. *Mors in olla vir* DEI. 4. Reg: cap: 4: quia nimirum vnus ex pueris, inter herbas silueſtres colocynthidas agri collegerat, & in ollam pulmenti conciderat, nesciens quid esset: validiùs nunc exclamandum venit contra Marchan: dũ non vnus ex pueris, sed ex maioribus Prælatis singulariter Iubilatus & Definitor Generalis, sciens Colocynthidas, id est silueſtres Epitheles, contra vitam & institutum ab Ecclesia approbatum Min: Con: collectas, charitatis & famæ fraternæ esse aconitum, tamen eas minutim concisas, & cum alijs salutaribus sancitis commistas, in Olla suæ Expos: lit: Reg: fædè tudiculauit; ad eum modum vt dicitur. *Effetè, grauiter, citè, nequiter, euge beatè.* sicq; farraginarium venenatum pueris suis adornauit, & ad mensam pro cibo diurno, & auro potabili sacrificauit: Sed *Mors in Olla.* Commensales Conuiuæ, à Fabulino vestro Art: 36. n. 4. descripto, Vobis perperam præparata, Cùm hæc dicteria Erasmo-March: extent prohibita, & Censuris reprobata: vt ostendimus Art: 38. n. 4. & vltra. *Mors in Olla*, tantò Nocentiori, quantò Superiori manu integumento mendaciorum scitè obducta. Rectè de talibus Beda Cap: 2. in Epist: 2. Petri dicit: *Qui enim agnitam veritatis viam sponte ipsi deserunt, quid nisi vanus sunt populus? Quid nisi in præcipitium suos mergunt auditores? quibus non salutaria quæ corrigant, sed quæ illos delectant, erronea prædicant, de quibus bene subditur. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur.*

ARTICVLVS XLVII.

In quo plures & diuersi actus, ad primum vsum denariorum & pecuniæ spectantes, enumerantur, & quomodo in Ordine Obseru: liciti vel prohibiti determinantur.

1. CErtum est Ordini Minorum cuilibet Reformato, vsum Denariorum & pecuniæ in suæ paupertatis vsu, esse omnino interdictum; nisi adsit dispensatio, quam innuimus Art: 40. n. 10, Et quia hic vsus pecuniæ seu receptio denariorum multifarios habet

bet actus, vt Petitionem, Procurationem, Receptionem per se, siue per alium: Tactum, seu Contrectationem, Portationem, seu transportationem vel transmissionem & Recursum ad pecuniam. Tum diuersos Contractus, vt Emptionem, Venditionem, Mutuationem, Accommodationem, Locationem, Cōmutationem, Oppignorationem, Commodationem & Donationem. Hi omnes in præsenti explicandi sunt. Petitio seu procuratio pecuniæ est, quando quis petit & vult eam recipere, vel manu propria, vel aliena, ad proprios vsus. Receptio Denariorum seu pecuniæ per se est, quando pecunia per se accipitur, & in proprios vsus ad libitum expenditur, licet nuda manu non tangatur, sufficit vt attingatur affectu, vt enim ait Greg. *Census non est in culpa sed affectus.* Receptio autem per interpositam personam tunc fit, quando aliquis propria auctoritate, alium substituit ad pecuniam recipiendam; in vsus proprios conuertendam: omnes hi actus seu vsus actuales denariorum seu pecuniæ, prohibentur sub mortali, reformatam paupertatem profitenti, & dispensatione non gaudenti. Contrectatio seu Tactus pecuniæ est duplex: Vnus merè naturalis, quo tangitur pecunia numerata, tunc dum pecunia numeratò supputatur, & iste est periculosior in denarijs, quam in pecunia non numerata, saltem ratione scandali, & quia denarij sunt illaqueatiui. Alius est Tactus Politicus & Moralis, & propriè dicitur Contrectatio, sicut Mercatores contrectant seu contractant: & iste in Minoribus Obser: seu Reformatis, est mortalis. Portatio pecuniæ est, quando quis pecuniam seu denarios supra se, siue supra iumentum, siue supra currum, siue in pera, vel alibi, pro suo vel communi Fratrum vsu portat, & hic portationis seu contrectationis pecuniariæ actus; pænâ proprietatis in Ordine Min: Obser: castigandus decernitur, ab illorum Constit: in cap: 4. Reg: §. 1. in hæc verba: *Declaramus nobis prohiberi receptionem denariorũ, & eorũ quæ pretio æstimantur.* An autem receptio denariorũ particularis, cũ licentia Superioris sit licita, decernunt Const: PP. Obs: Art: 40. n. 10. Recurrere autem ad pecuniam, est eam vel procurare seu petere ab Amicis spiritualibus, iuxta modos à Nicolao III. determinatos: vel est ire ad eum, qui oblatam pro solutione re-

rum

rum retinet: vt diximus Art: 46. n. 5. qui recurſus ſi fiat auctoritate publica, pro determinatis & modificatis à Nicolao III. neceſſitatibus in Ordine Min: Obſer: eſt licitus. Si verò fiat particulari auctoritate ad proprios vſus, ſiue etiam publica pro futuris Neceſſitatibus, eſt mortalis: niſi obſtet diſpenſatio, quam apertè oſtendunt loco cit: Conſt: Obſeru.

2. Qualiter autem diuerſi Contractus receptionem pecuniariam concernentes fratribus Obſer: conceduntur, vel prohibentur declaratur. *1mò.* An emere poſſint. Dicendum. Emere dicitur tribus modis. Vno modo emere dicitur, de rei emendæ pretio conuenire. Alio modo emere dicitur, ſolutionem iam emptæ rei procurare: His duobus modis poſſunt Fratres Reformati emere: vt affirmant quatuor Magiſtri & Hugo de Dina in Expos: Reg. Tertio modo emere dicitur, pecuniam ſeu pretium dare pro re iam empta, & hoc modo dicti fratres non poſſunt emere, niſi qui poteſt pecuniam vel proprietatem eius, ſiue in particulari ſiue in communi habere. *2dò.* An poſſint vendere. Dicendum. Vendere dicitur tribus modis: Vno modo rem propriam in alienum dominium pro pretio transfundere, & hoc modo nunquam fratres Reformati poſſunt vendere. Alio modo dicitur Vendere: de re aliqua pretium recipere, & hoc modo ſeruus Auctoritate Domini ſui poteſt vendere, & vt dicunt 4. Magiſtri & Hugo de Dina, Fratres eodem modo poſſent vendere, eſſet tamen ſecundùm profeſſionem eorum turpe & inhoneſtum, & ideo hoc modo non poſſunt vendere, ſed ſtante paritate Domini & ſerui quam cit: Auctores adducunt, neſcio qua ratione liceret ſic fratribus Vendere, cùm illi nunquam poſſint eſſe vlli rei Domini etiam dependenter, niſi per diſpenſationem. Tertio modo Vendere: eſt rem alteri omnino relinquere, & locò eius aliam, abſq; aliquo dominio vel iure, ad ſolùm ſimplicem vſum recipere: & ſic fratres poſſunt vendere. *3tiò.* An poſſint mutuare vel mutuari. Dicendum. Mutuare dicitur propriè, de meo tuũ facere, & mutuari dicitur: de meo tuum fieri, ita, vt mutuo ſit dantis, mutuor verò recipientis. Vnde dicitur: *Mutuo credentis eſt, ſed mutuor accipientis.* Vt mutuor tibi, & mutuor à te: hoc modo

mutuare & mutuari non licet fratribus. Alio modo mutuari dicitur propriè, bona fide ad procurandum non ad faciendum solutionem, se obligare, hoc solùm modo fratres mutuari possunt. 4tò. Quomodo Fratres accommodare possunt vel accommodatum recipere, cum differant Contractus mutui & commodati, quia in mutuo transfertur dominium, in commodato verò non: Hinc Contractus accommodationis duplex est: Vnus rei accommodatæ importans restitutionem, & hoc modo fratres cùm nihil habere possint, accommodare vel accommodatum habere non possunt. Alius est importans procurationem ad solutionem rei restituendæ bona fide, & hic non importat obligationem rei restituendæ, sed tantùm procurandæ vt restituatur: & hoc modo possunt accommodare Sed cum magna cautela, nè homines fratribus res accommodantes & terminos huiusmodi ignorantes, decipiantur: referri enim debet obligatio ad accommodantis intentionem simplicem in re sua, cùm etiam sine verbis, eo ipso quo quis rem accipit, obligatur.

3. 5tò. An Fratres possint locare. Dicendum: Locatio duplex est. Vna Domûs, fundi, Loci: & quia Fratres Obser: non possunt sibi appropriare tàm in communi quàm in particulari, neq; domum, neq; locum, neq; fundum, aut aliquam rem, ideo eis est prohibita talis locatio sub mortali. Alia est operarum fraternarum, seu laborum locatio, & hæc si importat pactum de mercede Conuentum, sic fratres non possunt locare operas suas, quia quod ex pacto esset fratrum, proprium esset. 6tò. An Fratres possint commutare res quas habent ad vsum. Dicendum. Quòd nullam rem sibi ad vsum concessam, possunt auctoritate sua in aliam commutare, sed tantùm auctoritate Domini dantis vel Ecclesiæ. Nicolaus enim III. licentiam concedit Generali & Prouincialibus Ministris, vt res mobiles ad vsum fratribus concessas, in alias magis necessarias, commutare valeant. 7mò. An possint oppignorare. Dicendum. Quia Fratres nihil habent proprium, nihil etiam suum possunt oppignorare seu obligare, sed solùm AuctoritateDomini, rem sibi ad vsum concessam, possunt pro necessarijs obligare. 8uò. An Fratres possint sibi inuicem dare seu

com-

commodare. Dicendum. Fratres per commodationem liberaliter communicare debent, non tamen absq; licentia Prælati dare vel data recipere possunt, quia licet res sunt pro communi vsu concessæ, dispositio tamen vsus earum, pertinet ad Prælatos, vt eorum Auctoritate vnicuiq; prout opus fuerit dispensetur: ad commodatum ergo rerum sibi inuicem liberaliter & charitatiuè communicandarum, requiritur Prælati licentia. 9nò. An Fratres possint donare. Dicendum. Fratres paupertatem Reformatam profitentes, nullum posse habere ius in rebus temporalibus, etiam dependenter a suis Superioribus concessibile, vt probauimus Art: 44. n: 9. & sequentibus; & ideo sua auctoritate nihil possint donare. Nicolaus autem III. concedit auctoritate Apostolica, vt Fratres Vilia, mobilia, & parum valentia, intra & extra Ord: cum licentia suorum Superiorum, habita honesta causâ, possint elargiri & valeant donare. Et quia vt donatio sit iusta ex parte donantis, requiritur dominium donantis in re quam donat, quod per donationem transfertur in eum, cui res donatur: hinc cum fratribus Obseru: ex Constit: Nicolai III. modo prædicto liceat donare, sequitur per dispensationem Pontificiam Dominium dependens, cum eorum paupertate fuisse admissum: & sic illa differentia quam assignauimus inter Primicerium Ord: Min: Con: & filialem Ord: Obser: præfato Art: 44. n. 9. debet intelligi de paupertate filialis Ordinis Obser: in se absq; dispensatione Pontificia inspecta; in aliquibus rebus ei concessa. Vnde rectè adnotauit Bartolucius cum Hieronymo Sorbo Art: 32. n. 15. & 16. Tum 4. Magistri hanc eandem dispensationem in pluribus fore necessariam in cap: 6. aduertunt.

ARTICVLVS XLVIII.

In quo reliqui Nouem Vsus paupertati modificatæ interdicti explicantur.

1. POst primum de tribus vsibus sequentibus, breuiùs acturi sumus quam de primo, quia etiam Regula aliter de eis agit quam de primo: De hoc absolutè, de illis autem modificatè.

Quòd

Quòd non habeant calceamenta. Quòd vestimentis vilibus induantur. Quòd non debeant equitare. Hæc tria sic modificat, nisi in necessitate vel infirmitate. Et secundùm loca & tempora & frigidas regiones. Calceamenta autem sunt propriè consueta pedum de corio operimenta, & portatio eorum vsum dicit. Vnde Hugo de Dina in cap: 2. Reg: inquit: *Sic calceos de panno pro pedibus, & almucias seu capellas pro capite, & omnia quæ formam Regularem excedunt, dispensationem assignant.* Quare Vrban: VIII. in Bulla *Sacrosanctum:* omnes dispensationes in Ord: Obser: reuocando sic statuit: *Cum Calepodijs seu sandalijs apertis dumtaxat incedere teneantur, neq; alio pedum operimento, siue panneo, siue alterius cuiuscunq; materiæ existat, absq; licentia vti possint.* Vilitas vestium secundùm cit: Hugonem. *Attendenda est in pretio pariter & colore, & secundùm æstimationem hominum Regionis illius, vbi Fratres morantur: seruatâ non minùs honestate: nè mollitie, subtilitate, vel speciositate, notabiliter pannus appareat delicatus.* Religiosi enim pauperis cum Regula debet esse pauper vestis: Nam pretiosa & curiosa, non Religionem sed rebellionem contra Statum pauperem ostentat. Primis quidem Auctoribus maximè imputatur abusus: sequaces tamen vitij, auctoritas non excusat exempli. Quòd autem & quomodo non debeant equitare, D. Bonau: in cap: 3. Reg: sic exponit: *Et per consequens nec bigare aut quadrigare, quia maioris sunt sũptus, nisi manifesta necessitate, prolixi vel impediti itineris, vel negotij vrgentis, vel infirmitate cogantur. Dicit autem non debeant, pro eo quod facit debeant non equitare.* Marcha: vt sui moris est contra communem in sua Expos: Reg: pag: 182. sic exponit: *Ex vi verborum Regulæ, non est Fratribus Minoribus prohibitum bigare vel quadrigare.* Et totam rationem fundat in significatione Grammaticali, equitandi, bigandi, quadrigandi, seu litera Donati siue Prisciani, contra doctrinam à se pag: 33. Q. 2. traditam de literali & proprio sensu, qui propriè debet attendi ex intentione S. Francisci; & non ex intentione Grammaticali, Donati vel Prisciani. Hinc vt ipsemet pag: 185. Francisco Duengo hanc eius sententiam, vti Obseruantiam veram relaxantem oppugnanti, respondet: *Solùm enim doceo bigationem in rigore verbi non vetari sed aliunde &c.* Verùm non vim verbi Gram-

bi Grammaticalem sed intentionem S. P. debuit Marchan: cum S. Bonau: aduertere, & Fratribus suis puram Obseruantiam per Grammaticale inuentum, non laxare: Intentio enim S. P. plus valet apud Expositores Reg: Theologos, quàm rigor Grammaticalis verbi Donatici, apud figmentarios.

2. *Quintus vsus* paupertati reformatæ aduersus, est procuratio: hæc autem est Duplex: Prima de bonis in Ordinem ingredientium, quam exercentes Fratres, peccant mortaliter, si inducant ingredientes Ordinem Obser: & suadeant vt sic vel sic disponant de bonis suis; ita determinauit Clemens V. in Bulla. *Exiui.* §. *Dicimus omnino debere.* Vnde Gilbertus Nicolai Obser: in quinta plaga inquit: *O quot Fratres perdunt animas suas propter huiusmodi procurationem!* Secunda procuratio est respectu aliorum ab ingredientibus Ordinem, & hæc rursus duplex est. Prima pecuniaria. Altera Commestoria seu Victualis: De prima satis egimus explicando primum vsum denariorum Ordini Obser: prohibitū: Secunda describitur à quatuor Magistris in 4. cap: Reg: asserentibus: *Quidam arguunt quòd sic non licet: nec ligna, nec caseum, vel panem & vinum ad hebdomadam quærere non liceret. Item vlteriùs volunt arguere, quòd si possunt ad hebdomadam, possunt ad mensem; eadem ratione & ad annum poterunt sibi prouidere* (id est procurare.) *In contrarium verò est, quia Euangelica vita non nouit prouisionem in crastinum: Vnde in Matth: dicitur: Nolite solliciti esse in crastinum. Regula autem FF. Minorum est Sanctum Euangelium obseruare: Ergo non debent in crastinum prouidere. Item Peregrini non prouident in posterū in locis per quæ transeunt, victualia. Sed sicut dicitur infra cap: 6. Fratres tanquā peregrini & aduenæ, debent in paupertate Domino famulari.*

3. *Sextus vsus* paupertati modificatæ aduersus, est redditu um annuorum prouentus, de quo Clemens V. in Bulla. *Exiui.* dicit: *Cumq; annui redditus intra immobilia censeantur à iure, ac huiusmodi redditus obtinere paupertati & mendicitati repugnet.* Hi redditus duplices sunt. Alij Formales, qui annuatim perpetuo iure fructus reddunt. Alij virtuales, qui eis æquiparantur, & hi sunt quadruplices. *Primò* dicuntur esse, dum habentur horti & vineæ seu pomeria, vnde possunt Fratres viuere sine mendicitate. *2dò.* dum

legata vel relicta in testamentis tot recipiuntur, vt Fratres illis re-ceptis & in arcano gazophylacio non conseruatis, sed in quotidianum victûs vsum admissis, non haberent necesse per totum annum mendicare. *3tiò.* sunt, dum congregantur tot modiorum aut medimnorum vel saccorum grana, aut etiam manipulares aristæ, vel messium spicæ, vt inde sine alia mendicitate possint per totum annum viuere. *4tò.* habendo agnos & oues successiuè succedentes, gallinas, apes, porcos, vaccas, & pecora campi, de quibus annuus percipitur fructus: Hi virtuales redditus prohibentur per cit: Clementinam §. *habere tamen hortos aliquos vt colantur, olera, ac alia hortalitia vt pretio distrahantur, nec non & vineas, repugnat suæ Reg: & Ordinis puritati. - - - - Cùm hæc etiam permissa habere, vt pretium fructuum suis temporibus habeant, ad naturam & formam prouentuum appropinquet.* Hinc Gilbertus Nicolai Obseru: supra cit: subiungit: *Per hæc apparet, quòd non possunt per legata habere aliqua ligna in siluis perpetuis temporibus: nec etiam possunt habere Capellas vel Confraternitates in suis Ecclesijs, nisi vbi huiusmodi omnia essent spiritualia, & sine obligatione Fratrum.* Pari ratione non possunt habere stagna, lacus seu aquas molares, & in eis vsum piscationis perpetuum, seu perpetuas molituras, quia hæc omnia ad formam prouentuum seu redditunm annuorum appropinquant, quæ omnia ex Clemente V. Ordini Obser: sunt prohibita. Quare idem Clemens V. determinat dicens: *Rursus cùm prædictus Sanctus, tàm exemplis vitæ quàm verbis Regulæ ostenderit se velle, quòd Fratres sui & Filij Diuinæ prouidentiæ innitentes, suos in Deum iactarent cogitatus: qui volucres cæli pascit, qui non congregant in horrea, nec seminant neq; metunt; non est veri simile voluisse ipsum eos habere granaria & cellaria, vbi quotidianis mendicationibus deberent sperare, transigere vitam suam.* Neq; possunt consequenter habere oledia, fænaria, granaria, braxatoria, *promptuaria.* (vt dicit S. Bonau:) *instaurata, sed vt omnia quantùm patitur fragilitas, ad paupertatis strictissimam Regulam, reducantur.*

4. *Septimus vsus* Ordini Obser: repugnans, est assistentia in curijs seu prosecutionis Iuridicorum processuum, & hæc licet mediantibus Syndicis interponerentur sine FF. assistentia, quia vt

dicit.

dicit Clemens V. *Cùm de rebus agitur in ipsorum commoda conuertendis, creduntur veri similiter ex his quæ foris patent, de quibus habent homines iudicare, in ipsis rebus Fratres aliquid quærere, tanquam suum.* Non obstante interposita per Syndicos assistentiâ. *Octauus vsus* paupertati modificatæ inimicus, est sumptuosarum Ecclesiarum, aut ædificiorum excessiuorum, quem prohibet Clemens V. inquiens: *Nullo modo deinceps fieri faciant vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quæcunq; ædificia, quæ considerato Fratrum inhabitantium numero, excessiua in multitudine & magnitudine, debeant reputari.* Hinc Hugo de Dina in Expos: Reg: cap: 4. antiquos describens Obser: dicit: *Tuguria ex lignis & luto, suis ipsis sæpè manibus construebant. Aliæ quæ aliquando eis fiebant, pauperculæ domus erant: Structuræ quarum erant alij Curatores materiam ementes, operarios conducentes, operantibus assistentes, de pretio respondentes. Nonus vsus* modificatæ paupertati contrarius, est pretiosorum ornamentorum Ecclesiasticorum, de quo Clemens V. in hæc verba: *Quamuis etiam paramenta & vasa Ecclesiastica, ad honorem Diuini Nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus: tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter non ad manum: nec per illas sibi vult seruiri, quæ suorum Seruitorum conditioni & Statui dissonarent, propter quod sufficere debent eis vasa & paramenta Ecclesiastica decentia in numero, & in magnitudine sufficientia competenter; Superfluitas autem aut nimia pretiositas vel quæcunq; curiositas in his seu alijs quibuscunq; non potest ipsorum professioni vel Statui conuenire: Cùm enim hæc sapiant thesaurizationem seu copiam paupertati tantæ, quò ad humanum iudicium derogant manifestè. Decimus vsus* est exequendorum testamentorum, & vltimarum voluntatum modificatam paupertatem profitentibus, prohibitus per Clement: sic determinatur: *Cùmq; dicti Ordinis professores, pro nulla re temporali possint in iudicio experiri: prædictis Fratribus non licet nec competit: quin potiùs considerata sui puritate Statûs, debent sibi scire interdictum: quòd huiusmodi executionibus & dispositionibus se exponant: cùm hæc vt sæpiùs absq; litigio & contradictione vel administratione pecuniæ, nequeant expediri. Verumtamen in his exequendis dare consilium ipsorum Statui non obsistit: cùm ex hoc ipsis circa bona temporalia, nulla iurisdictio, actio in Iu-*

in Iudicio, siue dispensatio, tribuatur. An autem intromittere se possint in tractatum sponsalium, nuptiarum, vt Matrimonia eorum operâ & industriâ conficiantur, & elocationum contractus componantur, dicendum venit. Vbi est eadem ratio, ibi est eadem legis dispositio: Vnde dicit Gilbert: Nicolai Obser: 2. part: 10 Plaga: *Multa vidi in Ordine scandala & turbationes propter duo, scilicet, quia Fratres se intromittunt de Nuptijs & Matrimonijs contrahendis, & de testamentis & codicillis condendis.*

ARTICVLVS XLIX.

Vbi differentia realis in paupertate, inter ipsosmet Reformatos Obseru: positiuos & comparatiuos, tum Capucinos, tum alios (si qui sunt) ab inuicem ostenditur.

1. OStensâ Art: 44. & deinceps inter primicerium Min: Con: & filialem Obseru: siue immediatum siue mediatum Ordinem, reali differentiâ: Superest vt etiam inter Vniuersum Reformatorum cætum, tam multiformium reformationum in Ord: S. F. tanta varietate remicantium, differentiam realem expromamus. Et quidem post præcedentes in Recensu Min: Gen: ab Art: 4. vsq; ad Art: 12. exaratas, euanidas & in abitum fumi denatas, tantùm in præsenti Art: nunc extantium realem inquirimus differentiam: Et quia in præsentiarum prima est Trinciana PP. positiuè Obser: nuncupatorum, qui in Italia Socculantium, & in Polonia Bernardinorum nomine audiunt, à quibus PP. Capucini Anno 1525. & postmodum PP. Recollecti à Comparatiua Obser: strictiori nomine appellati Anno 1532. prodierunt, vt deduximus Art: 41. n. 13. Et si qui alij ab istis emanarunt, de quibus Franch: in Statu Relig: Francisc: pag: 23. mentionem facit. De his duntaxat procedit præsens Art: qualiter & quomodo ad inuicem nunc differant & distinguantur in paupertate, cùm in reliquis Regulæ præceptis conueniant, tàm adinuicem quàm cum Matrice Relig: Min:

Min: Con. Quantùm ad Trincianam seu Paulutianã Reformationem PP. de Obseru: hæc est præcipua differentia inter eos & Capucinos atq; Recollectos à strictiori Obser: nuncupatos, ex suppositione veri; quod ex authenticis producimus. *Primò.* Si PP. Obser: seu Soccolantes, Census & redditus annuos habeant formales, vt asserit Præfatio ad Bullam Pij IV. præposita, quam retulimus Art: 22. quæ sub n. 12. hæc verba habet: *Maximè cùm videmus etiam ipsos Obseruantiæ Regulæ Professores, habere varios redditus & prouentus, sine quibus minimè viuere possent.* Redditus autem & prouentus ex Clement: intra immobilia censentur; vt diximus Art: 48. n. 3. *2dò.* Si illis Priuilegijs Apost: vtantur quæ ex Roder: Obser: adduximus Art: 40. n. 6. Sic enim ex tali suppositione authentica à primicerio Ord: Min. Con: tantùm extrinsecis extra Regulam strictiori tunica atq; arctiori capucio differrent, à Capucinis autem & Recollectis iuxta March: sensum, totò cælo distarent, & omnibus illis Epithesibus cohonestarentur, quibus ob redditus annuos cohonestauit March: primitiuum Ordinem Min: Con: maximè accedentibus alijs Priuilegijs Apost: eodem Art: 40. expressis, & præcipuè admisso dominio dependenti, & promiscua pecuniæ receptione cum licentia Superiorum, vt ibidem sub n. 10. ostendimus. *3tiò.* Si per personas à se deputatas vel assumptas, collectas pecuniarias per vicos & plateas quærant, in eo sensu quem explicat March: in Expos: Reg: pag: 331. Concl: 3. De quo Hugo de Dina in cap: 4. Reg: inquit: *Vitandi sunt etiam turpes quæstus pecuniæ, præsertim publici & communes in loco aliquo vel per Vicos, vbi & species mala est, nec intentio exponi potest multitudini: Nec decet fratres pecuniam sed eleemosynam in generali vel expressè, rem aliquam fratribus necessariam petere. Res illicita turpiter petitur.* *4tò.* Si habeant capsulas vel arculas, seu cippos, siue discos, vel alia vasa quocunq; nomine appellentur, etiamsi Confraternitatum nomine sint disposita, ad colligendas, inferendas, vel asseruandas pecuniarias fidelium eleemosynas, quæ omnia ab Ecclesijs & Sacristijs Ord: Obser: auferri & arceri debent, vt statuunt Const: Obser: in cap: 4. Reg: §. 1. n. 10. *5tò.* Si Syndici (multò magis fratres) in Ecclesijs & Sacristijs vel aliquo Conuentûs loco, denarios vel

pecuniam pro Missis vel aliqua alia causa, seu eleemosynam pecuniariam recipiant, prout præfatæ Const: prohibent loco cit: n. 11. de quo etiam diximus Art: 46. n. 7. in fine. Hæc recensita Ordini Obser: prohibita, si (quod absit) contingeret non seruari, euidens haberetur differentia, inter PP. de Obser: & PP. Capucinos, tum à Strictiori Obser: appellatos Reformatos: Manifestaq; radix & fundamentum deprehenderetur Reformationis & separationis horum ab illis: prout ab initio fuit inter Conuentuales & Obseru.

2. Esset etiam notabilis differentia inter PP. de Obser: & PP. Capucinos ac alios Reformatos. *1mò.* Si Ordo de Obseru: nuncupatus, sequatur opiniones Marchantij puræ Obser: relaxatiuas, vt si res pecuniâ æstimabiles receptas eo animo vt vendantur & distrahantur, non æstimet pecuniam esse receptam, prout vult Mar.ch: in Expos: Reg: pag: 215. Concl: 3. contra suas Const: in 4. cap. Reg. §. 1. de hoc diximus Art: 46. n. 3. *2dò.* Si acquiescat consilio March: & sequatur dispositionem dispensatiuam de Syndicis, prout retulimus Art: 46. n. 8. & sequentibus. *3tiò.* Si iuxta Marchantij sensum recurrat ad paratæ & conseruatæ pecuniæ massam, in qua interuenit thesaurizatio & prouidentia pro futuro, de qua re tractauimus eodem Art: 46. n. 11. *4tò.* Si aliquos vsus vetitos in Art: 47. expressos, nosceretur exercere: ad cuius notitiam reuoluendus est totus cit: Art. *5tò.* Si calceis de panno seu operimento pedum, panneo vteretur. Si vilibus vestibus & repetiatis, non indueretur. Si bigatio vel quadrigatio pro equitatione ab eo iuxta March: sensum, non computaretur & promiscuè tanquam non equitatio ad actum vsus induceretur. Hæc omnia explicauimus Art: 48. n. 1.

3. Insignis etiam esset differentia inter PP. de Obser: & Capucinos, tum à Strictiori Obser: nuncupatos, si primi vtramque procurationem exercerent explicatam Art: 48. n. 2. prout secundæ licitè exercendæ dispensationem ostendimus Art: 40. n. 6. sub n. 25. & sub n. 29. & alijs. *2dò.* Si redditus virtuales complecterentur, expressos Art: præcedenti n. 3. *3tiò.* Si haberent horrea, granaria, oledia, cellaria, braxatoria, fænaria, promptuaria,

ria, vt ibidem retulimus. 4tò. Si iuxta consilium Match: in iudicio contentioso, res Ord: suo Obser: oblatas, donatas, legatas, per Syndicos suos vendicarent, etiam sine FF. assistentia, vt probauimus præced: Art: n. 4. 5tò. Si haberent Ecclesias sumptuosas, ædificia excessiua, ornamenta Ecclesiastica pretiosa, & testamentorum vel Sponsaliorum actibus implicarentur, vt loco cit: ostendimus. In his præfatis notabilis differentia inter Ordinem de Obser: & alios Reformatos, intercedere nosceretur, siue prædicta haberentur media dispensatione siue non: Cuicunq; enim dispensationi, tempora Vrbani VIII. præcedenti in Ord: Obser: ademptus est vsus, & præclusus aditus, per Bullam: *Sacrosanctum Apostolatus.*

4. Capucini autem quibus & quomodo differant à Recollectis seu à strictiori Obser: nuncupatis, & hi vicissim ab illis, vnicuiq; patere potest reuoluenti omnes præfatos vsus. Ille namq; Ordo Min: perfectè est reformatus & alio strictior, qui cunctos supra dictos vsus paupertati modificatæ aduersos, auersatur, & seruat omnia paupertatem exactè modificantia, actu vitæ non sono linguæ, reali non nominali, operatiua non appellatiua Obseruantia, solo dominio & iure naturæ contentus, explicato Art: 44. n. 9. & talis Ordo Min: dicendus est purè, propriè, & realiter secundùm nomen suum reformatus, magis accedens ad statum penuriosum, quàm accommodum, vt discurrit Corduba in cap: 4. Reg. Ille autem qui aliquos ex recensitis vsibus paupertati modificatæ aduersis admittit, & pauciores rigidos actus seruat, plusq; declinat à dominio & iure naturæ, & magis accedit ad dominiū & ius dependens, siue per Priuilegia Apost: siue per licentiam expressam vel tacitam suorum Prælatorum, ad mitigandas accidentarias Obseruationes, facultatem habentium, eo modo quo explicat Faber cit: Art: 33. n. 7. hic talis Ordo Reformatus, huiusmodi laxiori Obseruantiâ paucioritatem actuum rigidorum, paupertatem modificantium & restringentium complectente, differret à priori simpliciter Reformato, tanquam secundùm quid & cum adiecto ac diminutè Reformatus.

5. Quæ autem sit causa & radix tam multiformium in Or-

dine

dine S. F. Reformationum, videndus est Franciscus Geraga in sua Centuria Dubio 54. n. 324. Seraphicus namq; Pater Franciscus totus Christiformis, sicut Saluatoris nostri per omnia typum gessit in Natiuitate, Vita ac in Morte, ita & sua Religio Ecclesiæ Catholicæ, apprimè existit assimilata, vt de ea possit verificari illud, quod Regius Vates Vaticinatus fuit de Ecclesia Christi: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumamicta varietate.* In tanta ergo varietate mirificè Ecclesiam exornante, non cessat S. P. F. semper fætu nouæ prolis, Religionem suam multiplicare, nam præter suos primogenitos & patrimos filios, sui Christiformis Corporis, perpetuos Custodes Minores Con: dedit tot filiales propagines, tàm latè ramos suos extendentes, vt quælibet seorsim sumpta, integræ & perfectæ adæquet Religionis nomen. Alios Obseruantinos. Alios Capucinos. Alios Reformatos. Recollectos Excalceatos. Recollectos Reformatorum à viginti annis circiter inceptos, excepto secundo Ordine S. Claræ Dominarum Pauperum, tum Tertij Ordinis vtriusq; sexus caterua sequente. Et hi omnes diuersi diuersa accipientes dona, alius quidem sic, alius vero sic: concurrunt in vnam tunicam Christi, eandemq; inconsutilem & desuper contextam: Sed polymitam ob multimodam distinctionem, inconsutilem verò propter indissolubilis Charitatis indiuiduam vnitatem, dum sunt soliciti seruare vnitatem Spiritûs in vinculo pacis. De his omnibus dicam sincerè cũ Bernardo. *Laudo omnes & diligo vbicunq; iustè & piè viuitur, in Ecclesia vnum* (Ordinem) *opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) vt nè illorum quidem fructu frauder, quorum instituta non sequor. Quid ergo? Cisterciensis sum: damno igitur Cluniacenses? absit.* Idem dico & ego. Primicerij Ordinis Min: Con: sum: damno igitur filiales Ordines Obseruantinos? Capucinos? Reformatos &c. absit: *Sed diligo, sed prædico, sed magnifico. Cur ergo inquis Ordinem illum non tenes, quem sic laudas? Audi. Propter hoc quod Apostolus ait. Vnus quisq; in ea Vocatione in qua vocatus est, permaneat. Quòd si quæris, cur & à principio non elegerim, si talem sciebam? Respondeo propter id quod rursus ait Apostolus: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.*

ARTICVLVS L.

In quo omnia Erasmo-Marchantina lædoria & maledicta indigitantur. Et quo loco, atq; quomodo sunt refutata commonstrantur.

1. EDidit Petrus Marchantius Obseru: vt diximus Art: 36. contra Regulæ normam omnis honestamenti & honoris Franciscano-Conuentualis dispoliabulum: specioso Expos: lit: Reg: nomine intitulatum, Typis Gulielmi Lestenij Anno 1648. Antuerpiæ impressum; eo fine prout in nuncupatoria suo Ministro Gen: Joanni à Neapoli dicata, ipsemet testatur, vt Hostiam id est S. Fran: Regulam, ex micis panis (supple verbis S. Euangelij) ab eodem confectam: Quæstionibus, Dubijs, Resolutionibus Marchantinis, ipsomet ita dicente, *velut in suas micas distributam, & demum integritati suæ redditam.* præfato Min: offerret, & ipsemet Minister de ea comederet, & filijs suis comedendam distribueret; per illamq; tanquam per carbonem ignitum, filiorum corda purgaret, illuminaret, & perficeret: quem finem si intra peripheriam sui Ord: Obser: conclusisset, & extra orbitam in alienam messem, falcem iniuriosam non transmisisset, hæc Hostia Marchantina Expositionis non expoliationis vel expilationis, honoris alieni forsan nomenclaturam promeruisset: sed quia Marchantius suas Micas in Hostiam conglutinandas, compaginare noluit, nisi totum corpus famæ primicerij Ordinis Min: Con: in minutas micas incidisset, vt faciliùs extra manus bonæ opinionis, & humanæ existimationis excidisset. Proindè non iure sed iniuria, hanc Hostiam obtulit & distribuendam dicauit; non ad comestionem salutarem, sed ad traductionem letalem: non ad illuminationem suorum, sed ad denigrationem aliorum: non ad purgationem spiritualem, sed ad criminationem feralem, alterius Ordinis PP. suorum & proanctorum Min: Con: vt in his micis tanquam in cubilibus Struthionum Marchantini sequaces consistentes, ipsius fabulis feti illisq; innixi, in vestimentis ouium eas expo-

nentes velut lamiæ nudatis mammis, catulos suos lactarent, publicè euangelizarent, ad mensam legerent, contra Min: Con: Statum prauitatis Marchantinæ errores spargerent, diuersas facies præseferentes; caudas tamen ad inuicem colligatas gerentes. Astu prædicantes hanc expositam & à Marchantio per micas distributam Hostiam, esse ex pura simila confectam: & si locò antidoti virulento traductionis veneno illitam, hosticum potiùs quã Hostiam olentem. Sanè absq; præiudicio & diminutione famæ aliorum, Sacri Can: panem frangere paruulis, & pro instructione spirituali, Hostiam alijs distribuere iubent: vt causa 5. Q. 5. cap: 2. *Vtiliùs esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligebat, quàm esurienti panis frangitur, vt iniustitiæ seductus acquiescat. ---- Noueris aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando pastorem, flagello ad gregem pecora errantia reuocare.* Et iudicet qui vult, quod leuius crimen sit: an clam minuere rem alienam, quàm palam eripere famam alienam, aut sine vi ad quæstũ abuti tuo alienouè corpore, quàm vitam alterius ac famam; Vitâ quoq; chariorem, impetere, & interimere.

2. Et certè tolerabilior esset PP. primitiuis hæc iniuria, si ab alterius nominis & inferioris conditionis homine, eam contingeret pati: sed à filio & fratre spirituali, à posthuma viscerum nostrorum Franciscana prole, à Fratre Minore strictiorem perfectionem, modestiam & obseruantiam profitente, & quod maius est, altero vinculo accedente, vt duplex difficiliùs rumperetur. Nimirum tot phaleratis titulorum splendoribus in suo Ordine coruscante, vt potè auctoritate *in Comitatu Flandriæ Ministri Prouincialis, supra Prouincias Germaniæ, Belgij & Britannicas &c. Commissarij Generalis, tandem & Diffinitoris Generalis* præfulgente, & ex consequenti per exemplaritatem ad maiorem perfectionem obstricto. Hac auctoritate quantò magis suffarcinatus extitit, tantò inuidus in maius incendium, liuoris ignibus incensus, in suos Patres Min: Con: exarsit: inde deterior factus vnde perfectior fieri debuit. Hinc obliquo affectu præuentus, erroneè putauit nunquam suum Ord: filialem Obseru: demonstrari potuisse satis esse laudatum, nisi eidem per infandas criminationes, Paternum Ordinem

Min:

Min: Con: pro victima obtulisset vituperatum & coinquinatum: Eò solùm in suo libello famoso specioso nomine Expos: Reg: palliato collimare visus est; vt suus Ordo summè exaltaretur, & primicerius in imum deprimeretur: acsi illius laus ex istius cresceret iniuria, clarior gloria ex obscurato & adulterato nomine alterius nitesceret. Sed misera & Minoritica professione indigna gloria: aliena obscuritate inclarescere, fraterno vituperio laudari. Nullibi peiùs laudes deponuntur quàm in ore hominum, vbi mendacia nidum habent. Nihil magis quàm illorum laudes malè olent, quorum dicti & facti in libro stylus sordet. Duplex in vno libro crimen. Marchantius nè esset in suo libello famoso parùm Irreligiosus, tertium adiunxit. Scilicet ementitam detractioni speciem virtutis affigens, eam nomine Expos: lit: Reg: vulgando: adinstar pseudomedicorum, quorum tituli remedia habent, pixides venena. Non secùs ac illi profanæ sapientiæ Cultores, qui eloquium suum velut aurum splendentis, & pretiosi coloris corusco resultans, conspectui imperitorum ingerebant, quorum oculos & animos præstigiosè fascinando, perstringebant: sed vt dicit Ambrosius. *Aurum hoc si diligentiùs tractes, foris pretium, intùs metallum est. Volue quæso atq; excute sectam gentiū, pretiosa & grandia sonant, veri effeta defendant. Deum loquuntur, simulacra adorant.* Vigeat virtute, floreat sapientia, exaltetur honore, & digna commendetur oratione, filialis propago Obseru: eius encomia sunt Paterni Ordinis Min: Con: præconia: quia gloria Patris est Filius Sanctus & sapiens: tamen indignum est vt huiusmodi laudum gradus per alterius diminutionem, & famæ obscurationem consequatur, etiam sub nomine Expositionis Reg: profanorum enim vanitatis expositorum officium esse, falsitatis sermonibus figmentare mendacia, & innocentiæ fidem conferre criminibus.

3. Profecto Diuina Prouidentia suauiter & fortiter disponens omnia, pro meliori nostro, non solùm hæreticos sed etiam falsos fratres, ad nos exercendos permittit: Augustino de Genesi contra Manichæos lib: I. cap: I. dicente. *Ideò Diuina Prouidentia multos diuersi erroris hæreticos* (tu adde etiam falsos fratres)

esse permittit, vt cùm insultant nobis & interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, & Diuinas Scripturas nosse cupiamus (sicut in præsenti vt Statum nostrum Min: Con: cognoscamus) *Propterea vt Apostolus ait: Oportet & hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos. Hi autem Deo probati sunt, qui bene possunt docere: Sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cùm docent.* Hinc vt etiam nos hominibus manifesti simus: Statim ab origine Religionis Franciscanæ ceu ab ipso fonte duce scilicet defluente, alueo historicè vestigato & delineato, Ortum instituti Nostri Min: Con: ætatis progressum, temporis successum, accidentium motum: eorundemq; fluxum & refluxum, atq; semper eundem ab initio essentialem, immotum, & inuariatum statum in his 50. Articulis chronologicè docemus & demonstramus. Textibus Auctorum verbatim productis, & Verbis Sanctorum assumptis: vt velut ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in hanc operam nostram siue historicè siue apologiticè lectori congessimus.

4. In præsenti ergo Art: cum Erasmi Acatolici Articulo 35. relata, tum Petri Marchantij Obseru: Art: 36. recensita, indigitamus maledicta, contra primicerium Ordinem Min: Con:, ab vtroq; specificato Auctore calumnioso calamo exarata: quæ, vbi, quomodo, & quibus rationibus, hæc eorum deliramenta dissoluimus & confutauimus, in præsentiarum prænotando Articulos, & vnicuiq; suo adiuncto numero ostendimus: & lectorem manu ducimus ad cognitionem veri & confutationem falsi, ab vtroq; impostore conficti. Atq; alterutriq; pro diuersitate Statûs & pro doctrinæ diffamatæ qualitate, respondemus: Ad eum modum quo refert Athenæus lib: 14. Marsyæ respondisse Apollinem, eum in cantu superare & temerariè vituperare attentanti. Tum Babyi Marsyæ morem imitanti retulisse. Marsyam Apollo excoriauit & supinum de pinu suspendit: cumq; Babyi sequaci similis pæna pararetur: Palladis interuentu, eo quòd peius & infeliciùs Marsyâ in Apollinem caneret, supplicio exemit, & suæ inscitiæ reliquit, tàm stolidum vituperonem, etiam punire dedignatus. Non absimiliter Erasmo & Marchantio venit respondendum. Erasmo vti Heterodoxo inter vetitæ lectionis schedas suspen-

suspenso, fide excoriato, & inter steriles suorum Symmistarum, pineos conos pendulo relicto, abiecto & condemnato: Marchantium vti peius & infeliciùs Erasmo contra Statum Min: Con: blaterantem, suæ inscitiæ confutatum relinquimus: & duntaxat eius scommata & conuitia in Min: Con: iactata, statuimus contra faciem suam, eorum in diuersis locis indicando solutiones, & confutationes: facilè credentes Marchantio confutato, Roterodamum illicò crepiturum, sicut Cretensem Victo Æginetâ. Et nè hæc falsa faciem veri sumant, neuè silentium non ex delectu sed ex necessitate veri, pendere videatur, neq; ex causis modestiæ sed malæ conscientiæ ortum ducere existimetur, & per opiniones humanas serpendo, ampliùs diffundatur, præmonemus Lectorem, vt hæc falsa & iniuriosa Erasmo-Marchantina per indigitatas solutiones, & veri authenticas probationes, prius discutiat, & in æqua reponat trutina: licet enim vt benè aduertit Franchinus in suo Apologemate pag: 3. *Nostrates tàm manifestæ veritatis impugnationem* (addo ego & falsitatis assertionem) *parui pendentes despectu, vires vel addidêre vel non minuêre.* Justa tamen ratione hæc despexerunt fabulamenta, vti improbabilia & deridicularijs fundamentis constantia. Sunt namq; quædam opiniones adeò in se inanes & veri vacuæ, vt ex solo terminorum inspectu, ne quidem veræ, sed nec credibiles appareant, & suâ imbecillitate euanescant: sicut nix & glacies, dum ad solis calorem exponununtur, in semetipsis, & per suamet principia funditùs dissoluuntur & colliquantur, non secus ac Erasmo-Marchantina delitamenta: quæ ne virus exitiale imperito & simplici animo fascino præoccupato instillent: ea ex Art: 36. ad hunc locum reuocamus, & per Ordinem, Alphabeticam seriem superantem, subijcimus refutata, & suis locis indigitamus dissoluta: & quàm Sophisticis ac futilibus nitantur rationibus, commonstramus reprobata.

1. A. *Fratres Min: Con: simpliciter & sine adiecto non possunt &c.*

5. Hunc fescenninum versum veritatem in vanitatem vertentem, refutauimus Art: 34. vbi probauimus Min: Con: seruare Regulam S. F. ad literam simpliciter: Etsi Minores Con: ob pri-

uilegia Apost: admissa non possent dici seruare Regulam simpliciter nisi cum addito, iam potiori ratione hoc epitheto Ordo Obser: honorari deberet, vt probatum est ibidem n. 19. Deindè Art. 37. n. 8. probauimus Min: Con: ex vi suæ professionis seruare essentialia & substantialia simpliciter absolutè & non secundùm quid. Et si ob differentiam Votum paupertatis accidentaliter modificantem per Priuileg: Apost: sublatam Min: Con: non simpliciter dicerentur Minores, iam ponat speculum March: ante oculos suos & suorum contubernalium expositum Art: 37. n. 11. Atque exeat ipse vel quiuis eius Sectator tanta animositate inflatus, & dicat ex paritate rationis Ecclesiam Orthodoxam modernam, ob sublatam accidentalem paupertatem, non posse simpliciter & sine adiecto dici Ecclesiam: prout dicebatur primitiua. Dicat pariter Illustris Ordinis FF. Prædicatores non posse simpliciter & sine adiecto dici Prædicatores vt à principio dicebantur: etsi ea fronte has blasphemias asserere audeat, quâ in Min: Con: Ordinem istam absurdam epithesim euomit, certè ex eodem tribunali pari cum Erasmo Acatholico rogo veniet adiudicandus, & in eadem pyra concremandus, vt latè deduximus cit: Art: 37. n. 12. & n. 13. Videndus etiam est Art: 34.

6. Hoc idem dicendum esset per consequentiam Marchantinam de omnibus alijs Regularibus, bona in communi ex Concil: Trid. per dispensationem modificantium paupertatis possidentibus, quod tamen erroneum cit: Art: 37. n. 14. demonstrauimus. Et tantùm abest quòd Min: Con: simpliciter & sine adiecto, non possint dici FF. Minores: vt potiùs nullo modo possint dici secundùm quid seu secundùm additum Minores, quò ad Votum paupertatis modificantia: respectu quorum ipse filialis Ordo Obser: nullo modo potest dici simpliciter & sine adiecto diuisiuè Ordo Minorum Obser: si vult esse non nominaliter sed verè Obseruantinus, ideo debet dici in paupertate Ordo Min: Obser: secundùm quid & cum adiecto, vt latiùs deduximus Art: 43. n. 5. Quare ex præsenti indice clarè patet contra March: verificari illud quod dixit D. Psaltes. *Veniat illi laqueus quem ignorat, & captio quam abscondit comprehendat eum, & in laqueum cadet in ipsum.*

In

In quæ verba August: inquit: *Inde decipiuntur, vnde decipere voluerunt. Inde illis nocebitur, vnde nocere conati sunt. Tanquam si quisquã veneni calicem præparet alicui & oblitus bibat. Et tanquam si foueam fodiat quisquam, in quam inimicus eius in tenebris incidat, & ille oblitus quod foderat ambulans ea viâ, prius illuc cadat.* Per has rationes indigitatas, multa absurda Erasmo-Marchantina contra Min: Con: Statum epudorata fronte & manu coniecta, solui & vsq; ad fundamentum exinaniri possunt: prout & hæc sequens epithesis, optimè per dicta diluitur.

2. B. *Conuentuales FF. Minorum simpliciter non vouent &c.*

7. Quòd primicerij Min: Con: Regulam S. F. simpliciter voueant: præterquam quòd id ipsum ex locis nunc immediatè cit: quisquam analyticè cognoscere possit, verùm etiam hæc blasphema epithesis a Summis Pont: ictu Excommunicationis feriatur, vt ostendimus Art: 3. n. 3. Si enim non simpliciter Min:Con: vouerent Regulam S. F. non simpliciter veri Obseruatores Regulæ dicerentur, quod loco cit: Anathemate depellitur. Tum etiam Art: 38. n. 4. & n. 5. Quòd autem per Priuilegia Apost: Regula S. F. non sit relaxata & in essentialibus diminuta, præter rationes contra vtramq; epithesim indigitatas euincunt argumenta, quæ subministrauimus diuersis locis vt Art: 9. n. 30. & n. 32. Art: 10. n. 21. Art: 26. n. 6. & n. 7. Art. 30. n. 5. & n. 7. n. 8. & n. 9. Art: 41. n. 19. vsq; ad finem. Neq; enim Priuilegia Apost: Regulam S. F. relaxant in eo sensu quem notauimus Art: 9. n. 33. & Art: 40. n. 5. in fine.

3. C. *Conuentuales relaxati omnes vt membra à corpore &c.*

8. Conuentuales non debent dici simpliciter & absolutè per Priuilegia Apost: relaxati ea ratione, quam adduximus supra citatis Art: 9. n. 33. & 40. n. 5. in fine. Tum Art: 33. n. 7. Aliàs omnis Ordo qui reformationem admisit, dici deberet relaxatus, iuxta dicta Art: 26. n. 10. quod tamen nonnisi de accidentali & licita relaxatione verificari potest. Neq; ijdem primicerij Min: Con: vt membra à corpore toto dissona per Leonem X. fuerunt rescissi in aliud Corpus, vt Mastigophorus in suo libello inficeciarum plenissimo, nugatur Marchantius. Primicerij namq; Minores

res iam in modificantibus paupertatem habuerunt Priuilegia A-post: ab Anno 1265. vt diximus Art: 31. n. 3. & sequentibus temporibus ab alijs Pontificibus, vt probauimus Art: 32. Si ergo eadem Priuilegia, eadem essentialis Obseruantia, eadem duorum principalium Votorum qualificantia, Min: Con: eadem Regula quæ nunc est, fuit ante, in tempore & post tempora Leonis X. in eodem Ordine & sub ijsdem Ministris Gen:, ostendat Expositor Erasmi hanc differentiam dissonam membrorum, & Corpus aliud Ordinis, à quo hæc membra fuerunt dissona & ab illo rescissa. Ante tempora enim Leonis X. duo tantùm Ordinis Minorum fuerunt corpora, à seipsis diuisa. Primum paternum Ordinis Min: Con: sub suis Ministris S. F. directis Successoribus militans. Secundum filialis Ordinis Obseruantini sub suis Vicarijs seiunctim degens, & separatum, atq; independens ab Anno 1415. partialiter existens, vt diximus Art: 13. n. 5. Vniuersaliter autem ab anno 1446. vt Art: 14. n. 19. retulimus: reseruata duntaxat vmbratili connexione filialis Ordinis, ad primicerium Min:Con: Confirmationis & Visitationis non secundùm Regulam limitatæ. Tandem Leo X. filialem Ord: in absoluta Relig: etiam nominaliter ab Ordine Min: Con: non pendente constituit. Hæc dicitur diuisio Leonina à primitiuo Ord. Min: Con:, non ex eo quasi antea Ordo filialis Obser: in alio Corpore reali subsistens, non fuerit diuisus ab Ord: Min: Con: cùm oppositum supra locis cit: sit ostensum: Sed ex eo, quia in noua dignitate absoluta & formata Religione, absq; vlla dependentia etiam nominali, Ordo filialis Obser: à Leone X. fuit institutus, & Ordo primicerius Min: Con: in veteri statu cum suis antiquis priuilegijs Apost: permansit inuariatus, nec hilum immutatus, & à suo corpore antiquo, in membris suis in nullo dissonus, neq; in aliud corpus discissus, vt ipsimet Ministri Gen: ingenuè fatentur tempora Leonis X. præcedentes, vt retulimus Art: 41. n. 6. & sequentibus idem ostendimus Art: 16. n. 17. & Art: 30. n. 27. Hoc idem fatentur rotundo ore omnes Auctores Obser: vt Haroldus à nobis cit: Art: 30. n. 31. Jacobus de Riddere Obser: in suo Speculo Apoleg:pag: mihi 15. in hæc verba: *Conuentuales post maturam deliberationem re-*
solue-

soluerunt se malle in antiquo more cum Priuilegijs Apost: viuere, quàm ad Obseruantium vitam transire.

4. D. *Conuentuales spoliati sunt Ministeriatu &c.*

9. Hunc terminum sub nomine spolij & spoliatoris, esse feralem Art: 12. n. 23. ostendimus, & feritatis atq; contumeliæ plenum, reuerentiamq; Summo Pontifici debitam insigniter ferientem, ibidem demonstrauimus. Hoc autem quod nugatoriè garrit March: Conuent: spoliatos fuisse Ministeriatu & alijs Officijs Ordinis, confutauimus Art: 39. incipiendo à numero 6. vsq; ad n. 10.

5. E. *Conuentuales à primo stipite separati sunt &c.*

10. Diximus supra Art: 30. n. 14. Marchan: nunquam potuisse nec posse ostendere respectum cæcum, quo respiciant Minores Con: petram, de qua per commentum March: excisi finguntur: Neq; hanc petram designari posse, siue enim S. F. vt Fundator accipiatur pro petra, vti Christiformis ad similitudinem Christi de quo dicitur. *Petra autem erat Christus.* Ab hac petra non sunt excisi Conuentuales, neq; à longè cæco respectu eã respiciunt, sed in ea fundati ipsius corpus integrum actu possident, cuius hæreditarij Custodes à principio effecti, vsq; nunc continuò sine vlla interruptione etiam perseuerant. Siue hæc petra intelligatur S. F. Regula, ab hac non sunt excisi Con: sed ei natiua statim à principio compagine cohærentes, in essentiali eius & literali obseruantia vsq; nunc remanent persistentes, vt latè deduximus à pag: 391. vsq; ad pag: 465. Potiori ratione Marchantio & eius sectarijs illud Isaiæ cap: 51. oggerere quis posset; *Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos,* id est ad Matricem Min: Conuentualium Relig: quæ peperit Ordinem Obser: vt probauimus Art: 12. & sequentibus: Tum Art: 29. incipiendo à n. 12. vsq; ad n. 15. Sicut de petra, ita & de stipite Marchantinæ epithesi respondendum est: Dicat March: à quo stipite sunt Min: Con: separati, non à S. F. neq; à Regula eius, vt ostensum est. Ergo ab alio stipite sunt separati. Et vt verum existimem vel diuinem, forsan ab illo stipite sunt separati de

quo Ouidius 4. Fast: *Querno religant in stipite funem:* qui per translationem teste Calepino V. *Stipes:* accipitur pro stulto, insulso & fatuo; de quo Ter: in Hea: *Caudex, stipes, Asinus plumbeus.* & Cic: in Pis: *Tanquam truncus atq; stipes si stetisset, modò posset sustinere tamen Titulum Consulatus.* Si a tali stipite sunt separati Min: Con: dextras dant Marchantio manus, ei nihilominus compatientes, quòd ab huiusmodi stipite non sit separatus. Si autem ipsimet cum suis sequacibus compaginari sic placet, & ab huiusmodi stipite non diuidi, tunc ei & socijs eius sic illigatis, Ordo primicerius Min: Con: cum pænitente Dauid humiliter decantabit illud Psal: *Circumdederunt me Vituli multi, & Tauri pingues obsederunt me:* atq; Marchantium & quemuis eius sequacem phrasi Hieronymiana alloquetur inquiens. *Bono tuo crassus sis, me macies delectat & pallor.*

6. F. *Conuentuales Priuilegijs contra Regulam vtentes &c.*

11. Quòd Priuilegia à Sede Apost: Min: Con: concessa, nō sint contra Regulam, & eis vtentes nihil faciant contra Regulā, omnibus illis rationibus euincitur, quas sub diuersis Art: congessimus, & indicauimus sub secunda Epithesi B. & sub nona I. Idem videri potest Art: 14. n. 6. & Art: 31. n. 9. & vltra. Quòd autem Min: Con: non sint sepatati in aliud corpus anomalum, vt March: comminiscitur, constat per rationes indicatas in tertia Epithesi C. præcipuè locis signatis in fine. De Anomalo autem Corpore per hymericum somnium à Marchan: effigiato, non secus ac à Pegaso, cùm in Helicona euolasset, subiectám tellurem vngulâ feriente & fontem aperiente, de Hypocrene fabulis profluente, subijcitur reflexio, Art: 30. n. 31. vsq; in finem.

7. G. *Conuentuales nonnisi multùm truncatam S. F. Regulā &c.*

12. Hæc epithesis dissoluenda est per rationes contra primam epithesim A. indicatas. Quòd autem Priuilegia Apost: nullius Ordinis ab Ecclesia approbati, Regulam truncatam efficiant, & vt truncatam obseruari iubeant, soluitur hæc impostura per rationes contra secundam epithesim B. indicatas.

8. H. *Nomen Conuentualis sumitur pro ijs qui Priuilegijs Regulam &c.*

Hæc epithesis soluitur per rationes diffusè adductas Art: 26.

per

per totum, sed præcipuè incipiendo à n. 4. & Art:30. n. 6.

9. I. *Nullus talis Gen: totius Ordinis fuit, nec Professionem &c.*

13. Hæc epithesis in oculis solis falsa & mendax, abunde confutatur per Recensum Ministr: Gen: vt patet ex Art: 5. n. 22. Art: 6. n. 10. Art: 7. n. 7. & n. 9. Art: 8. n. 5. & n. 14. & n. 17. Art. 9. n. 24. & n. 27. & n. 32. Art: 10. n. 26. Art: 11. n. 3. Art: 14. n. 3. & n. 10. Art: 15. n. 11. & n. 21. Art: 30. n. 6. & n. 9. & n. 16. Art: 31. n. 10. Art: 32. n. 7. Deinde hæc omnia cit: locis allegata epilogio sunt contracta Art: 30. n. 34. Quòd autem eandem Obseruantiam cum hodiernis Min: Con: Primitiui Ministri Gen: fuerint professi, patet euidenter ex Art: 43. à n. 8. incipiendo, vbi n. 9. & n. 10. manifestè ostenditur primitiuos Min: Con: cum Priuilegijs Apost: professionem emittere fuisse solitos, etiam ante annum 1517. Hinc erubescere deberet si haberet frontem March: euidenter mentiendo, & pag: 62. hæc verba proferendo. *Minùs professionem Regulæ sub huiusmodi dispensationibus vllus emisit, ante Annum 1517.*

10. K. *Nomen Conuentualium sub hac significatione postrema &c.*

Hæc impostura March: refellitur per ea quæ diximus Art: 26. n. 4. & n. 5. & vltra.

11. L. *Conuentuales Regulam S. F. priuilegijs alteratam &c.*

14. Hæc epithesis ex Erasmo-Marchantino cerebro pullulans, optimè diluitur per eas rationes, quas indicauimus primam A. & secundam B. epithesim euertentes, locis ibidem cit: Nouus Grunnius Marchan: de quo dicebat Hieron: ad Rusticum Monachum: *Criticum diceres Longinum, censoremq́ Romanæ facundiæ, notare quem vellet, & de Senatu Doctorum* (tu dic de consortio fratrum) *excludere.* Licebat enim Censoribus Romanis Senatu pellere, quemadmodum Portius Cato Titum Flaminium Senatu mouit, Iunius Brutus Lucium Antonium, álij alios, ex Valerio Max. Eiusmodi se exhibet March: vniuersi Ordinis Min: Criticum censorem; quos vult absq; auctoritate, vt Legatus sine mandato, de S. F. excludit fraternitate, & consequenter eo facto, seipsum ab ipsius subtrahit vnitate: quia vt sit quis verus frater, colligatam debet tenere fraternitatem: vt docet Chrysol: de Pace

hom: 53: inquiens: *Teneat se profunda pacis nexibus colligata fraternitas, & salutari vinculo charitatis, mutuâ se dilectione constringat.* A qua dilectione elongatum March: paterno affectu suscipit Ordo primicerius ad suam fraternitatem: Sciens per huiusmodi falsos fratres fraternitatem non perire: ex August: in Psal: 132: dicente. *Charissimi, sunt qui & Monachi falsi sunt, & nos nouimus tales, sed non perijt fraternitas pia, propter eos, qui profitentur quod non sunt. Tam enim sunt Monachi falsi, quam & Clerici falsi, & fideles falsi.* Neq; obest Ordini primicerio poni à March: extra S: F: fraternitatem: quia vt dicit Hieron: cap: in Leuit: *Et ita fit, vt interdum qui foras mittitur intus sit, & ille foris, qui intus retineri videtur.* Maximè quia hæc extra S: F: fraternitatem missio, agnoscitur per March: propter Priuilegia Apost: in Ordine Min: Con: admissa: hæc autem sicut à vera filiatione S: F: ita etiam à vera fraternitate Min: Con: non excludunt: Nisi apud illum qui blasphemus esse vult, & Excommunicationi Sedis Apostolicæ subiectus, vt ex indicatis locis, ad primam & secundam epithesim constat.

12. M. *Conuentuales non censentur eodem semine nati &c.*

15. Si primicerij Min: Con: non censentur eodem semine nati, id est per Reformationem Sementinam, è Paulutio Conuentuali Laico enati & extorti, vt diximus Art: 12: hæc epithesis vera est; Si autem dicantur Min: Con: non eodem semine nati, id est non per eandem Regulam S: F: prognati: hoc totum Excommunicatione Pontificia sublatum est, vt ad primam & secundam epithesim, loca indigitata clarè demonstrant. Ad propositum faciunt ea quæ diximus supra n. 10. Intelligendo ergo per sementem & sanguinem eandem S. F. Regulam, ex determinatione Ecclesiæ & essentiali Obseruantia Regulæ, ostensa Art: 34. & Art: 37: eandem sanguinis communionem habent cum filiali Ordine Obseru: vti Patres cum filijs, excepto deriuatiuo Reformationis Ortu. Priuilegia autem Apost: nè quidquam in substantialibus minuere vel alterare possunt S. F. Regulam, vt ex locis indicatis, etiam Luscus euidenter videre potest.

13. N. *Altissima paupertate quæ omnis rei proprietatem &c.*

16. Falsum imprimis præmittit quòd nullus hucusq; Ordo in

in Ecclesia, paupertate altissimâ Franciscanæ fraternitati fuerit assimilatus: cùm tamen Sacer Ordo Dominicanus in æquali paupertate fuerit institutus, vt probauimus Art: 37. n. 13. Post hoc falsum præmissum, adijcit falsissimum & simul blasphemum, quo cum ipsomet asserto Excommunicatione feritur Pontificia, vt contra secundam epithesim indigitatis ostendimus locis. Vt autem Marchan: & sui sequaces, qui hanc eius epithesim sequuntur & promulgant, cognoscant genus suum, scilicet cuius generis sunt, eos remittimus ad Art: 43. incipiendo à n. 16. vsq; ad finem.

14. O. *Moderni Min: Conuentuales à priorib⁹ antiquis toto cælo &c.*

17. Quòd Moderni Con: nè vtiquam toto cælo, sed nec etiam tantillum quantum est hilum, sint distantes à prioribus antiquis: quia si distantes, hæc distantia intercederet inter eos, ex priuil: Apost: admissis bona stabilia in communi concernentibus; Sed etiam priores antiqui Min: Con: habuerunt Priuil: Apost: huiusmodi, vt ostensum est Art: 5. n. 22. Art: 6. n. 10. Art:8. incipiendo à n. 15. vsq; ad finem. Art: 9. incipiendo à n. 32. vsq; ad finem. & summatim omnibus illis locis indigitatis contra epithesim nonam I. quæ contractè expressimus Art: 30. n. 34. Si ergo primorum Conuent: eadem Obseruantia fuit per Priuil: Apost:, eadem ipsamet Priuilegia, eadem Professio, vt ostendimus Art: 43. n. 9. Ostendat quæso March: quo toto cælo distant: Nisi eo cælo, quod fabricauit in suo intellectu, Mythologijs & fabulis scatente.

15. P. *A tempore S. F. vsq; ad Concil: Const: nullus frater &c.*

18. Hæc impostura seriò diluitur per Art: 29. vbi cognomentum Conuent: statim ab exordio Constit: Innocentianæ, fuisse in vsu apud primitiuos Min: Con: sine interruptione, vsq; ad hodiernos demonstramus, quod ampliùs præstamus per Art: 30. & Art: 41.

16. Q. *Nomen Conuentualis primò inditum est à tẽpore Concilij &c.*

Præter indigitatâ immediatè loca, patet antiquus & primordialis nominis Conuentualium vsus, ex Art: 24. Art: 27. & Art: 28. per totum, sed præcipuè n. 12.

17. R. *Conuentuales sunt Antiquiores Obseru: non huius nominis &c.*

19. Hic puerilis lusus soluitur per ea, quæ diximus Art: 29. n. 14. Doceat March: vel quiuis doctrinæ eius sequax, quomodo FF. de communitate antiqua in modernos Conuent: deuoluti sunt? quia si deuoluti, iam per deuolutionem in Conu: modernos prius desierunt esse FF. communitatis antiquæ, quam incepe-rint Conuentuales, quia si non desijssent esse quod erant, tantùm transnominati fuissent non deuoluti, & sic ijdem re inuariati & non immutati, tantùm diuerso nomine appellati: Nomen enim pro nomine sumptum, rei essentiam & existentiam non variat. Si autem desijssent, iam per priorem formam desijssent, & per aliã realiter & essentialiter diuersam incepissent: Forma enim est, quæ dat esse rei. Ostendat igitur March: vel quiuis eius Sectator, hanc diuersam realiter & essentialiter formam, seu differentiam desitionis, & aliam quidditatiuè differentem inceptionis, tunc ipsius calamum lauro coronabimus. Et si vt scripsit March: osten-derit per Priuil: Apost: bona stabilia in possessu communi habita, tunc neq; hederâ pro vendibili Expos: lit: Reg: appensâ Mar-chantium dignabimur, quia pereunte accidentali prout est pau-pertas in communi, vt Art: 37. n. 8. & n. 14. ostendimus, essen-tiale interitum non subit, nisi & ipse March: cum sequacibus con-tra Reg: suas Mythologias in Conuen: sparsas, sequentibus & Priuilegia Apost: Art: 40. n. 6. indicata amplectentibus, in alte-rius speciei formam à Paulutio suo Antesignano, deuolutionem incurrere velit.

18. S. *FF. de Communitate & Conuentuales dicti vsq; ad &c.*

Huius fabulæ deliramenta apertè confutant rationes indigi-tatæ contra epithesim nonam I. præsertim Art: 43. incipiendo à n. 8. vsq; ad n. 16.

19. T. *FF. de Communitate seu Con: non potuerunt licitè &c.*

20. Huius fictionis falsitatem euincunt ipsa Priuil: Apost: ab vniuersa communitate Min: Con: admissa, & per nos probata illis Art: quos specificauimus sub epithesi nona I. Deinde Leo X. nullum Priuil: Apost: possidendi bona stabilia concessit primitiuo Ordini Min: Con: vt patet ex Art: 30. n. 16. Et si Minores Con:

ante

ante Leonem X. non habuissent priuilegia Apost: possidendi bona stabilia & pecunias recipiendi: quid erat necesse vt per reformationem filialis Ordo à primitiuo discederet & diuideretur vniuersaliter? prope ducentis Annis ante tempora Leonis X: ab Eugenio IV. Anno 1446. vt deduximus Art: 14. n. 19. Deinde cur in donatione Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum Ordini filiali facta, Ordo primicerius sibi reseruauit omnes eleemosynas pecuniarias, nisi propter priuilegia vt sub epithesi 21. ostenditur.

20. V. *FF. Moderni tanquam lapides bestiales & mali &c.*

Hanc barbaram bestialitatis epithesim diffusè confutauimus Art: 16. incipiendo a n. 2. vsq; ad n. 8.

21. W. *Nullus ex omnibus Gen: vsq. ad 32. fuit aut Conuen: &c.*

21. Trigesimus secundus Min: Gen: fuit Fr. Antonius à Rusconibus S. T. D. vt retulimus Art: 14. n. 14. ante cuius electionem se opposuerunt Conuentuales Obseruantinis, vt nullus ex nouella familia Obseru: posset eligi in Ministrum Gen: totius Ordinis Min: Con: & S. Bernardino pro Conuentualibus calculum ferente, electus est in Ministrum Gen: 32. ex Conuentualibus Antonius à Rusconibus, vt cit: loco ostendimus. Tunc quæro ex March: vnde nati sunt præcedentes hanc electionem Ministri Gen: 32. Conuentuales qui resistebant Obseruantinis? an forsan fungino more per vnius noctis pluuiam fuerunt procreati? Certè tunc temporis solus Ordo primicerius Conu: & filialis Obseru: fuit: ex filiali Ordine nullus Minister Gen: totius Ordinis Min: fuit ante tempora Leonis X. etsi fuit, nominet eum March: vel ex eius sequacibus quispiam, quo Anno, quo Pontifice, quo Consule præfuit, & cuius nominis fuit. An illi Ministri Gen: Con: non fuerunt, qui filiali Ordini iam reformato & in obseruantia accidentaliter distincto, tot Sacra & in Religione principalia loca, pro dote donarunt, vt Ecclesiam S. M. Angelorum Anno 1415. reseruatis sibi eleemosynis pecuniarijs, vt probauimus Art: 13. n. 7. Et alia loca specificata Art: 44. n. 2. ibiq; videnda. Probet March: quòd illi Ministri Gen: Conuentuales nō fuerint, qui ab Anno 1230. in Basilica Assisiensi sine interruptione resederunt, residentq; eorum directi Successores vsq; ad hodiernū

diem,

diem, & Ecclesiam Patauinam D. Antonio Sacram, atq; Sacro eius corpore dotatam possederunt, possidentq; moderni vsq; nunc absq; vlla immutatione, vel ostendat, quo tempore, Anno, Mense, die, moderni Conuentuales in possessionem eorundem locorum venerunt; Probet quòd illi Ministri Gen: Conuentuales non fuerint, qui priuilegia Apost: bona stabilia in Communi possidendi procurarunt, de quibus summatim diximus Art: 30. n. 34. Probet quòd illi Ministri Con: non fuerint, qui filialem Ordinem Obseru: in Capitulis Mediolani & Romæ celebratis, excluserunt à voce actiua, & non permiserunt vt filialis Ordo eligeret Ministrum Gen: S.F. Successorem, sed dumtaxat suum Vicarium Gen: in proprio collaterali corpore diuiso subsistentem, quod deduximus Art: 15. n. 6. & n. 7. Deinde qui Pataulij Ordinem Obseru: excluserunt à voce passiua, vt probauimus Art: 14. n. 14.

22. X. *A tempore Concil: Constantiensis vsq; ad Leonem X. &c.*

22. Ante Concilium Const: à tempore S. Bonau: Min: Gen: atq; post eum continua & non intermissa praxi ostensum est, omnes Ministros Gen: fuisse Conuentuales bona stabilia possidentes, prout possident moderni Conuentuales. Hæc veritas clarè probata est Art: 31. & Art: 32. Et quòd fuerint omnes Conuentuales eodem modo vt nunc sunt viuentes, patet ex Articulis à fol: 294. vsq; ad fol: 390. de ratione identica & sensu vsu cognomenti Min: Con: concinnatis, tum Art: 30. n. 6.

23. Y. *Nullus Generalis fuit Conuentualis, nomine aut professione &c.*

23. Si eadem Priuil: Apost: bona stabilia concernentia, antiqui & moderni habuerunt, vt patet ex Articulis immediatè insinuatis, & ex Articulis 8. & 9. & 10. eadem quoq; professione antiqui sicut & præsentes initiabantur, vt patet ex Art: 43. n. 9. eadem iurisdictione regebantur, ijsdem Ministris Gen: sibi immediatè succedentibus, subijciebantur, Vicarios filialis Ordinis iam diuisi auersabantur, tumultuarias scissuras & à Communitate diuisiones, prætextu Reformationis pullulantes, persequebantur, atq; vnius moris in domo existentes, in eodem cætu & Communitate seu Conuentualitate, conuictu & consuetudine quotidiana coniungebantur, vt patet in Recensu Ministrorum Gen: tum Art: 28. n. 12.

24. *Z. Nomen Conuentualiũ modernorũ cum prioribus æquiuocũ &c.*

Ex iisdem nunc cit: locis hæc fabulamenta March: falsitatis conuincuntur: & quò ad æquiuocationem, quâ ipsemet à seipso efficitur æquiuocus, ostensum est Art: 30. n. 26.

25. *Communitas Ordinis nunquam redditus aut Priuilegia &c.*

Hoc somnium radicitùs conuulsum est in Recensu Ministrorum Gen: tum supra cit: locis, tum Art: 9. n. 27. & n. 32. tum Art: 14. n. 4. & Art: 31. & 32.

26. *Corpus Ordinis sumitur ex membris sanis & non ex pu: &c.*

27. *Constat qui reputati fuerunt inter sana membra in corpore &c.*

28. *Ex quibus constat qualiter etiam relaxati reputarentur &c.*

24. Ad has ampulosas vanitates & insanias falsas simul coniunctas, per superiùs dicta sufficienter satisfactum videri potest: Sed si March: in suo Corpore Obseru: reformato & diuiso, existimat esse omnia membra sana, viua & immaculata, & inter primicerios Patres Min: Con: per priuilegia Apost: omnia membra putrida, mortua, & à corpore viuo dissona, eosdem actus operantia quos operantur scandalosi Agricolæ, accipiat quid de eiusmodi cætu viuo March: calamo vitam ei inspirante, dicat Caluus lib: 2. Defens: SS. Relig: cap: 6. *Qui sibi nomen membrorum viuorum attribuerunt, non hic vel ibi degunt, nec huius vel illius sunt familiæ, huius vel illius status: per omnes partes orbis sparsi sunt, & per vniuersalem Ecclesiam seminati: Si vnius familiæ vel domûs vel statûs essent, possemus ab illis cauere, quia in vna familia vel loco degentes, possemus tanquam signatos Iudæos cognoscere, eosq; euitare.* Et August: 4. P. Symb: Tract: 2. ait. *Vitijs & peccato carere, prærogatiua est vitæ æternæ: in hac autem vita, vbi carne & sanguine circumdatur, coagulati & concepti in peccato, quamuis multi sint gratiæ dono præditi bonitate, tamen ratione naturæ corruptæ, non deerunt mali, qui nec in cælo, nec in paradiso, nec in Christi schola defuerunt.* Ampliùs hæc deliria soluuntur per ea, quæ diximus Art: 38. à n. 9. vsq; ad finem.

29. *In medio cõmunitatis & Conu: habitantes, non adorauerunt &c.*

25. Non solùm in medio communitatis purè in accidentalibus paupertatis viuentes, non adorauerunt idolum auaritiæ, sed etiam cum Priuilegijs Apost: viuentes, ostensum est per rationes

primam & secundam epithesim confutantes. An autem Marchantini sequaces adorauerunt Idolum auaritiæ, & flexerunt genua coram Baal, vide Art: 46. n. 10.

30. *Minores Conu: ab electione Capitis totius Ordinis &c.*

De hac exclusione Min: Con: ab electione capitis, vide fictionem capitis Marchantini, eiusq; confutationem Art: 30. n. 17. & 18.

31. *Conuentuales Obseruantiæ Reg: secundùm suam &c.*

Quòd Min: Con: Regulam literalem secundùm suam puritatem essentialem, etiam nunc cum Priuilegijs Apost: seruent, latè ostendimus, incipiendo à fol: 391. vsq; ad fol. 465. Et Marchantius asserens Min: Con: suis Priuilegijs renuntiare noluisse, sibi contradictorius ostenditur Art: 39. n. 19. & vltra.

32. *Conuentuales FF. S. F. simpliciter non possunt nuncupari &c.*

Huic Mythologiæ satis fit per dicta, præcipuè ad primam & secundam epithesim, argumenta subministrata. Imò Ordo Obseru: non potest dici simpliciter absq; adiecto Ordo Minorum, vt probauimus Art: 43. n. 5.

33. *Conuentuales cùm Regulam nostram quodammodo profi: &c.*

Hic §. in communi filialis affectus indicatiuus, prosternitur per argumenta ad primam & secundam epithesim, tum reliquas confutandas subministrata: & per ea quæ diximus Art: 37. n. 14. & Art: 34. n. 17.

34. *Conuentualibus reddituum & Priuilegiorum &c.*

Ad hanc fabulationem responsum est Loc: supra cit: ad epithesim nonam I. tum Art: 30. n. 16.

35. *Conuentuales non Regulam S. F. simpliciter &c.*

Hæc falsitas sæpius locis cit: confutata est: & Art: 3. n. 3. Vrbanus VIII. determinauit Min: Con: Regulam S. F. secundùm Priuilegia Apost: seruantes, esse veros Regulæ S. F. Obseruatores & filios: vbi oppositum temerariè asserentes, anathemate percellit. Hoc etiam confutatum est per Art: 26. n: 7. & n. 8. & Art: 34. n. 14. & Art: 37. n: 13.

36. *Conuentualium vt respectus ad petram de qua &c.*

Jam sub epithesi quinta E. confutauimus hunc respectum cæcum,

cæcum, qui quomodo vſurpetur à March: ipſemet confuſo eius expreſſionis ſtylo, ignorare videtur. Quò ad confirmationem Miniſtri Gen: Conuentualium à Miniſtro Gen: Obſeruantium, reſponſum eſt Art:29. n.5.

37. *Conuentuales poſt Leonem X. inſtituti non pertinent &c.*

26. Deſiderauerim, oſtenderet March: huius *inſtituti* Min: Con: per ſiue poſt Leon: X. verba Bullæ Leoninæ vel alteri' inſtituentis Ordinē Min: Con: & in hoc nouo *inſtituto* differentiā realem quâ nouiter *inſtituti* Min: Con: differrent à prioribus ante Leon: X. inſtitutis & exiſtentibus. Si enim vt diximus Art: 16. n. 27. & Art: 30. n. 26. & Locis ſupra immediatè cit: eadem fuerunt Priuilegia Apoſt: Idem modus viuendi, ante & poſt Leonem X: Iā iidem ipſimet Min: Con: debent dici ante & poſt Leon: X. & nō *inſtituti* à Leone X. vel poſt Leon: quia ſi *inſtituti* primùm eſſe habuerunt per Leonem X. quomodo ab eis Leo X. transferebat Miniſteriatus Officium in Ordine Min: ante Leonem X. ab Anno 1227. incipiendo à primo Miniſtro Gen: Helia ſine interruptione perſeuerans: quod nouiter *à ſe inſtituto* in formata Religione Ordini Obſeruan: iure tranſlatitio conferebat: Quia qui nouiter incipit antequam incipiat & inſtituatur, non poteſt quidquam habere à ſe transferendum & in alium referendum, quia habere ſequitur adeſſe. Ergo ſi à Min: Con: primæuus in Ordine Miniſteriatus transferebatur per Leonem X. iam erant Min: Con: inſtituti ante Leonem eo tempore quo potiebantur Miniſteriatu ante Leonem; ideo non *inſtituti* per Leonem, aliàs habuiſſent Miniſteriatum antè Leonem, antequam incepiſſent eſſe inſtituti per Leonem. Deniq; tantùm abeſt Minores primicerios eſſe *inſtitutos* per Leonem X. deducentes Originem ſuæ Religionis primitiuæ & formatæ à S. F. inſtitutæ ad annum 1209. ab Innocentio III. confirmatæ, vt potiùs Ordo filialis Obſeru: deriuatiuus & poſthumus, ab ipſo Leone X in Bulla. *Ite & vos in vineam.* apertè aſſeratur in formata Relig: eſſe inſtitutus, vbi loquens de eius Miniſtris & Cuſtodibus his præciſis affirmat: *Per nos ſic inſtitutis*, quæ vel ſimilia verba, de Conuentualium per Leonem X. inſtitutione nullus oſtendere poteſt, ſicut nec Ordinem Obſeruanti-

num in formata & absoluta Religione omnino impendente ante Annum 1517. & ante Leonem X. institutum, quisquam ostendere potest. Vnde Haroldus Obseru: ad eundem annum 1517. n. 1. Instituti Ordinis Obseruantini natalitium Annum vocat *Æram nouam*. Quinimò non solùm Min: Con: à Leone X. non fuerunt instituti, quin potiùs ab eo fuerint gradu destituti; vt patet ex Bullis Leoninis à nobis Art: 39. & Art: 40. adductis: Licet hæc destitutio ex non adimpletione finis, ab intentione Leonis X. legislatoris præstituti, effectum suum non fuerit sortita, vt demonstrauimus cit: Art. Illud quod velut somnium Orestis narrat March: scilicet FF. Min: Conu: post Leonem X. non pertinere ad S. F. fraternitatem, confutatum est sub epithesi vndecima L.

38. *Conuentuales post tempora Leonis X. nouam & &c.*

27. Hanc nouitatem fraternitatis cuperent Min: Con: ratione conuincente, non simplici verborum segmine referri. Enim verò Min: Con: post Leonem X. ea omnia possident, quæ antiqui Min: Con: ab Origine vel possederunt, vel non longè post acquisiuerunt, de quibus sparsim sub diuersis epithesibus enarrauimus, vt Art: 16. n. 27. & Art: 30. n. 22. & n. 26. & supra n. 8. Quare & nunc ijdem Min: Con: sunt moderni, qui erant antiqui: & tantùm abest, vt nouam constituant fraternitatem post Leonem X. quin potiùs filialis Ordo Obseru: in noua fraternitate à Leone X. institutus & collocatus manifestè cernatur. Hinc antiquior fraternitas Ordinis Obseru: fuit ab Eugenio IV. diuisa & distincta à primæua & originali fraternitate Min: Con: prout eam sic agnoscunt Ministri Gen: Leonem X. præcedentes, vt Guliel: de Casali Art: 14. n. 2. & n. 11. Antonius à Rusconibus eodem Art: n. 21, Angelus Serpetri eodem Art: n. 25. & Art: 15. Jacobus Bussolinus à Mozanica n. 1. & sequentibus, Jacobus de Sarsuela eodem Art: n. 7. & n. 8. Franciscus à Ruuere: postea Sixtus IV. eodem Art: n. 20. & cæteri, vt Raynaldus Gratianus Art: 16. n. 17. De quo etiam diximus Art: 41. n. 6. & n. 7.

39. *Conuentuales nihil retinent commune cum Ordinis &c.*

Hæc epithesis per superioris immediatæ, tum aliarum vt 23. & decimæ septimæ, tum 14. & præcipuè epithesis nonæ I. confutatio-

futationem, rationibus ex locis ibidem indicatis, optimè diluitur & exterminatur.

40. *Conuentualium modernorum Conuentualitas &c.*

Hæc eadem per immediatè supra dicta bene confutatur, & ampliùs per ea quæ diximus Art: 30. n. 26. & per loca indicata sub epithesi nona I.

41. *Conuentualium sana membra puritatem Regulæ seruarunt &c.*

Omnes Conuentuales iuxta Priuilegia Apost: viuentes, & redditus annuos ac bona immobilia possidentes, puritatem literalem Regulæ seruarunt, vt ostendimus Art: 34. & 37. & Art: 30. n. 9. ex Declaratione Alexandri VI. tum Art: 3. n. 3. ex Declaratione Vrbani VIII. & alijs supra cit:

42. *Conuentuales moderni omnino à Generali totius Ordinis &c.*

28. Profectò Conuentuales moderni à Generali totius Ordinis Obseru: se separant, primitiuorum PP. suorum Conuen: vestigijs inhærentes, qui aduertentes filialem Ordinem à suo primitiuo in alio Corpore disparato, deriuato, & re ipsa independente, atq; solùm nomine tenùs triduano tempore circũscripta confirmatione, & Vrbana ac Ciuili extra præscriptum Regulæ Visitatione, connexo consistentem, semper ab ipso voluerunt esse separati, separantes se ab illis, qui se sponte separarunt ab Ordine Originario, & cum eo nullatenus habere voluerunt vnitatem, sic etiam in Capitulis Gen: filialem Ord: ab electione Ministrorum Gen: Conuentualium excluserunt, vt deduximus locis cit: sub epithesi 21. tum Art: 41. incipiendo à n. 5. vsq; ad n. 9. Hoc quod somniat March: de Professione alia, iam refutatum est Art: 43. incipiendo à n. 9. & vltra.

43. *Conuentuales moderni Heliam Gen: non sibi proponant &c.*

29. Subsentio mysterium Marchantinæ commonitionis: quia Helias furtiua & subreptitia à Gregorio IX. Priuilegia Apost: obtinuerat, hinc March: subdolo animo vt Min: Con: legitimis antiquitùs Priuilegijs Apost: viuentes, notà relaxationis Helianæ ad similitudinem Heliæ transgressoris inspergeret, vsurpata extra peripheriam sui Commissoriatûs & Definitoriatûs Gen: censoria auctoritate eos admonet, quem dicendi morem ab eo mutuare so-

lent Vitilitigatores, fcioli & faperdæ, alienis vocibus crocitantes, in modo viuendi iuxta Priuilegia Apoft: modernos Min: Con: ad fenfum March: Helianos appellantes, vt fecit ille fubornatus Verna defcriptus Art:38. n.1. Rectè enim & fanctè omni circumuentione vel fubreptione remotâ, Ecclefia S. Minoribus Con: Priuil: Apoft: ab antiquo indulfit, vt probauimus Art:31. & Art:32. Hac via ac ratione Priuilegia per Heliam fuiffe obtenta fi oftenderit March: tunc in facie Ecclefiæ moneat Min: Con. *Nè fibi Heliam pro exemplo ad imitandum proponant:* qui primitiui antiquitùs Heliæ, & fimilibus March: reformatis in faciem reftiterunt, & tàm Helianam relaxationem, quàm fimilium Marchantio reformationem, pariter refpuerunt & disjecerunt, vt oftendimus Art: 4. n. 18. tum Art: 9. n. 35. & Art: 14. n. 7. Imò ipfemet March: in hac epithefi fibi propofuit Heliam imitandum in duobus. *1mò.* in diffamatione fuæ Expos: Reg. dum per eam adinftar Heliæ fciffuram charitatis & fchifma fraternitatis in Ordinem S. F. induxit, & in fimiles partes quas Helias fecerat, FF. diuifit, prout retulimus Art: 4. n.16. imò perniciofiori fchifmatis exemplo quàm Helias, hanc in fcenam produxit: dum eam dolofo fanctitatis nomine, fcilicet Expos: Reg: præftigiosè effinxit, & intempeftiuè indigeftam intrufit: Non fecus ac illi nomine fpiritualium appellati tempore Heliæ: maiori quàm Helias fchifmate Religionem concutientes: de quibus cit: Art: 4. n. 16. tractauimus. *2dò.* Quia Helias temerariè excufferat Obedientiæ Orthodoxæ iugum, Ecclefiæ S. rebellis factus; Sic March. tot epithefes in Min: Con: Statum configens, contra determinationem Ecclefiæ fparfit, Heliam fibi propofuit, & imitatus eft eius relaxationem, Deo, Ecclefiæ & Ordini abominabilem reaffumendo & refricando: infimul præfumptuofo fpiritu Heliæ turgens, Minores Con: admonendo, quafi ipfo iure Expos: Reg: in prælatione fupra eosdem Commiffarius & Definitor Gen: conftitutus effet: Ita admonentis inducit fpeciem, ita dominantis exprimit Maieftatem, acfi in octogona fella, velut in Senatoria curuli accumbentem, non nuper electum, fed natum videres Abbatem, violento iure & minaciter Conuentuales commonentem, pro Commiffario & Definitore Gen: nec per fomnium eum agnofcentes.

44. *In*

44. *In his tamen nolo Minoris æstimare PP. Conuentuales &c.*

30. Et qui laudabant me, aduersum me iurabant dicebat Regius Vates adiungens. *Corripiet me iustus in misericordia: Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Sic Ordo Min: Con: respondet circulatoriæ laudi March: eligens cum August: à quolibet recto potius reprehendi, quàm ab errante & adulante, astu ludibrioso laudari. Irrefragabilis apud Græcos fuit sententia. *Laudare & infamare eundem, est improbi.* De eodem pectoris sterquilinio, odorem rosarum & fætorem cadauerum efflare, odiosum est & abominabile. Huiusmodi Vertumnos seu Proteos, in omnem figuram se vertentes, Polypos vocauit Antiquitas, eos colores assumentes, quibus scopuli ipsi quibus adhærent, affecti sunt. Vnde Phocylides apud Athæneum, sic quendam eiusdem farinæ cum March: alloquitur.

Pectore neuè aliud celes aliudue loquare
Proq; loco variere petris vti Polypus hærens.

45. *Hoc deduco latiùs vt verborum lites & vanitates &c.*

31. In hoc vltimo dicto Art: 36. n. 2. Vafriciem March: demonstrauimus: quare in præsenti præter superius dicta, nihil nobis superest addendum, nisi vt ipsemet March: de se ipso verbis D. Bernardi dicat inquientis: *Finxi me esse quod non eram: dixi me velle, quod nolebam; aliud in corde volebam, & aliud ore dicebam, & ita sub ouina pelle, vulpinam conscientiam abscondebam.*

Istis hucusq; repetitis & refutatis epithesibus, tum alijs fusius digestis, & Expos: lit: Reg: commistis, March: Regulam S. F. velut vinum vetustate suaue infusâ fæcis permistione conturbauit, & inter dulcia mella, felle venena amariora confudit, atq; ex perniciosa scandalosæ æmulationis concitatione, sementem litium, iurgiorum & maledictorum, velut Cadmæos dentes seminauit: sicq; vt faciliùs armatæ prodirent acies, sub tit: Expos: Reg: in paternum Min: Con: Ordinem præstigiosè effudit. Quapropter vt incautum vulgus & imperitus lector credulitate præoccupatus, sub specie pietatis hanc titulo Reg: Expositionem simplici animo legens, detractionis spiritum citius conciperet: eam recensitis epithesibus infarciendo, fœdè consarcinauit, quibus Minorum

Con:

Con: vitam, Statum, professionem, & totum Ordinem inceste contaminauit, & lectori rei historicæ ignaro, tanquam fauum Vesparum porrexit, glaucoma Expos: Reg: oculis obijciendo vt non aduerteret; Vespas quoq; conficere fauos suos, non mel sed fel distillantes, quippe suauissimos flores libantes, dulcedinem in amaritudinem vertentes, & specie faui incautos & ignaros decipientes. Ea arte March: lectorem ludificauit, cui expositionem Reg: tanquam fauum mellis, veriùs nidum Vesparum, seu seminarium Catilinarium obtulit, vt inde examen Vesparum prosiliret, & secum calumniantium, detrahentium, mordentium, & contra Min: Con: Statum obloquentium, duceret exercitum. Vnde tristarentur boni, lætarentur mali, cum scrupulo dimitterentur medij.

32 Non aduertit animum suum March: ad illos salutares fines, quibus Humbertus Ord: Prædic: & S. Bonau: Fidanza Ordinum tunc Generales Præfecti, fraternitatis dilectionem & mutuã vnitatẽ vtriusq; suis Ordinis circumscripserunt alumnis. Vt propriam commoditatem non sequerentur cum conturbatione aliorum: vt non sic se abominarentur, quòd hostilitas inter eos non fraternitas videretur: vt conceptum transeundi ad alterum Ordinum non extinguerent, in vllo zelo attrahendi eum ad suum Ordinem: vt familiares & benefactores alterius Ordinis nõ auerterent ab vno, & ad alium attraherent: vt loca pro domibus construendis sibi non surriperent: vt eleemosynas sibi non impedirent: vt sermones vel auditores sibi non subtraherent vel subriperent: Addentes. *Quæ enim esset charitas subtrahere personas? Subtrahere animos? Subtrahere loca? Subtrahere sermonem? quum secundùm charitatis regulam, non quæ nostra, sed quæ alterius (suadente Apostolo) quærere debeamus. Cauendum etiam nè quis vestrum, sic Sanctos suos, sic Statum suum imprudenter extollat, quod in aliorum depressionem, laudes tales fieri videantur. Item ne quis obloquatur de alijs, non solùm in publico coram multis, sed nè clanculo coram extraneis, nec inter Fratres proprios in secreto. Item nè sinistrum aliquid alij sciuerint, alijs denudent, vbi nulla est vtilitas, nec fructus; sed potius sic culpabiles charitatiuè corripiant, vel ostendant correctoribus eorundem. Quis enim ne-*

sciat

sciat quantùm per huiusmodi depressiones, oblocutiones, criminationes, lædatur charitas, imò procul pellatur ab omni genere amicorum. Si ergo pro duobus Ordinibus per diuersos Patriarchas institutis, tales aphorismi à SS. PP. sunt præscripti, ad mutuam charitatem fouendam: certè arctiori vinculo eos seruare debuit, Strictioris Obseru: alumnus Petrus March: Obseru: erga primicerium Min: Con: Ord: filiali gratitudine obstrictus, atq; in vniuerso primo Ord: Min: inter tot propagines Franciscanas, eodem semine prognatus: vbi idem omnium est Pater S. F. eadem Regula, eadem professio, eadem in essentialibus vita, idem vestitûs concolor, idem Franciscanus status, dumtaxat multiformis gratiæ Dei, ad maiorem decorem Ecclesiæ militantis, secundùm mensuram donationis Christi accidentali varietate distinctus, multiplicatus & exornatus. Aduertere debuit quod dicit Ambrosius Lib: 2. de Offic: cap: 24. *Veritatis ea est regula, vt nihil facias commendandi tui causâ, quo minor alius fiat. Neq; si quid boni habeas, id ad deformationem alterius, & vituperationem exerceas.* Idem Ambr: Lib: 3. de Off: cap: 9. inquit. *Deniq; si non potest subueniri alteri nisi alter lædatur, commodiùs est neutrum iuuari, quàm grauari alterum, - - - Sacerdotis est igitur, nulli nocere, prodesse velle omnibus; posse autem solius Dei est.*

33. Tandem vt huic operi vltimam manum imponam, ei pro colophone verba Hieronymi, ex Prologo ad Libros Regum affigo. *Obsecro te Lector ne laborem meum reprehensionem existimes antiquorum. In templo Dei offert vnusquisq; quod potest. Alij aurum & argentum & lapides pretiosos. Alij byssum, purpuram, & coccum offerunt & hyacinthum: Nobiscum benè agetur si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria iudicat. Vnde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræq; distinctio, pellibus tegitur & cilicijs, ardoremq; solis & iniuriam imbrium, ea quæ viliora sunt prohibent.* Hinc ipsemet Hier: (teste Sigiberto) cum Augustino in contentione de legalibus vsq; simultatem disceptauit, & ab Augustino punctus, cur itidem Augustinum pungat; reddit rationem inquiens: *Si in defensionem mei aliquid scripsero, in te culpa est, qui prouocasti, non in me, qui respondere compulsus sum.* Tandem primicerius Min: Con:

Ordo hucusq; silens, suos etiam alloquitur Alumnos verbis Hieronymianis, ad animas Deo deuotas prolatis: *Sed & vos famulas Christi rogo, quæ Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro vngitis caput, vt contra latrantes canes, qui aduersum me rabido ore desæuiunt & circumeunt Ciuitatem, atq; in eo se doctos arbitrantur, si alijs detrahant: Orationum vestrarum (tum rationum) clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiæ recordabor: dixi custodiam vias meas vt non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam cùm consisteret peccator aduersum me. Obmutui & humiliatus sum & silui à bonis.*

VOTVM
CONCLUSIONI OPERIS DEO VNI ET TRINO CONSECRATI AFFIXUM.

1. HUcusq; exarata ad Maiorem DEI Gloriam dilatandam, & Primitiui Ordinis Originem explanandam; tum Statum Min: Con: veritate historica, ab ipso fonte producendum, atq; ad eundem origine & auctoritate Apostolica, illæsam in essentialibus non diminutam, S. Fran: Regulam literaliter profitentem demonstrandum, ab Ecclesia probatum, & confirmatum historicè & dogmaticè scripta sunt. Tum ad obliterandum Mythologicum sensum, iniquè detorquentium natiuum Minorum Conuentualium significatum, Sedis Apostolicæ sensu ratificatum, & approbatum. Tum ad retundendum manifestum commentum, peruersè retexentium Matricis Religionis Franciscanæ originariam scaturiginem. Porrò ex omnibus his qui Statum, Originem & sensum, in summa totum primitiuum Ordinem Min: Con: contra determinationem Ecclesiæ Orthodoxæ adulterarunt, præcipuus est & singularis Petrus Marchantius Obser: in sua Expos: Reg: per simulationem noxiam, sub Religionis lumine euertens

Reli-

Religionem: eiusdem putatiuus Obseruans, qui qualem se tumidus putauit, talem & Sacrum Obser: Filialem Ordinem supra Min: Con: suos primicerios Patres, contra humilitatem & veritatem, inuitâ Obseruantiâ Regulari, effingere tentauit: Sciolorum spiritu agitatus, quorum indoles est: Si nō plùs sapiant quàm oportet, atq; vltra communem receptamq; doctrinam quidquam noui non dicant, nihil se dixisse existimant, & ideò cum Nouatoribus persæpè conspirant. Sunt & alij ex Sacro Ord: Filiali Obseru: alioquin Viri docti, qui censuris Ecclesiæ repressi, directè Statum Minorum Con: non euertunt: illatiuè tamen & deductiuè, pernitiosa æmulatione labefactare, & astu quasi nolentes deprauare contendunt, atq; natiuo decoramento spoliatum, lippis & tonsoribus in triuijs & compitis, obliqua explicatione exponunt: carptim tamen & sparsim non ex professo (vt fecit Marchantius) has vitri testulas suis operibus vt panibus à se confectis admiscentes. His vtriusq; classis subdolis dolonibus, quia iam Deo adiutore & Primitiui Ordinis Min: Con: conseruatore, pro viribus historicè & apologeticè scutum admouimus, & Statum nostrum iuxta Ecclesiæ sensum deduximus: dignum & iustum superest, vt ei soli qui Alpha est & Omega, à quo principium mutuati, finem sortiti sumus, hanc quantulæ sit exilitatis opellam consecremus, & in eius gloriam referamus, ac pro Coronide hoc Colophone exornemus; Rythmicum Votum ex initialibus nostratis eruditi Annalistæ Vespasiani Kochowski E. P. Deo Vni & Trino suos Annales consecrantis depromptum, in calce appendentes.

2. *Sancta Trias, ô æterna?*
✠ Pater, ✠ Fili, ✠ Spiritus;
Rudi stylo hæc sexterna
Tibi fero primitùs:
Quæ post acta, Tu da nosse,
Nota rectè tradere:
Quantùm velle tantùm posse
Sine fuco sincerè.

Huic Rhytmo morem gerens in gratiam conciuis amici, Votum amplius protendens adiungo, proposito inserendum.

Et tradita verè scripta
Marchantis inculcare
Nè audeant ut in crypta
Primanos proculcare.
Sed ut possint vera scire
Quæ gesta sunt primitus
Effictorum resarcire
Damna facta penitùs.
Et Marchantus erubescat
Corde Obseruantiæ,
Atq; lector conualescat
Inspectu fallaciæ.
Videns verum profanari
Falsum cunctos tenere
Spiritales deprauari
Et laicos ridere.
Omnes verum æstimare
Mendacium putidum
Sanctitatem reputare
Vafrамentum fœtidum.
Astu tegens composito
Venenum propinatum
Et saucians proposito
Honorem consecratum.
Ut paterno & fraterno
Ordine condemnato
Censeatur æuiterno
In statu inquinato.
Ex quo suus tripudiet
Velut nunquam labilis
Ordo licet repudiet
Has nugas motu bilis.
Sciens inde sententiam
Ecclesiæ damnari

Est

Et impiè constantiam
Petræ labefactari.
Tanta igitur commenta
Fabulis scatentia
Non azyma sed fermenta
Nidore fætentia.
Vt pateant quòd sint vana
Historiam perpende
Maleuola & insana
Rationem expende.
Hæc scripta sunt pro candore
Ordinis Primitiui
Ne grassentur ex liuore
Ingrati Putatiui.

3. Dixi ingrati putatiui (supple) omnes doctrinæ Marchantinæ contra Statum Min: Con: diffamatæ sequaces, gratis ingrati, non alio titulo paternum Nomen Conuentualium tanquam malum eijcientes, exprobrantes, & peruertentes, nisi titulo traductionis, vt non memoretur amplius, sed angustiùs vltra & semper. Et cùm integra extet in suo Ordine hæc filialis propago, dolenter nihilominus sustinere cogitur istiusmodi nonnullos degeneres, & adulterinos filios Edom, fingentes se filias Hierusalem, cum filijs Babylonis conspirantes, amicos fraterno nomine comminiscentes, iniquitate & dolo contra charitatem flagrantes, paternum Statum sequiùs proscindentes, Absalonis vestigia insequentes: qui dum Dauidis Patris sui Regnum affectauit, cubile incestauit, paterno affectu inclamante: *pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem tanquam surdus non audiebam.* Et sic amantes facti sunt amentes, & simul malignantes. Rectè hos Viperinos partus Matris viscera corrodentes, Gilbertus Abbas serm: 4. in Cant: describit inquiens. *An non quasi Absalones sunt quidam, qui prædicant* (id est Expositiones Regulæ perperam euulgant) *& mordent dentibus, affectant locum Patris, scandunt cubile, dum prauis susurris socios corrumpunt, & subuertunt corda innocentium, in quibus Patris spiritus suauiter quiescebat.* Et subdit. *posuerunt signa sua signa, & non*

 cogno-

cognouerunt, ponunt quæ non inueniunt. Ponunt quæ prauè exponunt: Signa sua, seipsos enim in signum ponunt, cùm ex suæ prauitatis Regula alios metiuntur. Signa quasi dicat tantùm signa non veritatem, signa nõ certitudinis sed suspicionis (veriùs elusionis) *& non cognouerunt. Non enim cognitione sed coniectura vtuntur,* & infra. *Temerarium est vt dicit Apostolus alienum seruum iudicare. Tu ergo quis es qui Dominum tuũ iudices! qui enim potestatem dijudicat, ordinationem Dei dijudicat. Deniq; conqueritur, & dicit. Tulerunt à me homines iudicium meum. Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vanitatem vtiq; diligitis Prælationis, & ideò quæritis mendacium prauæ suspicionis* (seu expositionis vel elusionis) *Vani enim filij hominum, mendaces in stateris, mendaces in iudicijs: & vtinam pro minimo mihi sit ab humano die iudicari, dum Æterni Dei expecto iudicium. - - - Pater omne iudicium dedit Filio, & tu quod non accepisti iudicium assumis, & hoc in Patrem? vide nè fortè in eum Patrem, à quo omnis Paternitas, in Cælis & in terra nominatur. Viperæ generatio matrem suam comedit, & dente venenato Doctoris* (Genitoris & Benefactoris) *vitam corrodit. Non sunt istæ Domine Filiæ Hierusalem, & filiæ pacis, sed Babylonis, quando increpabis illas & dices: Filiæ Babylonis nolite flere super me* (ob admissa priuil: Apost:) *sed super vos ipsas flete: siquidem improperia eorum qui vices tuas gerunt* (& Obseruantiæ Statum profitentur) *redundant, nec est murmur eorum contra eos.* id est Conuentuales: *sed contra Dominum* scilicet determinationem Ecclesiæ S. Hæc Gilbertus Abbas de sui temporis laudipetis, fraterni honoris detractoribus: ambulantibus in magnis & in mirabilibus super se.

4. Ex quibus cùm sit præcipuus Petrus Marchantius, atq; suæ doctrinæ fabulosæ seruiles & imperiti sectarij, contra Conuentuales & sensum Ecclesiæ, ab Erasmo Acatolico corriuatæ; iustũ proinde est, vt huiusmodi dogmatum ipsemet qualificator & censor præficiatur, atq; suo ore vt ille Euangelicus seruus, nequam se iudicet, & discutiat. Dicit ergo in Expos: Reg: Q. 1. Proemiali Concl. 1. pag: 3. *Fratres Minores illi soli simpliciter dicendi sunt, qui Regulam Fratrum Minorum in sua puritate vouerunt, & obseruant.* & rationem reddit. *Sicut enim ille solùm verè Christianus est, qui bapti-*

smatis Sacramento initiatus, Christianam vitam & Fidem professus est: & vitam fidei quam est professus conformem ducit, sic solus ille verè Frater minor dicendus est, qui Regulam & vitam Fratrum Minorum quam est professus Obseruat: qui enim non obseruant, nomine & habitu, ac etiã obligatione, Fratres quidem Minores sunt: Vitâ tamen & moribus non sunt, sicuti qui charactere Christianus esset, moribus autem & vitâ Paganus.

5. Hoc totum de eodem Marchantio & Marchantinis, si qui à secta doctrinæ eius, hoc squaroso appellatiuo conspurcari non erubescant, verbatim verificatur: Nullus enim frater Minor simpliciter & purè Regulam S. F. obseruare iure & ritè dici meretur, qui contra Regulæ formam & intentum, charitatem fraternam exuit, lacerat, & proicit, ac vltra seminarium iurgiorum, & continuò gliscentium litium, cadmæos dentes serens, cæteris fratribus amaltheam Satyrarum subministrat, circulatoriæ & proletariæ doctrinæ anilter colo congestæ, & fuso digestæ, encyclopediam Mythologicam, ad Patrum & Fratrum suorum infamiam, Vniuerso Orbi stylo fellifluo publicat & euulgat, neq; probat: vt eo facto faciliùs vbiq; inter infames tibias, & Sibariticas dapes, Nomen Apostolicum decantetur *Conuentualium*, ipse verò cortice literæ (medulla eneruata) obductus, inuocatis supra se nominalibus, solâ honoris nominalis non virtutis realis nomenclaturâ, præcisè ob literaturam superbè inflatus, se super cæteros cum pharisæo exaltet, Fratrem spiritualem natu maiorem, non solùm non amet, vt Regula monet, sed ampliùs diffamet, & ad maiorem turpitudinem & honoris spolium, contra legem naturæ, improba ac improbabilia commenta figmentet: de venenato pectore virus traductionis vbiq; effundens, & sensum Ecclesiæ aspernando confundens: nulla vel inuersa ratione suffultus, nisi solâ præstigiosi auctoris fascinatione nugacitatis munitus.

6. Hic talis tantusq; Minorita & Obseruans, ipso etiam pag: 4. teste Marchantio nugiuendo, solâ professione nomine & habitu (qui non facit Monachum) Frater Minor est. *Moribus autem & vitâ Paganus.* Imò huiusmodi Minoritæ sanæ mentis, naturâ non tamen dono fidei illuminatæ, pagano deteriores sunt,

hanc

hanc expositionis Ethicam Ethnicam tractantes, iure non iniuria fætido gregi iudæorum aggregandi, incurabili morbo infirmantium, fastuosè tantùm de sola literali lege gloriantium. Sicut ergo de Judæis, pari ratione & de his appellatione Minoritis, sed pharisaico supercilio, in corde suo apud semetipsos Maioritis, dici potest illud Augustini in Psal: 102. *Iudæorum quoq; reperiri quãdam negotiationem, seu literaturam: præsumentium tanquam de viribus suis, & de iustitia operum suorum: gloriabantur de lege quòd ipsi legem acceperint, aliæ gentes non acceperint, in qua lege, non de gratia gloriabantur sed de litera, & hi* (subdit August:) *velut ægri in porticibus probaticæ piscinæ iacebant, amantes literam sine gratia, ægri erant iacentes, non conualescentes, de litera præsumentes.* Gratia autem & charitas eandem communiter secundùm Theologos qualitatem important: sine qua vt dicit Bernar: Epist: 7. *Quodcunq; Sacrificium Deo non est acceptum, quando nec absq; eadem, neq; martyrium quidem, aliquid esse putet Apostolus.*

7. Horum Judæorum conscientiam se habere Marchantus palam profitetur, statim à Proemio Expos: Reg: pag: 2. vt faciliùs simplices decipiat, sic gloriatur. *Non dubito quin mihi quod alijs in hoc scribendi genere continget, vt interdum laxior, interdum strictus nimis reputer: sed suum cuiq; iudicium sit: mihi sufficit testimonium conscientiæ meæ; Verbis Regulæ ac Declarationum Summorum Pontificum se conformantis.* Hunc ipsissimum præfati Judæi habuêre sensum, legi Diuinæ se conformare literaliter & verbaliter iactantes, verùm in toto progressu vitæ suæ, contra rationem & intentionem quæ est anima legis, moribus & factis exleges viuentes: non secùs ac Marchantus delusoriè, testimonium conscientiæ suæ se sequi simulans, & in toto opere Expos: Reg: Conuentualium Statum, per omnia membra deglubens, & deartuans: Neq; Regulæ, neq; Summorum Pontificum Declarationibus, neq; legi naturæ se conformare curans: sed quidquid primitiui Ordinis Minorum Con: Statum concernit pessundans, dehonestans, deturpans, & decaluans: rupto Religiosi pudoris & veræ Obseruantiæ retinaculo, ac spreto Ecclesiæ Orthodoxæ definitionis sensu, suum exoticum peruersè extortum irrationabiliter intrudit. Hinc in

tota sua Expos: Reg: opella, non est difficile deprehendere eundem Marchantum animitùs iudaizantem, propositiones de sua penu crudas, & indigestas, contra Ord: Con: enuntiantem, & concludentem; eiusmodi conclusionum seu collusionum nec Auctores profert, nec profe re potest, nisi in confuso, deceptorio adiecto, *ex probatis Auctoribus* eas se deprompsisse mentitur, vel falsò in particulari citat: Nullum locum designando, neq; verba textus allegando, non secus ac Judæi ad illam crudelitate plenam sententiam. *Diliges proximum tuum & odio habebis inimicum tuum.* Merè iudaizantes, nullum Auctorem verè in particulari, & verbatim eam tenentem exhibere potuerunt; nisi dūtaxat illos anonymos antiquatos, & exoletos, in spacijs imaginarijs nominatos proferebant, nugantes. *Dictum est antiquis.*

8. Marchantus ergo & suæ doctrinæ si qui sunt sequaces, in dicterijs, conuicijs, lædorijs, maledictis, cum suo Auctore ex Regulis indicis prohibitis, & à fidei Censoribus expunctis, vt probauimus Art: 38. n. 4. & n. 5. quod latè patet ex praxi Congregationis indicis, & Sancti Officij vt probat Melchior Canus, merentur subire idem iudicium quo Conuentuales iudicant, & seipsos condemnant, propria oris confessione: non secùs ac illi Philosohi, suâ propriâ sententiâ à Lactantio lib: 3. de falsa Sapi: cap: 15. condemnati, in hæc verba. *Tantùm abest vt ego Magistram esse putem vitæ philosophiam* (tu supple expositionem Marchantinam) *beatæq; vitæ perfectricem, vt nullis magis existimem opus esse magistris viuendi, quàm plerisq; qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissimè, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Ita Seneca in exhortationibus: plerig; inquit Philosophorum, tales sunt diserti in conuitium suum, quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, iudicium sui putes professos. Adeò redundant ad ipsos maledicta in publicum missa* (contra Conuentuales sparsa) *quos nos non aliter intueri decet, quàm medicos, quorum tituli remedia habent pixides venena. Quorum verò nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudini suæ fingunt, vt etiam honestè peccare videantur.*

9. Et quia Christus Dominus ex doctrina Hilarij in Com-

ment: in Matth: can: 6. *Blandimenta verborum, & mansuetudinis simulationem admonet fructu operationis expendi oportere, vt non qualem quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat, spectemus: quia in multis vestitu ouium, rabies lupina contegitur. Ergo vt spinæ vuas, vt tribuli ficus non generant, & vt iniquæ arbores vtilia poma non afferunt, ita ne in istis quidem consistere docet boni operis effectum, & idcirco omnes cognoscendos esse de fructibus.* Huiusmodi deceptores non tam veræ Regulæ expositores, quàm veræ expositionis falsatores dici merentur; non Israelitæ, sed Gabaonitæ, Italicè (*Gabba-mondo*) qui etiamsi ad Scythas, Messagetas & Brasilios, Sarcophagos pro Tribunali sedentes adducerentur, vt noxij & boni publici perturbatores, ex his peruersitatibus, præconis buccina denuntiarentur, non solùm de congruo, sed etiam de condigno præfata censurâ, & infra scriptis versibus pro corona finaliter votiua laureandi.

Francisco videas multos gaudere patrono,
Quos inter Fratres nesciet ille suos.
Pelle lupos sub ouina etenim persæpe videbis,
Hos fugito: Christus nempe cauere monet.
Fructibus ex ipsis, facilè omnis noscitur arbor,
Qualis quisq; siet, vita docere potest.
Diui Francisci si quis dignoscere veros
Fratres, legitimam si sobolemq; volet;
Illius & normam Christo dictante rescriptam
Qui seruent sciet; hæc si benè scripta legat.

10. Interim me meaq; omnia correctioni S. Matris Ecclesiæ ex tota anima subijcio: & si quandó Sancti aut Beati appellationem alicui subiunxerim, id tantùm secundùm vulgarem notionem, quæ seruis Dei & pijs Viris ratione instituti, vel sanctioris vitæ, ac rerum cælestium Studij, etiam in carne viuentibus accommodari solet, accipi volo: nec aliam fidem nisi humanam, & historicam mereri censeo: iuxta S. Rit: Cong: Decretum Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum.

11. Tandem animum meum in præsenti hoc toto, Originis, progressûs, Statûs, & variationis, vniuersi Ordinis Minorum commentario, lectori candidè apertum testari volo, vt cognoscat

nun-

nunquam eum esse vel fuisse, in præsentiarum Sacrum filialem Ordinem Obseru: offendere, aut etiam in minimo carpere, sed dumtaxat Marchantij Obser: & doctrinæ eius sequacium, & malorum laicorum putida mendacia, contra Min: Con: Statum diffamantium, ex Regulis indicis prohibita, refellere & confutare: ac ex authenticis scriptis meras fabulas demonstrare. Scimus qui perfectionem profitentur, contumelias potiùs perferre debere, quàm etiam iusta defensione propulsare, quin? & percutienti vnam maxillam, præbere quoq; & alteram, iuxta Christi documentum. Verùm qui patientiæ exemplum se dedit, Doctorem quoq; mundi se demonstrauit. Docuerat discipulos percutienti vnam maxillam præbere & alteram, sed id pro loco & tempore, non in omni euentu & negotio. Vnde secundùm præparationem animi illud dictum intelligendum ostendit Augustinus: qui in sermone de puero Centurionis inquit. *Nec Paulus Apostolus præceptum Domini & Magistri sui videtur implesse, vbi etiam ipse percussus in faciem dixit principi Sacerdotum. Percutiet te Deus paries dealbate, sedes iudicare me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti. Et cùm à circumstantibus diceretur. Iniuriam facis principi Sacerdotum: irridens eos admonere voluit quid dixerit, vt qui saperent intelligerent, iam destruendum esse aduentu Christi parietem dealbatum: hoc est hypocrisim Sacerdotij Iudæorum.* Et subdit. *Sunt ergo ista præcepta patientiæ, semper in cordis præparatione retinenda, ipsaq; beneuolentia, nè reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est.* Cæterùm ad ostendendam auctoritatem iustorum supra suos persecutores, calumniatores & traductores, vel oblocutores, malos laicos per doctrinam Marchantij scandalizatos, terminos charitatis excedentes, arguit Christus percussorem coram Pontifice dicens (*si malè locutus sum*) si habes quæ nunc prolata sunt reprehendere, ostende quòd malè dixerim: si autem benè *Cur me cædis? quid furis?* vt exponit Theophylactus.

12. Seruatâ igitur charitatis Regulâ, si quæ in hoc opere asperula & duriuscula inueniantur verba, ea vitijs insectandis maneant affigenda, quia non fit tàm dextrè excoriatio pellis hædi, quin sanguinis aliqua stilla defluat, ita tamen alios corripere de-

bemus, vt vitia odiamus & homines diligamus: iuxta August: doctrinam Tract: 51. in Ioan: *Si malè amaueris tunc odisti, si benè oderis tunc amasti.* Interim primicerius Ordo Min: Con: hoc opus concludit & munit verbis Hieronymianis. *Cognoscam crimina aut diluam, aut in accusatorem quæ sunt obiecta retorquebo, & ostendam quòd hucusq; silentium modestiæ fuerit non malæ conscientiæ. Interim apud tacitum Lectoris iudicium purgatum me esse volui, & grauissimum inter amicos crimen refellere, nè prior læsisse videar: qui & vulneratus nequaquam contra persecutorem tela direxi, sed meo vulneri tantùm admoui manum, quem obsecro vt absq; præiudicio culpam in eum referat qui lacessiuit.* Et Marchantius Obseru: cum suis sequacibus scandalo infectis, meliorem mentem induat & proficiat dictis, qui professæ Obseruantiæ noluit erudiri documentis. quòd si hæc obstinatam mentem Marchantinam non emolliant, velut caucaseam rupem, saltem melliflua D. Bernardi doctrina, hanc demulceat cautem, monentis. *Omnes ergo concurramus pariter in vnam tunicam, & ex omnibus constet vna: nam etsi ex pluribus & diuersis vna est tamen columba mea; formosa mea; perfecta mea. Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec illa sine vtroq;, sed simul omnes sumus illa vna: Si tamen soliciti sumus seruare vnitatem spiritûs in vinculo pacis. Non inquam tantum Ordo noster, aut solus vester, ad illam pertinet vnam, sed noster simul & vester, nisi fortè (quod absit) inuicem inuidentes, inuicem prouocantes, inuicem mordeamus, & ab inuicem consumemur, & sic non possit nos Apostolus, vni illi Viro, cui despondit Virginem castam: exhibere Christo.* Fieret autem procul dubio scissura, atq; diuisio, si (vt March: vult) Ordo suus Obseru: Ordini primigenio Min: Con: præferretur, ita vt ab eo tanquam purior, ab impuriori Massa putaretur esse discretus. Omnes autem vnus panis, & vnum Corpus sumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Totũ Ecclesiæ Corpus ex farinæ satis tribus confessione, scilicet Sanctæ Trinitatis commassatum & fermentatum est. Quare non ad azyma sinceritatis & veritatis attinet, sed ad fermentum malitiæ & nequitiæ, asserere in fermentato Corpore Ecclesiæ, vel in Ordinibus esse discretas portiones, quasi non in omnibus mistim.

Infelix lolium & steriles dominantur auenæ.

EPISTO-

EPISTOLA
FR. PETRI CHAMBONIS.
Obedientiæ & Obseruantiæ Regularis quondam Prouinciæ S. Bonauenturæ Vicarij.

Mala diuisionis Ordinis Obseru: à primitiuo Ordine Min: Con: longè ante tempora Leonis X. factæ, deplorantis concisè, verbis tamen proprijs epilogio contracta: Fratribus de Familia seu de Obseru: Anno 1485. missa; In Firm: 3. Ord: ad calcem posita, & inde fideliter strictim excerpta: in hæc verba.

Venerabilibus Deuotisq; FF. sub prouisione Dñi Eugenij Papæ IV. Et Constantiensis Concil: in simplicitate & charitate viuentibus, obseruareq; Regulam S. F. desiderantibus, in Christo salutem.

A *Cunabulis meæ Conuersionis, agnoscens deflendam & in populis scandalosam diuisionem (quæ per nonnullos de Vestris sub prætextu Reformationis Ordinis & melioris profectus, cum Instantia extitit procurata) contabesco dolore: quia cùm expectarem misericordiā* DEI, *vt congregaret dispersos Israel, in dies videns malum diuisionis crescere, & tanta scandala prouenire, nescio quò me vertam, nisi ad Patres vestros modernos, qui cùm cœtum vestrum regunt & eius principatum gerunt: quatenus sicut per Prædecessores suos hæc diuisio extitit corporata, ita ijs diebus per ipsos pax in Ordine reformetur, vt impleatur ista Regula iuris. Omnis res per quascunq; causas efficitur, per easdem soluitur. ---- Et sic describam septem mala quæ sunt septem capita Bestiæ Apoc: 13. quæ prouenerunt ab ista separatione ab Ordine, in supradicto Concil: facta.*

Primum malum *est Ordinis deflenda diuisio. Noster Moyses Franciscus iuxta exemplar quod sibi fuit monstratum in monte (qui Christus est) opera sua dirigens, Ordinem & Regulam Minorum tanquam tunicam inconsutilem (quæ diuisionem non capit) proposuit vtiq; Regulam omnibus fratribus vnam & singulis totam, vnico nomine omnes suos Pro-*

fessores appellans, scilicet FF. Minores, sub vno Ordinario ad cultum Dei eos mancipans: Vnico Capiti Generali scilicet Ministro ipsos subiugauit, cui firmiter ab omnibus fratribus est obediendum. - - - Nec S. Bernardinus Officium Vicarij Generalis voluit exercere, nisi de mandato Generalis & non vi Bullæ. In electione Generalis dum locum teneret, cuiusdam Ministri absentis, non elegit Fratrem Albertum de Sarciano, qui erat de Bulla, sed alium de Ordinis gremio & communitate, propter quod dicti de prouisione S. Bernardinum reputabant Conuentualem. Ecce charissimi satis clarè patet, quòd ipsi se ab Ordine diuiserunt, qui Decretum Constant: & Bullam Eugenij impetrauerunt. - - -

Secundum malum est. *Diuinæ bonitatis prouocatio. Quantùm DEVS prouocetur contra illos, qui recedunt ab vnitate, quæ est inseparabile Sacramentum: quantùm sine spe salutis sint, & perditionem sibi de indignatione DEI acquirant, qui diuisionem faciunt, relictoq; suo Prælato alium sibi constituunt: Ostendit Dominus quòd valde indignatus est contra filios Israel: qui à domo Dauid recesserunt, pro eo quòd Roboam eis duriora faciebat, habetur Causa 7. Q. 1. Deniq; & in dies deteriorati sunt, & idolatriam multaq; mala commiserunt; Non fuit talis separatio facta ab Ordine in Concil: Constant: sine diffamatione Prælatorum Ordinis, cùm tamen oues Pastorem suum reprehendere non debeant vel accusare, nisi cùm à fide exorbitarit - - - Memores esse debetis quorundam fratrum Prouinciarum Tusciæ & Prouinciæ, qui ab obedientia Ministrorum recedentes, quia dicebant eos non viuere secundùm Regulam, statim deprauati in hæresim inciderunt, ponentes duas Ecclesias, vnam Carnalem, quam dicebant in Papa, Cardinalibus, & omnibus Prælatis consistere. Aliam spiritualem, quam dicebant esse in secta eorum solùm & sibi adhærentibus, & multos sæculares seduxerunt, qui tandem non obedientes Summo Pontifici (qui eos voluit reducere ad Obedientiam Regulæ) effecti sunt Schismatici, & cum eis multi sæculares, qui eos in suis domibus & Castris occultabant & detinebant, contra mandatum Domini Papæ: & prouocantes Deum miserabiliter clauserunt dies suos.*

Tertium malum *fuit partialitatis suscitatio. Erat in toto Ordine maximè in deuotis & zelosis fratribus coniunctissima charitas: erat totius Ordo sub vno capite, Generali scilicet Ministro militans: Erant omnes fratres vnico nomine, scilicet fratres Minores nuncupati: ad vnū Capitulum Generale omnes etiam conueniebant: Sed in illo Constant: Concil: hæc bestia partialitatis exoriens, hæc omnia penitus confudit, nam tales ab Ordine recesserunt, spretoq; paterno nomine, scilicet Minorum (quo Christus pro summo honore Apostolos suos nominauit Matth. 25, Beatoq; Francisco reuelauit) non Minores amplius se nominari faciunt, sed fratres de Obseruantia, vel de Prouisione, de Bulla, Soccolis, vel fratres de familia, de S. Bernardino, cùm tamen in veritate nunquam B. Bernardinus fuerit de parte vel de secta illa: Sed videns hanc partialitatis bestiam, de Ordine quasi de mari magno ascendentem, egregium sermonem scripsit de partialitatibus, vbi aperit malitiam illius, ostendens mala quæ ipsa operatur.----*

Quartum malum *est Ordinis, & suorum fratrum crudelis persecutio. Recedentes sic ab Ordine partem fecerunt contra eum, implacabilemq; guerram & odium ad Ordinem & fratres (& maximè quos viderunt in Ordine sub Ministris viuentes deuotiores) sic gerunt, quòd eos multipliciter persequi, ab illo tempore non desierunt. Et verificatur verbū Chrysost: lib: de compunct: dicentis: Si inimicitiæ semel occupauerint homines, omnia quæ fiunt dicuntur vel audiuntur, Ita accipiuntur, vt ad maiores & longiores inimicitias proficiant. Si bonum dicitur de aduersario, non creditur, si malum, confirmatur: Si obuiante fratribus osculo & verbis, vt dicitur Ezechiel: 13. Dicunt pax pax sed non est pax, quia ex Psal: Contritio & infelicitas in vijs eorum & viam pacis non cognouerunt. Inducunt sæculares vt non recipiant pauperes fratres, nisi dicant se esse de Obseruantia, & ita exsiccant in multis fontem misericordiæ---- Muscæ Ægypti non pungebant nisi in Ægypto & Ægyptios, sed isti pungunt fratres suos & magis deuotos: quia vt dicit Prosper: Impia pars mundi, parti est infesta piorum. Vnde supra cuncta mirum videtur cùm se Obseruantes dicant, bonos etiam alios suæ Regulæ*

zelæ-


zelatores in pace viuere non sinant, sed diffamant, & indecentibus eos nominibus vocant, vbi de alterius bonitate gaudere & malo tristari potiùs debeant. Si à Spiritu S. qui est Spiritus vnitatis & non diuisionis, regerentur. -----

Quintum malum *est fratrum multiplex distractio. Certum est quòd multi de sæculo ad eos veniunt, vt relictis negotijs sæcularibus, deuotiùs DEO intendant, ignorantes talem scissuram esse inter eos. Et ecce sub vmbra zeli Religionis, tota fere militia talis partis per curias effusa est Principum & Prælatorum, priorique deuotione perdita, negotijs distracti, vix agnoscunt vnde & ad quid ad Ordinem venerunt, aut quales aliquando fuerunt. ----*

Sextum malum *est huius diuisionis & partialitatis roboratio. Congregati & cum iuramento vt dictum est roborati, student armare sectam istam multitudine fratrum & Conuentuum, quos non cessant in dies multiplicare. Quæ quidem multiplicatio, licet videatur Cultum DEI ac Religionis augmentum protendere, tamen Ordini multùm nocet, quia inde ipsa partialitas roboratur, & in deterius crescit. Allegant per se multitudinem fratrum & Conuentuum, & de notitia, fauore, & amicitia Principum & magnatorum, gloriantur. Efficiuntur ad persequendum Ordinem audaciores, nec parcunt notis & ignotis, absentibus & præsentibus, non sexui & ætati, non generi vel amicitiæ, non sanctitati vel societati, non Parentibus vel Benefactoribus, sed omnes reputant suos aduersarios & quasi à DEO alienos, si non tenent partem ipsorum. Mirum est quidem, Viri Religiosi multitudine se armant, quod vt August: ait & habetur Causa 23. Q. 4. Cap. Qui peccat. Non ad multitudinem, sed ad rem spectandum est. Quoniam teste Seneca. Argumentum pessimum est turba. De reprobis aut Pharisæis ait Chrysost: A veritate quidam se nudos esse professi sunt, qui multitudine se armauerunt. Arcta quidem est via humilitatis & Obedientiæ, & pauci eam inueniunt, quia non quærunt. Quare optimi fratres qui zelum habetis attendite illud Exo: 13. Non sequeris multitudinem ad faciendum malum, nec in iudicio multorum sententiæ acquiesces, vt à verbo deuies. ---- Nonnè*

Noe saluatus est cum paucis pereunte multitudine: Multitudini quoq; filiorum Israel promissa fuit terra promissionis, & tamen solum duo eam ingressi sunt, scilicet Iosue & Caleph. Multitudine moriente in deserto. Sola Virgo in passione Christi remansit fidelis, multitudine fidem deserente. Et cùm multi sunt vocati pauci verò electi, partim quòd qui se multitudine armare prætendit, se ipsum confusioni & periculo exponit. ---

Septimum malum est. Regulæ multiplex offensio. Est quædam vis malis moribus, vt innocentiam multorum deuenustent flagitia paucorum. Regularibus enim disciplinis ægrè subditur, vel ceruicositas, vel amor libertatis. Et talium sicut est facile vinci, ita difficile compesci. Multi etenim sunt, qui licet sint parùm docti & illuminati, tamen multùm sunt seduli & astuti, in quibus desiderium dominandi & vincendi superat intellectum, & non aspiciunt in quanta offensione Regulæ se & alios deducunt. Si enim velimus per singula eius Capitula discurrere, liquido pateret, quòd ipsa Regula offenditur ex hac diuisione. ---- Cùm B. Franciscus SS. Stigmatibus esset insignitus, iamq; perfectus & plenus Virtutibus, propinquasset ad mortem, dicebat fratribus: Incipiamus bene facere fratres, vsq; nunc nihil profecimus, videor enim mihi maximus peccator: non autem dicebat sum de Obseruantia. ---- His igitur prætactis & multis alijs quæ causa breuitatis omitto fratres deuotissimi, consideretis vt de remedio cogitetis: Necesse est vt ad vnitatē Ordinis quàm citiùs redire procuretis. Quia si cum parua instantia aures SSmi nostri pulsaueritis, cito & cum lætitia totius Ecclesiæ DEI, ad Obedientiam & vnitatem Ordinis vos reducet. Quòd vtiq; dudum Sixtus IV. facere voluit, sed inimici pacis nonnulli ex vestris, nomine totius Vestræ societatis voluerunt appellare de ipsa ad futurum Concilium, & timens periculum nè schisma procurarent, dimisit eos secundùm desideria cordis eorum. Valete in Christo feliciter & orate pro me. Cùm hac epist: Chambonis, quò ad Reformatos in secundo malo expressos, coincidit (licet paulò aliter) Vading: a nobis cit: Art: 9. n. 13. Art: 10. n. 10. Art; 11. n. 8. Tum de Sixti IV. intentione relata Art: 15. n. 20. Hæc epist: Oppidò euincit diuisionem Ord: filialis à Matrice Min: Con: ante tempora Leonis X. fuisse formatā: quare valde ad propositum vtilem, eam citauimus Art: 14. n. 14. Art: 30. n. 20. Art: 41. n. 5. vbiq; in fine.



INDEX ARTICULORUM,

Sub quolibet Titulo contentorum.

Origo Religionis Franciscanæ in Vita S. P. F.

Progressus Relig: Franciscanæ post mortem S. P. F.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

ARTICVLVS X.

ARTICVLVS XI.

ARTICVLVS XII.

ARTICULUS XIII.

ARTICULUS XIV.

ARTICULUS XV.

ARTICULUS XVI.

ARTI-

ARTICVLVS XXXIII.

ARTICVLVS XXXIV.

ARTICVLVS XXXV.

ARTICVLVS XXXVI.

ARTICVLVS XXXVII.

ARTICVLVS XXXVIII.

Bullarum Leoninarum Vigor, Ratio, Status & Finis.

ARTICVLVS XXXIX.

ARTICVLVS XL.

Nonnulla nugalia per veritatem discussa.

ARTI-

Censura errata corrigendi.

ORthographicus error, horrorem non incutiat. Felix & Phænix est liber ab erroribus liber. Dum imprimitur valde premitur, & ferè perimitur. Ne igitur doleas, deleas, censeas non succenseas, & nè nutes notes. Commata & verba perpendas, antequam scommata & verbera rependas. Lector absq; hac Censura Centaurus est, hac sine Regula fit regulus, in Auctores eructans venena: Sic legunt Mimi & Momi, vt lædoria pingant, illisq; impingant typographica menda: Auctorem à Typographo non discriminantes, vt criminari valeant. Potiorum hic erratorum potiaris eradicatione, minutulis neglectis; quibus cùm sensus non conuelatur, sed per contextum integer reuelatur, subauditur & subtenditur, non obtenditur nec subteritur: proinde vt minuta ad hili minuta] sunt censenda. Hæc plerumq; per suppositas & transpositas, appositas, sepositas, & emotas literarum notas irrepserunt. Huiusmodi errores non sunt letales. Verum vnicè Lectorem beneuolum deposco, vt notas numerales, Annum, Librum, folium, marginalem numerum, aut eiusdem nominis, quotam in Ordine personam irreptionis illapsu vitiantes comiter corrigat, vel condonet. Si est ex illis Lectoribus, quorum Vrbano nihil limosum, humano nihil mendosum, beneuolo nihil erratum, nonnihil Docto contingens.

Litera F. folium. N. numerum. V. versum. L. lege. A. adde significant. Vbi deest N. à suprema linea Versus numerentur. In errore omissionis, Vocabulo præcedenti litera A. sequens, addendum monet, quod est omissum.

Fol: 5. v. 16. *Si B* lege *sic B.*

Fol: 10. num: 17. vers: 12. *1299.* lege *1209.*

Fol:

ERRATA.

Fol: 11. v. 5. *quæ* l. *quâ*. F. 14. N. 7, v. 11. *diigebat* l. *diligebat*. F. 17. n. 11. v. 3. *tam* l. *iam*. F. 20. n. 5. v. 20. *vouerit* l. *nouerit*. F, 33. n. 18. v. 23. *Wandigi* l. *Wadingi*, F. 34. n. 19. v: 5. 1224. l. 1244. F. 40. n. 8. v. 2. *desspositarij* l. *depositarij* F. 43. v. 18. *zeio* l. *zelo*. F. 44. v. 2. *Ascendentium* A. *pertineat*. F. 52. n. 7. v. 12. *dscuteret* l. *discuteret*. & n. 8. v. 7. *ab Innocentio IX.* l. *IV.* F, 53. n. 11. v. 4. *aliam* A. *vitam*. F. 54. n. 1. v. 4. 27. l. 17. Fol: 55. n, 2. v. 10. *admisi* l. *admissi*. F. 66. n. 2, v. 4. *Odine* l. *Ordine*. F. 88. n. 11. v, 6. *persuarit* l. *persuaserit*. F. 95. n. 22 v. 20, 3, l. 5. F. 100. n, 30 v. 23. *ductiue* l *disiunctiue*. F. 104. v. 2. *lichinus* l: *lychnus*. & v. 14. *loquentiorum* l. *loquentium*. & v. 15. *comminitas* l: *communitas*. & v. 32. *alicubi* l *aliqui*. F. 105. n. 37. v: 5. *procedenti* l: *procedendi*. F. 116. n: 16 v. 9. *calerent* l: *valerent*. F. 119. n. 20 v. 12. *celebrosis* l: *cerebrosis*. Fol: 124. n. 27. v. 25. *En* l: *Et*. & v. 32. *continere* l: *contineri*. F. 126. n. 31. v. 1. 10. l. 19. F. 129. v. 14. 1347 l: 1342. F. 132. n. 8. v. 24. *euacuatum* l: *reuocatum*. F. 157. n. 17. v. 8. *&* l: *vt*. F. 165. n. 10. v. 4. *quo* A. *pro*. F. 168. n: 14 v: 21. 24. l: 243. F. 193. v. 9. *non* A. *de*. Fol: 197. n: 8. v: 7. 1428, l: 1484, F. 206. n: 22. v. 2. *viueni* l: *viuendi*. F. 210. v: 30. *se* l: *sed*. F. 229. n. 20. v. 16. *aliquo* l: *aliquot*. F. 234. n. 7. v. 1. 1177. l: 1279. F. 259. v: 14. *ostendemus* l: *ostendimus*. Fol: 261. v. 5. *prouidendo* A. *ea serie*. & v: 6. *Prouinciæ* A. *Bohemiæ*. F: 277. n: 5. v. 9. *Opiczno* l: *Opoczno*, F: 279. n: 9. v: 10. *Min: Gen:* A. *Catalogo*. Fol: 294. n: 2. v: 9. *Ecclesia* l: *Ecclesias*. Fol: 299. n: 7. v: 4. 13. l: 3. Fol: 304. n: 5. v: 5 *Barbarosa* l: *Barbosa*. F: 310, v: 9, *efflicti* l: *efflictim*. Fol: 327. n: 4, v: 10, *Aniliter* l: *aniliter*. fol: 412. v: 12. *abuentu* l: *abutentis*. Fol: 450. v: 5, 30. & 31. l: *n. 10. & n. 11*, Fol: 469, n: 5. v: 14, *ob* l: *ab* F: 493, v: 6. *secreti* l: *secretis*, F. 534. n. 3. v. 17. n. 6. l. 16. Fol. 550. v: 23. *reuocabilis* l. *irreuocabilis*.

Reliquorum occasio erratorum; de discreto humanoq; Lectore mereri optat fauoris plùs, odij minùs, seriò aduertente infra scripta.

Nullum esse mortalium cui concessum sit hucusq; vt in nullo omnino errauerit. August: Epist: 7. ad Mar.

Nemo hominum semper & vbiq; est sapiens; & peccat etiam sapiente sapientior. Theogonis dictum.

Hæc omnia hucusq; dicta, siue de primigenio Min: Con: Ordine, siue de filialibus propaginibus propiùs vel remotiùs, ramosè stirpescentibus: sicut non de anilibus & falsidicis Mythologijs, sed de Annalibus & authenticis Chronologijs collecta sunt, ita pari charitate non verbo neq; lingua, sed opere & veritate, concludenda supersunt: Conclusione ex Nanzianzeno de pace, acsi

Kkkk ad

ad Vniuersam familiam Franciscanam, correlatiuo atq; ad conuertentiam mutuo, siue paternitatis siue filiationis nexu, compaginatam, sic perorante *Complectamur nos mutuò, exosculemur, vnū verè efficiamur, eum qui maceriæ interstitium soluit, ac per sanguinem suum omnia conciliauit atq; pacauit, imitemur ---- Omnes in vno spiritu maneamus, vna mente collaborantes fidei Euangelij, vnanimes, vnum idemq; sentientes, fidei clypeo armati: Succinctos in veritate lumbos habentes, aduersus Satanam eiusq; milites bellum gerentes ---- Præclarum depositum quod à PP. Nostris accepimus custodientes.* Hæc FF. agamus, & Deus pacis, quæ exuperat omnem sensum, erit nobiscum: in Christo JESU Domino Nostro: cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.


A. M. D. G. Vq; S. L. O. C. T. B. P. F. H.

Ad Zoilum meuiano dente aliena rodentem.


Et quid agis? sunt vana tua mendacia linguæ
Zoile nil fructus, dum tua verba ferunt.
Siccinè pestifero iactas, tua scommata morsu
Hæc mea lingue rogo, tu meliora dato.


CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis Anno 1688.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0029469





...acki Casimiris Fr.

Speculum
Minorum

In quo
Primigenius Religio Ordinis Minorum
Conventualium Omnium Primi Ordinis
Min: tàm immediatè quam mediatè emergentium
itd.

Cracoviae Typis Universitatis
1688 anno

12°

6 k.n. - 617 str. - 4 k.n.
A - A3 Kkkk

opr. skórkowa

drzeworyt (herb)

Biernacki Casimirus Fr.

Speculum Minorum

In quo

Primigenia Religio Ordinis Minorum Conventualium Omnium Primi Ordinis Min: tàm immediatè quàm mediatè emergendium i t. d.

Cracoviae Typis Universitatis


12° 1688 anno

6 k. n. - 617 str. - 4 k. n.

A - A3 Kkkk

Opr. skórkowa

drzeworyt (herb)



Przez twoie Swięte zmartwychstanie,
Bozy Synu odpuscisz Nam Nasze zgrze
szenie: Wierzymy izes zmartwychwstał,
zywotes Nasz naprawił, smiercis wieczney
nas zbawił, swoięs swiętą moc zjawił.
Alleluia

Wesoły nam dzien nastał, gdy Pan Chrystus
zwycięzył, trzeciego dnia zmartwychwstał:
Tegodnia wesołego, prosmy Krola Niebie
skiego, by nas uchował, by nas uchował
od piekła gorącego; aby Nas domieszcił ra-
dosci Krolestwa niebieskiego. Bysmy zgrze
chow powstali, Pana Iezu Chrysta nasladowa-
wali, a po smierci na niebi wieczne z nim
Krolowali. Alleluia